R.P. ANDREAE EUDAEMON-IOANNIS ... REFUTATIO EXERCITATIONUM ISAACI CASABONI...

Andreas Eudaemon Joannes,
Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 K
12

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

60.2.4

68
E
3

Digitized by Google

R. P. Andreæ

EVDÆMON-IOANNIS

E SOCIETATE IESV

REFVTATIO


EXERCITATIONVM ISAACI CASAVBONI.

LIBRIS DVOBVS COMPREHENSA.

Ad Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Dominum D. ROBERTVM S. R. E. CARDINALEM BELLARMINVM.

PERMISSV SVPERIORVM.

Bibliothecæ Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu Ex Legato Ill.mi Coccini



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM KINCHIVM, ſub Monocerote.
ANNO M. DC. XVII.

Digitized by Google

MVTIVS VITELLESCVS,

SOCIETATIS IESV PRAEPOSITVS Generalis.

CVm Caſtigationem Exercitationum Iſaaci Caſauboni, à P. Andrea Eudæmon-Ioannis Societatis noſtrę Theologo conſcriptam; tres eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt ea typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In cuius rei fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus *Romæ* 18. *Februarij* 1617.

Mutius Vitelleſcus.

Digitized by Google

ILLVSTRISS. AC REVEREND.mo DOMINO D. ROBERTO S. R. E. CARDINALI BELLARMINO, DOMINO AC PATRONO colendiſsimo.

REuerendiſsime ac Illuſtriſsime Domine, Ut hæretici ad oppugnandam, & ,quod in ipſis eſt, euertendam fidem Catholicam machinas omnes ſemper adhibuerunt, & his etiam temporibus adhibent ; ita viciſsim æquum, pium ac neceſſarium eſt, vt in ea defendenda, atq; impijs & erroneis Sectariorum dogmatibus detegendis ac refutandis Catholici Doctores ac Prælati nulli labori ac ſudori parcãt: Tuo inprimis, Illuſtriſs. Card. *Exẽplo; qui ſcriptis toto orbe celebratiſsimis oẽs Fidei Articulos ita nobis enucleaſti, ita hæreticorũ errores refutaſti, vt nemo, niſi volens, in reb. ad religionẽ pertinentibus cæcutire poſsit. Fecit hoc idẽ, ſed alio ferè ſcriptorum genere, optimæ ac beatiſs. memoriæ Illuſtriſſ. Cardinalis Baronius, eruditiſsimo illo, & ad Catholicæ Fidei tam antiquitatem, quàm puritatem*

oſtendendam munitiſsimo Annalium Eccleſiaſticorum Propugnaculo, immenſis laboribus concinnato. vtrique temerario ſtatim auſu parati fuêre ex hæreticis aduerſarij, qui per veſtra latera Catholicam Eccleſiã peterent; ſed eo euẽtu, vt tam veſtra ipſorum, quàm aliorũ operâ, inuictis Veritatis argumẽtis victi ac profligati, inſcitiã ſuam ac malitiam magis prodiderint, quã vel cauſæ bonitati, vel nominis veſtri exiſtimationi, ac ſplẽdori quidquam derogârint. Inter hos eſſe voluit Iſaacus Caſaubonus; cuius repẽtè è Grammatico Theologi facti, & virulento calamo magnũ illud magni viri, Cardinalis, inquam, Baronij Annaliũ Eccleſiaſticorũ Opus perſtringere ac carpere aggreſsi, inſcitiam ac calumniandi libidinem R. P. Andreas Eudæmon-Ioannes, eximius è Societate Jeſu Theologus, hoc libello apertiſsimè & ad oculum oſtẽdit. Is libellus ſcriptus Româ ſuperioribus menſibus ad me miſſus, quũ eòdem, ſed induſtriâ typographi, aliquantò ornatior, remittẽdus eſſet: idoneum iudicaui cui, & humilis meæ erga Illuſtriſſ. V. D. ob ſumma eius in Catholicam Eccleſiam, & bonos omnes merita, teſtandæ obſeruantiæ, & ob præſtitum nuper fratri meo beneficium grati animi declarandi partes demandarem; ratus hunc ipſum Illuſtr. V. D. non ingratum fore.

Digitized by Google

ſore, quòd & in eo diſputandi argumēto verſetur, in quo illa iam dudum omnium iudicio palmam obtinet; & ſanctiſsimi illius viri, tam in dignitatis quàm laborum ſocietate collegæ quondam amantiſſimi ſcripta ac memoriam à calumnijs vindicet; quòd denique conſcriptus ſit à Theologo eius ſocietatis, cuius illuſt. V. D. vt ſummum decus, ita non vulgare eſt præſidium. Hunc meum affectum atque conatum vt Illuſt. V. D. bonam in partem accipiat, meq́; ac fratrem porrò fauoris ſui aurâ proſequi non dedignetur, humiliter rogo atq́; oro: vt qui ſum atq́; æternùm ero.

Illuſtriſſ.mæ V.D.

humilis ac deuotus Cliens

IOANNES KINCHIVS
Ciuis & Bibliopola Colon.

LECTORI.

VT noſtra hæc Caſtigatio ſeriùs prodeat, cū alijs occupationibus, tum aduerſa in primis valetudine factum eſt, lector, qua ſolito etiam grauiùs hoc biennio tentatus ſum. Vt non tam Illuſtriſſimi Baronij defenſionē, quàm Caſauboni Caſtigationem inſtituerem, ſumma alterius gloria, alterius vecordia impulit. Nam quia timendum non fuit, ne diuini operis exiſtimationem homuncionis neſcio cuius næniæ magis imminuerent, quàm nocturnis Lunæ ſplendoribus importunus canum latratus officiat; illud vnum reliquum eſſe viſum eſt, vt impurum hominem abigerem, docerémque nihilo plus litterarū in eius ſcriptis, quàm in hæretici hominis pectore humanæ, diuinæque fidei reperiri. Et ita tamen moderatus ſum diſputationi meæ, vt, ſi prima quatuor capita libri prioris excipias, nihil ferè ſit, quod reconditiorem Theologiā in lectore deſideret, id quod Elenchus capitū, quem ſubijcimus, facile declarabit. vale.

Corrector Typographicus eidem.

MEnda Typographica infrà notata, & ſi quæ alia fortè occurant, Beneuole Lector, corrige: neque exiſtima hic ſubiecta in omnibus exemplaribus reperiri, cum operariorum feſtinatio Correctoris quandoque diligentiā præueniat, antequam is ſecundâ curâ errores recognoſcere poſſit quin imo & tunc ſæpè contingit, vt vel typus aliquis, prælo calente, extractus, ſuo loco non reponatur, vel legentis quoque oculus fallatur: nemo ſiquidem tam lynceus eſt, cui non character fugitiuus inter legendum poſſit excidere.

Errata.

Pagina 10. verſu. 24 lege vel ante. pag. 24. verſ. 5. piorum p. 30. v. 36. perfectioni res. p 32. v. 30. inuiſibilis. p. 36. v 3. notata teſtimonia p. 37. v 11. qua. p. 49. v. 15. circumferuntur. p. 57. v. 28. ſi ita p. 58 v 8. loquuntur. & v. 11 poſt allata & v. 23 Chriſtianus. p. 61. v. 29. emiſiſſet. p 62. v. 17 proteſtantiū. p. 65 v 10. illa p 66. v. vlt. afflati. p. 74. v. 34 diſertè. p. 78. v. 18 iudicatum. p. 87. v. 1 ſimile. & v. 11. Idumæa. p. 107 v. 18 partem p. 124 v. 25. interierant. p. 125 v. 26. Scriptor. p. 131. v. 8. obſtat. & v. 35 decantatum, & v. eod. Epiſcopus. p. 137. v. 33 Baronium. p. 146. v. 17 vſum. p. 176. v. 27. Herodis. p. 183 v. 14. cicadariam. p. 187. v. 3. dici. p. 214. v. 5. inire. p. 220. v. 21. fuſis.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHVS CAPITVM LIBRI I.

CAſaubonus de gratia et fide Mediatoris imperitè diſputat Ca.1.

Clemens Alexandrinus perperã à Caſaubono intellectus Cap.2.

Nihilo melior Chryſoſtomi quã Clemẽtis interpres Caſaubonus Cap 3.

Iuſtinus à Baronio citatus, exponitur, atque defenditur cum cæteris patribus Cap.4.

Egregia Caſauboni de Sibyllarum oraculis Theologia Cap. 5.

Caſauboni de ſacris traditionibus Theologia Cap.6.

De voto virginitatis à Beata Virgine nuncupato inconſtantia, & prauaricatio Caſauboni cum pari mẽdacitate coniuncta Cap. 7.

Caſauboni de ſacris litteris Theologia Cap. 8.

Quam accuratus ſcripturarum interpres fuerit Caſaubonus colligitur ex ijs, quæ in Baronium de Iacobi Vaticinio ſcribit Cap.9.

Caſauboniana Vaticinij eius interpretatio refellitur Cap.10.

Locus ex Matthæi 6. & alter ex Luca 6. perperam à Caſaubono explicatus expenditur Cap. 11.

Locus ex Matth.16.expenditur Cap.12.

ELENCHVS CAPITVM LIBRI SECVNDI.

CAſaubonus, in patres, antiquitatẽ totã Eccleſiæ ac ceteros vetuſtos ſcriptores contumelioſus Cap. 1.

Peſſima Caſauboni in proferendis Græcorum teſtimonijs fides Cap. 2.

Ioannis Matthæi Caryophili ad exercitationes Iſaaci Caſauboni Notæ c.3.

Caſaubonus exercitatione prima Baronio multa per calumniã affingit c.4.

Aliæ Caſauboni, è prima exercitatione, calumniæ Cap 5.

Caſauboni in reliquo opere in Baroniũ Calumniæ Cap.6.

Aliæ Caſauboni in Baronium Calumniæ Cap.7.

Aliæ Caſauboni Calumniæ ex c.9. & ſequentibus exercitationis 15.Cap. 8.

De lege in eos lata, qui libros fatidicos legiſſent, deq; Deæ Syriæ ſacris errata Caſauboni Cap. 9.

De Herodis diebus apud Perſiũ, deq; Herodũ Hiſtoria errata Caſauboni. c. 10.

De conuiuij magiſtro, ac loco Eccleſiaſtici 32. deq; ineptis atq; impijs digreſſionibus Caſauboni Cap.11.

De ſcribarum ſecta, de Anno Domini acceptabili, deq; vaſe vnguenti, quo vnctꝰ eſt Dominꝰ errata Caſauboni. c.12.

De ſacro Epiphaniæ Domini die futilis Caſauboni diſputatio Cap. 13.

De Honore latina lingua haberi olim ſolito, in cõcilijs, & cõuentib. Eccleſiaſticis, ac multis ſuper ea re Caſauboni erratis Cap. 14.

De Canonibus Concilij Laodiceni, & Agathenſis, deq; conſuetudine mittendi Eulogias, & audiendi miſſam errata Caſauboni Cap. 15.

Ioſephus Hebræus 1.exercitationis cap. 29. perperã à Caſaubono defenſus.c.16.

Ioſephus c. 34. 1. exercitationis inepte defenditur à Caſaubono cap.17.

Ioſephus in ſacra Hiſtoria multa peccat, ac diuinis literis aduerſatur Cap. 18.

PRAE-

PRÆFATIO.

DIVINO ingenio, atq; eloquentia vir Gregorius Nazianzenꝰ in orat. I. Theologica cũ multa alia pręclarè, tũ illud in primis de hoſtibus Eccleſiæ diſputat. *Homines malignos, atq; præpoſteros ſummo ſtudio res noſtras explorare, nihil magis in optatis habere, quam vt malorũ noſtrorũ ſcintilla in flammam aſſurgat, cùm eã etiã furtim excitent, atq; accendant, auraque ſua afflatu in cœlũ attollant, & Babylonica flamma in orbẽ omnia populãte ſublimiorem reddant.* Id quod, ſi vnquã alias, in Iſaaci Caſauboni exercitationibus in Baroniũ apertiſſimè cernitur, ita Caluiniano inſtinctus ſpiritu in eruditiſſimos eius Annales; qui tanta Catholici nominis gloria omniũ ſermonibus, famaq; celebrantur, anxiè inquirit: ita dũ locũ reprehenſioni rimatur, odioſè ſcrutatur omnia: ita quicquid vndiq; põſt, in calumniã deriuat, vt imminuta viri præſtantiſſimi exiſtimatione, Eccleſiæ Chriſti, ſi quà poſſit, officiat: ita deniq; (ne diſcedã à Nazianzeno) è parua ſæpe ſcintilla malignitate animi magnũ incendiũ excitat; quo, vt illi olim regiæ apud Babylonẽ crudelitatis adminiſtri, ipſe conflagret; viro illuſtriſſimo ſplendorẽ ac lucẽ adijciat. Quid.n. vel ad cõmendandã Baronij eruditionẽ, diligentiã, iudiciũ, fidẽ; vel ad patefaciendã humano generi ſectariorũ in cauſa diffidẽtiam, atq; inexpiabile in ſumma inſcitia odiũ veritatis, accidere potuit illuſtrius, quã eum hominẽ, cui primas eruditionis aduerſarij oẽs, ſine controuerſia, deferrent, in tã maligna diligentia, cõtractis etiã, ſi vera memorant, cæterorũ auxilijs, præter liuorẽ animi, atq; inſcitiã, vix quicquã in eũ afferre potuiſſe? Qua in re Ser.mo Iacobo Maioris Britanniæ Regi plurimũ debet Eccleſia, qui auctoritate, vel imperio ſuo potius Caſaubonũ impuliſſe dicitur, vt elephantinũ hunc partũ, quẽ tandiu minitabundus, ac ferox ad terrorẽ Catholicis obiectarat, in lucẽ aliquãdo ad ludibriũ ederet. Nam ille quidẽ cũ vulgò non malus grãmaticus haberetur, inſito mortalib. vitio pertæſus artificij ſui, vt in eo quoq; literarũ genere magnus videretur, ꝙ nũquã didicerat, à re grãmatica ad Eccleſiaſticã trãslatis repentè ſtudijs, Baronio bellũ indixit. Neq; difficile fuit in tanto, tamq; vario opere nonnihil offendere, in quo critici verſari poſſet induſtria, præſertim verò ſi quæ ab interpretibus è Gręco Latinè minus cõmodè reddita ſunt, ad Gręcorũ exemplariũ normã exigere liberet. Nam in Italia ne nunc quidẽ magna ſuppetit eorũ copia; & cùm Annaliũ ſuorũ ſyluam conficeret vir egregius,

gregius, vix vlla vſquã typis excuſa reperiebantur, vt fontes ipſos conſulere in promptu eſſet. Erant etiã, vt in argumẽto reconditioris Theologiæ pleniſſimo, permulta, quæ Caſauboni hominis nõ exercitatiſſimi aciẽ fugerent: quæq; is non ſatis intellecta, per inſcitiam damnaret, præſertim quod dialecticis non vſq; adeo excultus, multa ſæpe peruerſa ratiocinatione concluderet: neq; ſatis videret, quæ quibus eſſent conſectaria. Ergo, vt eſt genus hoc hominũ, non minus alienis laudibus inuidẽs, quam effuſum in ſuas.

Non ante deuictis Sabeæ

Regibus, vt ait ille, catenas nectere; ac perinde, quaſi iã debellaſſet, antequã manũ operi admoueret, triumphũ tanta cõfidentia canere; vt fucũ etiã ſapientũ nonnullis faceret. Sed cùm inanibus minis magnã eius rei expectationẽ cõmouiſſet, aliquot annorum ſpatio nihil attulit, ſiue ꝙ difficilius id experiẽti fuit, quã cogitanti ſeſe primũ obtulerat; ſiue quod edoctus ab alijs tandẽ ſenſit, nihil nõ modo à puro puto grãmatico, ſed ne à ſapiẽte quidẽ afferri poſſe, quod vel tã diuini operis exiſtimationẽ vlla ex parte labefactaret, vel tantæ expectationi reſponderet; ſiue quòd cũ Catholicæ veritatis lucẽ cernere coepiſſet animo, piguit ei⁹ hominis gloriã obterere calũniãdo, cuius eruditione, diligẽtia, literis tantũ ſplẽdoris acceſſiſſet Eccleſię.

Interea à maioris Britanniæ Rege in Angliam accerſitus, ac non modo Canonicus; ſed etiam, quod mirere, è Grãmatico Theologus imperio eius effectus, cum alia quædam in Catholicos ſcribere, tum, vt memorant, ea, quæ in Baroniũ tot iam annos parturiebat, tandem emittere iuſſus eſt. Et morem ille quidem Regiæ cupiditati geſſit, ne aut ingenua diffidentię cõfeſſione ipſe ſe proderet; aut ſi minus obſequens videretur, apud eũ offenderet, è cuius crumena ducebat animam. Sed arrectis in eam rem eruditorum omnium animis, atque obſtetricante manu Regis, tam longo illo, tamque difficili elephanti partu, muſca tandẽ edita eſt impura, impudens, atq; importuna beſtiola. *Quoniã.n.* inquit, eo, quẽ ſuprà laudaui, loco Gregorius Nazianzen⁹ *in ſuis dogmatis nihil ſibi præſidij conſtitutũ vident*, hoſtes Eccleſiæ, *hoc in noſtrarum rerum imbecillitate venantur; acproinde quemadmodũ muſcæ vlceribus, ita noſtris calamitatibus, aut, ſi mauis, erratis imminent:* Egregiam ſcilicet operam impietati nauaturi, ſi cum tota cauſa victos, debellatoſque ſe ſentiant; vel tantillum in noſtris rebus inueniant reprehenſioni opportunum.

Quanquam Caſaubonus quidem, cùm in omnem nocendi occaſionem intentus, in eam rem artẽ omnẽ, induſtriãque contulerit, atq; animũ adeo ipſum poſuerit in calumnia, præter ſtolidam importunitatem, ac malignitatem animi cũ pari impudentia coniunctam, nihil admodum è tanto vo-

Digitized by Google

lumine protulit ſolida reprehenſione dignum; vt ſatis appareat hunc librum deſperatione extortum, non conſilio, aut voluntate ab eo editũ eſſe. Sed hoc etiam miſeris hominibus, ne Aegyptiorum calamitatibus ex hac parte concederent, ſupplicium debebatur; vt quorum terra ranas iã ante dederat, in penetralibus Regum ipſorum, muſcis etiam, culicibusq; plecterentur.

Equidem in eo libello, quo eius ad Frontonẽ Epiſtolam refutaui, iam pridem docui, Iſaacum Caſaubonum & in Philoſophicis parum admodũ intellexiſſe, neq; dialecticis ſatis eruditum fuiſſe; antiquitatis, linguarumque cognitionem tantam videlicet homini tribui, quantam in eo reperiri neceſſe eſt, ad quem in Grammaticæ Regno Principatum detuleram. Theologica perinde, quaſi prunas, tractaret; in argumento etiam maxime Theologico ita vix auſum attingere monui. Quod etſi hominis inſcitiam indicabat; commendabat tamen neſcio quam modeſtiæ ſcintillam in animo eius reliquam. Sed ne illud quidem, quicquid erat commendationis, & laudis diuturnũ illi in aula eſſe potuit. Egit hominẽ in tranſuerſum compendij ſui ratio; ſuaſitq; vt obdurata ſemel per imprudentiã fronte, pergeret porro nauiter impudens, ac ſtrenuè ſacrilegus eſſe. Nã aſſentationi quidẽ nullum aliũ eſſe modũ, quàm quem domini libido & marſupiũ præſcripſiſſent. Quid ſi enim cũ alijs ineptiret, interim probaretur ei, cui ſe vni præ cæteris probatũ cuperet; atque ijs ineptijs crumenã eius emungeret: in qua qui ſuam in Deũ fidem, ac religionem iam ante collocaſſet; hominum etiam de ſe iudicia facilè collocare poſſet, præſertim cùm eã ſuperſtitionem æmularetur, in qua nemo nõ Theologus, atque adeo ſpiritu plenus eſſet; maxime vero ſi Græculis accentibus, aut punctulis Hebraicis eruditus è theſauris, lexiciſq; aliena lingua deſipere, & literatius vaticinari poſſet. Vicit igitur illũ vel pudorẽ, vel qualemcunq; religionẽ cupiditas; cui ſacra, ac profana omnia perinde ſunt; atque impura beſtiola coquinæ, ac patinis aſſueta, vbi pingue neſcio quid illi in Theologia ſuboluit; tanta importunitate bombylians in abditiſſima quæque fidei Chriſtianæ myſteria inuolauit; ita impudenter *poſuit in cælum os ſuum*; ita pertinaciter cœleſtibus dogmatis inſidens, immundo contactu fœdauit omnia; vt immori ijs maluerit, quàm auolare. Egregiam vero quinti Euangelij laudem, quod eos rerum diuinarum magiſtros adhibet,

—— quos ſcire iuuet, quid Phaſidis ales
Diſtet ab hyberna Rhodopis grue, quã magis anſer
Exta ferat:

quem ſibi alium vitæ magiſtrum optarit is,

Quem pinguem, ac nitidum, bene curata cute, vijes.

Cùm ridere voles Epicuri de grege porcum.

Caſaubonus venalis Grammaticus, vix ab Athenęi digreſſus cœnis, vino etiam tum madens, atque adipe ſordidus, tam multos annos in culina, & patinis commeſſatione verſatus, & tandem Britannicus è dipnoſophiſta paraſitus ob egregiè poſitam, in re videlicet tam neceſſaria operam, ſuaui quidē certè, ac periucunda, ad rerum diuinarū tractationem non admittitur modò, ſed etiam pretio inuitatur, imperioq; compellitur. At, quę, malum, *hunc tam barbara morem* ſuperſtitio permittit? *Sanctum dare canibus, & margaritas ante porcos proÿcere, vt conuerſi diſcerpant vos? Non cuiuſuis eſt, ô viri, de Deo diſſerere; non inquam cuiuſuis non adeo vilis, ac protrita hæc res eſt, & eorum, qui humi adhuc reptant*: Licèt enim mihi verbis iiſdem ſectarios affari, quibus in ea, quā dixi, oratione non diſsimili morbo laborantes ætatis ſuæ hæreticos affatur Gregorius Nazianzenus. *Neq; verò*, (vt hæc etiam ab eo mutuer) *mirum vobis videri debet, ſi quid à veſtris ſenſibus, ac lege veſtra alienū dixero, qui ſcire vos omnia, docereq; profitemini perquam fortiter, ac generosè (non enim dicam ſtultè, ac temerè, ne animos veſtros offendam)* ſcio eam Euangelij veſtri legem eſſe, vt non modò plures (quod damnat Iacobus Apoſtolus) ſed omnes magiſtri ſitis; omnes non docibiles Dei, quod de Chriſti fidelibus vaticinatus eſt Iſaias; quòd, quę foris ab hominibus traderentur, ea cor, Deo intus aperiente, condiſcerent: ſed Doctores, ſed Apoſtoli, ſed Prophetę, ſed cōtrouerſiarum fidei iudices, ſed interpretes Scripturarum. Scio patrem fidei veſtræ Lutherum nūquam pleniorem fuiſſe ſpiritu, quàm cùm ſe vino, & cibis ingurgitaret; cùm ad teſtudinem ſaltaret, & pſalleret; cùm è complexu Borræ penderet. Sed me notiſsima B. Hieronymi querela commouet, cùm ne ij quidem, *qui vilia opuſcula fabricantur, abſq; doctore eſſe poßint, quòd cupiunt: ſolam Scripturarum artem eſſe, quam ſibi paßim omnes vindicēt, quam garrula anus, quam ſenex fatuus, quā ſophiſta verboſus, quam vniuerſi præſumant, lacerent, doceant,* antequam diſcant. Nazianzenū Hieronymi magiſtrum eo, quem dixi loco, clamantem audio; *Iis duntaxat id muneris incumbere, qui exactißimè explorati ſunt; contemplandiq; acumine excellunt; primiq; etiam & corpus, & animum à vitiorum ſordibus purgarūt; aut in hoc toti quidem certè iam ſunt, vt ſe à vitiorum labe purgent. Impuro enim rē puram attrectare non magis fortaſſe vacare periculo, quàm ægris oculis ſolis radios intueri.* Ac ne ſic quidem de diuinis rebus diſputandi poteſtatem cuiquam facere, *niſi cùm ſe in quietem atq; otium aſſeruerit: ne alioqui princeps noſtri pars improbis formis, vagiſq; confundatur, dum velut deformibus literis elegantes, cœnoq; admiſcemus vnguētum. Vacare enim haud dubiè oportere, vt ad Dei cognitionem veniamus.* Demoſthenem Valentis Imperatoris menſę pręfectum à rerum Theologicarum tractatione ſeuerè repulit Magnus Baſilius, cùm *ad eum pertinere diceret, cibos parare, non dogmata diuina coquere:* & triobolarem neſcio quem

Digitized by Google

Grammaticum auro Britannico emptum ex Gallia, nihil admodum ſuper culinam,& cœnas Athenæi doctum, qui palato magis, quàm animo ſapiebat,Chriſtianæ religionis dogmatis illudentem paſſurus fuiſſe crederetur?

Non eſt,mihi credite,ſalſamẽtorum eadem,ac fidei diſciplina. *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, aut in ſublimitate ſermonis*; ſed *in virtute Dei* doctrina fidei repoſita eſt. Paulus,& Ioannes Græcè minus eleganter, nonnunquam etiam barbarè,atq; inquinatè locuti Chriſtianæ Theologiæ principes numerantur.Neq; ſi Athenienſis muliercula Latinos omnes,complures etiam è Græcis Patribus Attica locutione ſuperaret;eos cõtinuò rerum diuinarum ſcientia vinceret.Nam Moyſen Græcę Latinæ q; eruditionis expertem, Anathotitem Hieremiam,aut armentarium Amos,quamuis non alienas modò linguas prorſus ignorarint;ſed etiam inurbanum quiddam,ac ruſticum Hebraicè ſonent;quis ſacro Theologorum ſenatu mouerit?Fuerit ſanè veſter Caſaubonus (quanquam ne id quidem vſque adeò verè dici demonſtraturus ſum) ſed fuerit ſanè apprimè Græcis ac Latinis literis eruditus; nullam profanæ, vel veræ, vel fabularis hiſtoriæ, nullam antiquitatis partem omiſerit;& quando eum tantoperè menſa Domini delectabat,nihil non penitus in re coquinaria, cibariaque perſpexerit; quid hæc tandem habent commune cum rerum cœleſtium cognitione ? vt quia Græcos Scriptores partim notis illuſtrauit,partim Latinè reddidit;quia in Auguſtorum hiſtoria ſcitè commentatus eſt;quia ſine commoda interpretatione nihil omiſit in Athenæo,in rebus etiam Theologicis intellexiſſe eum neceſſe ſit?

Ego verò, ne traducendi hominis ſtudio hæc inuidioſè magis,quàm verè à me iactata quiſpiam ſuſpicetur;id probaturum me hac diſputatione recipio,Iſaacum Caſaubonum magnum illud ſectariorum columen,qui,quaſi alter Goliathus *ad exprobrandum agminibus Dei viuentis* è Caluini caſtris *in haſta & gladio* prodijt,non modò impoſturis,mẽdacijs,calumnijs (communibus hæreticorum vitijs)paſſim ſcatere; ſed neque præſtantem Grammaticum,neque Eccleſiaſticæ præſertim antiquitatis peritum admodum fuiſſe;&,quod caput eſt,in re Theologica ita plerumque peregrinari, vt ne intelligat quidem, quà de re diſputet;aut quid in Baronio reprehendat. Sed ne publicam ſectæ totius infamiam ad priuatam vnius hominis ignominiã quiſquam à me deriuatam queratur , communes illi cum cæteris ſectarijs ineptias condonabo; propria eius in Theologia peccata ita perſequar , vt plerumque ne ea quidem fidei capita attingam , quæ in controuerſiam à Luthero atque eius aſſeclis vocata ſunt.

CASTI-

Digitized by Google

CASTIGATIONIS EXERCITATIONVM ISAACI CASAVBONI

LIBER PRIOR.

QVO DEMONSTRATVR QVAM RVDIS Theologiæ fuerit Iſaacus Caſaubonus.

CASAVBONVS DE GRATIA, ET FIDE MEDIAtoris imperitè diſputat.

CAPVT I.

NE quis dubitare poſſet quid in Theologia poſſet Caſaubonus, in ipſo libri veſtibulo ita de diuinis rebus philoſophatur, vt deliranti ſit propior, quàm seriò diſputanti. Longum non faciam: rebus agendum, non verbis eſt.

Veriſſimum eſſe quod initio Apparatus ſui ſcribit Illuſtriſſimus Cardinalis Cæſar Baronius; Ex omnibus mortalibus, qui inde ab exordio mundi fuerunt, neminem æternam ſalutem eſſe conſequutum, niſi à Chriſto, & per Chriſtum; poſſeq́ non immeritò ea ratione Chriſtianos dici illos omnes, qui ante Chriſti aduentum & ἐνσάρκωσιν vel in populo Dei, vel apud gentes facti ſunt ſalutis participes, ingenuè fatetur Caſaubonus Exerc. I. Cap. I. ſed quod addit Baronius; *Apud veteres quoq; Patres omnes id fuiſſe in confeſſo,* id verò ſi accipiatur *ſimpliciter, & ſine vlla exceptione; an ſatis certum ſit,* inquit, *equidem vehementer addubito.* Cur autem ita vehementer dubitet, cauſam eam ſubijcit, quòd negari non videtur *poſſe, doctrinam de iuſtificatione peccatoris, & cauſa meritoria ſalutis primis Eccleſiæ temporibus, & ferè ante diuini ingenij, virum B. Auguſtinum, vix ſatis dilucidè fuiſſe expoſitam.* Cuius rationis, ſi modò ratiocinatur Ca-

ſaubonus, ea vis eſt; *Satis conſtare non poteſt num omnibus mortalibus ad ſalutem Chriſti gratia neceſſaria ſit, niſi doctrina de iuſtificatione peccatoris, & cauſa meritoria dilucidè expoſita: ea autem ante Auguſtinum dilucidè expoſita non fuit: ante Auguſtinum igitur ſatis conſtare non potuit, num neceſſaria eſſet omnibus mortalibus Chriſti gratia ad ſalutem*. Qua in ratiocinatione ambiguitate nominum ridiculè fallitur; atque imprudens prima quatuor Eccleſiæ ſæcula Pelagianæ impietatis accuſat.

LEGERAT ille apud Centuriatores, atque alios Lutheranos, ſecundo ſtatim Eccleſiæ ſæculo *obſcurari cœpiſſe doctrinam de iuſtificatione & merito*; quod ab ijs excogitatum effugium eſt ad eludenda ea Patrum teſtimonia, quibus iuſtitiam, & meritum bonorum operum probant Catholici. Id Britannicus hic Theologus, cùm non intelligeret quò pertineret huc videlicet detorſit, vt ante Auguſtini tempora negaret, ſatis exploratum in Eccleſia fuiſſe, num Chriſti gratia ad ſalutem mortalibus ita neceſſaria fuerit, *vt nemo, niſi per Chriſtum, & à Chriſto ſalutem ſit conſequutus*.

QVA in re hominis non doctrinam modò; verum etiam acumen deſidero. Nam etſi non tantum vel doctrina, vel ingenio valuit, vt diſpicere per ſe poſſet quid diſcriminis eſſet inter Pelagij hæreſim nullam planè Chriſti gratiam agnoſcentis, & iuſtitiam, atque meritum eorum operum, quæ per Chriſti gratiam facimus; quod fidei ſuæ dogma iam inde ab Apoſtolicis temporibus Eccleſia Catholica repetit; quodque ſuperiore demum ſæculo in dubium Lutherus, atque eius aſſeclæ reuocarunt: hæc igitur etſi videre per ſe ipſe non potuit: at videre tamen potuit, in Eccleſia Catholica ita iuſtitiam ac meritum bonorum operum defendi; vt tamen Chriſti gratia mortalibus omnibus ad ſalutem neceſſaria retineatur; ſine qua neque iuſtitiam aſſequi, neque in adepta ſimul iuſtitia aut proficere, aut omnino permanere poſſimus. Quidni igitur idem primis illis Eccleſiæ ſæculis euenire potuerit? vt neceſſariam Chriſti gratiam crederent; neque tamen operum, quæ facit in nobis fides per caritatem operans, meritum, atque iuſtitiam negarent? Nam ſi ante exortum Beatum Auguſtinum nihil dum erat de Chriſti gratia in Eccleſia exploratum; cur in Pelagium, tanquam eius blaſphemiæ principem, tam acriter inuehitur, cùm etiam in libello de hæreſibus omnium recentiſsimam appellet Pelagianorum hæreſim Auguſtinus? Cur Africana Concilia in Cæleſtium, atque Pelagium, vt noui conditores dogmatis tam ſeuerè animaduerterunt? Cur in Palæſtino Concilio in ius vocatus Pelagius, eam hæreſim, vt ſcribit Beatus Auguſtinus, *ne damnaretur ipſe, damnauit*? Cur B. Hieronymus ante etiam

iam, quàm Mileuitana in eam hæreſim Synodus haberetur, diſciplinæ eius æmulos tam grauiter inſectatus eſt? Denique quid cauſæ Pelagio fuit, vt cùm, Beato Auguſtino teſte in libello de hæreſibus, doceret *ſine ea Dei gratia, qua prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum Dei per Ieſum Chriſtum in ipſum, & per quam diffuſa in cordibus noſtris, caritas facit, vt fides per dilectionem operetur, poſſe hominem diuina mandata facere*: mutata deinde ſententia diceret; *Ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum iuberentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam*; niſi quòd *à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda*; animaduertit, tam immanis blaſphemiæ inſolentia Chriſtianas aures offendi; ob eamque rem *correptioni eorum hactenus ceſſit, vt non gratiam libero arbitrio præponeret; ſed infideli calliditate ſupponeret*; ac ſuum illud; *poſſe homines ſine gratia, ſalutem conſequi*, retineret. *Dicendo enim; vt facilius poſſint; voluit vtique credi, etſi difficilius; tamen poſſe homines ſine gratia diuina facere iuſſa.* Quam ipſam cùm minus idoneam latebram expertus eſſet, quòd eam Catholicorum animi aſpernarentur, dum cælare ſe cupit, eo vſque tandem progreſſus eſt, vt quod in lib. de grat. Chriſt. refert Auguſtinus, *inauditis ambiguitatum inuolucris*, eam impietatem tegens, *diceret anathema, ſi quis negaret eam Chriſti gratiam neceſſariam nobis eſſe, qua venit Chriſtus Ieſus peccatores ſaluos facere.* Senſit videlicet homo ſacrilegus tam receptum eſſe in Eccleſiæ diſciplina *nullum eſſe aliud nomen ſub cælo, in quo ſaluari homines oporteat*; vt admitti ad aures à Chriſtianis non poſſet, ſi quid contra doceretur: ob eamque rem Eccleſiæ Catholicæ vocibus retentis, alieniſsimam ſententiam ſuppoſuit, vt minus cautos falleret.

Sed quòd in Britannia ſcriberet Caſaubonus, gratificari Pelagio Britanno homini voluit: cui tam multa eam ob rem bella olim cum Auguſtino pugnata ſunt, cùm ille ad ſuperiora Eccleſiæ ſæcula blaſphemiam ſuam referret; hic contra defenderet recens illud portentum, atque ad eam diem inauditum apud Chriſtianos fuiſſe.

At conſtat, inquit, *ſanè apud vetuſtiſsimos Patrum, & nonnullos etiam poſteriorum eiuſmodi ſententias interdum occurrere, quæ, niſi benigna interpretatione molliantur, ſuperiorem Baronij affirmationem labefactare ſint idonea.*

Nunc demùm ſapit, niſi planè deſipit, ac nugatur Caſaubonus. Retinere modò memoria lectores cupio id vnum, vel ipſo teſte Caſaubono, enunciaſſe Baronium; *Ex omnibus mortalibus, qui ab exordio mundi fuerunt, neminem æternam ſalutem eſſe conſequutum, niſi à Chriſto, & per Chriſtum; idq; apud veteres Patres omnes in confeſſo fuiſſe.* Nunc videamus quas tandem in Patrum, vt ait, ſcriptis ſententias

 offen-

Digitized by Google

offenderit, quibus labefactari Baronij affirmationem putat. *Quod Clemens Alexandrinus non vno loco docere videatur potuiſſe homines per obſcuram illam Dei cognitionem, quam, duce philoſophia, aſſequuti ſunt ante aduentum Chriſti, ſeruari. Quòd Chryſoſtomus ab ijs Chriſti confeſſionem non exigat ad ſalutem; ſed illud modo, vt ab idololatria abſtinerent; ac Deum vnum colerent; ac vitam inſtituerent ex virtute. Quod Iuſtinus Chriſtianos, atque ſalutis æternæ participes eos faciat, qui iam inde ab orbe condito in officio; vitaq; rationem ducem ſequuti ſunt.* Quod *Euthymius ad 9. Matth Cap. ſcripſerit, Non veniſſe Chriſtum ad vocandos iuſtos; quia iuſti ipſi ſibi ad ſalutem ſufficiebant.*

De Euthymio non ita multo poſt videro. Quæ ex Clemente, Chryſoſtomo, Iuſtino citat, eò omnia referuntur, vt efficiant, eorum quidem ſententia; potuiſſe ante exortum Chriſtum homines, ſine eius cognitione, ſalutem conſequi; quod poſtea quàm conceſſero, expectabo quid ad labefactandam Baronij, vt ipſe loquitur, affirmationem, Caſaubonus afferat. Doceant enim ſanè, ſi ita libuerit, non tres ij tantum, ſed omnes omnino Patres pleroſque mortalium, cùm ne ſuſpicarentur quidem fore, vt Chriſtus aliquando naſceretur; ſalutem tamen, ac iuſtitiam conſequutos: quid impediet, quo minus ſalutem per Chriſtum dicantur conſequuti, ſi in Chriſto prædeſtinati, perque eius gratiam iuſtificati, ac regno donati ſunt? Neceſſe eſt igitur cum ijs Patrum teſtimonijs ad conuellendum viri doctiſſimi pronunciatum vtitur Caſaubonus, pro comperto eum accipere; Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam à fide eius vel nulla ratione diſtingui, vel non ſeiungi quidem certè; aut duas inter ſe maximè diſiunctas quæſtiones confundit. Aliud eſt enim quærere *num vllus omnino mortalium, ſine Dei per Chriſtum gratia vllo vnquam tempore ad iuſtitiam, vitamq; peruenerit*: aliud, *an mediatoris fides ad ſalutem ijs neceſſaria ſit, qui actus fidei exercere poſſunt*. Prior ad omnes omnino tum natu grandiores, tum infantes etiam pueros pertinet. Chriſtus enim *ſicut nullum à reatu liberum reperit; ne puerum quidem, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram; ita pro liberandis omnibus natus*, omnium æquè redemptor eſt. Poſterior ad eos propriè refertur, qui ſuo ipſi nutu fidem amplecti, & credere per ætatem poſſunt. Quas adeo diuerſas quæſtiones ſi miſcet, ac pro eadem planè accipit magnus hic ex Athenæo Theologus, eſt cur tantum acumen ac ſapientiam aulæ Britannicæ gratulemur. Si fidem mediatoris cum Chriſti gratia vel confundere, vel ita coniungere maluerit, vt altera alteram neceſſariò comitetur; niſi malit ad Anabaptiſtas deficere; confugiendum illi erit ad illud non repudiatum modò, ab omnibus, ſed irriſum etiam à pleriſq; Lutheri paradoxũ; *Infantes pueros dũ baptizantur, actu fidei ſuæ Chriſti iuſtitiam apprehẽdere, eoq; iuſtificari.* Id quidem certè Lutherus non modò Anabaptiſtis, aut Sacramentarijs nunquam probauit; ſed ne aſſeclis quidem

dem

dem ſuis,aut ſibi ipſi ita perſuaſit,vt hærere diutius in eo potuerint. Nam & VVitembergenſe conciliabulum ; quod cæteri deinde Lutherani ſequuti ſunt,quanuis tueri ſe Magiſtri ſententiam ſimulet; diſertè tamen negat; *Imaginandum eſſe, quòd infantes intelligant tum, cùm motus eos exercent, quos ſimiles eſſe motibus fidei,& dilectionis* aiunt. Et Lutherus ipſe cùm per occaſionem paradoxi illius ſui exortam Anabaptiſtarum hæreſim cerneret;eius inſaniæ pertæſus, tum in libro aduerſus eos edito anno cIↃ. IↃ. XXVIII. tum in Baptiſmo decennio ferè poſt emiſsis, illud apertè admodum repudiauit. Et verò,vt Beati Auguſtini hac ipſa de re ſcribentis ad Dardanum verbis vtar; *Neſcire diuina paruulos, qui nec humana adhuc nouerint, ſi verbis velimus oſtendere, verendum eſt, ne ipſis ſenſibus noſtris facere videamur iniuriam; quando id loquendo; vbi omnes vires, officiumque ſermonis facillimè ſuperat euidentia veritatis.* Hoc autem repudiato tam miſero deſperatoque perſugio, ſudandum videlicet erit Caſaubono, vt aut actum fidei in omnibus ijs inueniat, quos ſalutem conſequi apud omnes indubitatum eſt; aut regnum cœlorum ijs ſine gratia Chriſti impertiat, ſiue enim Petrum Martyrem, & Caluinum ſequutus,fidelium liberos,& eos, qui ex Abraham antè Chriſtum nati ſunt, ſanctos concipi, atque ad vitam acceptari conceſſerit; profectò fidem in ijs nullam inueniet, quæ Chriſti gratiam comitetur: cùm tamen eorum tam multi & olim ingreſsi ſint, & hac tempeſtate ingrediantur ad vitam, quàm multi ante decedunt, quàm vti ratione poſsint. Siue in Buceri ſententiam abire maluerit,qui parentum fidem nihil moratus, ad prædeſtinationem omnia refert, ac pueris prædeſtinatis ſiue fidelibus, ſiue infidelibus parentibus nati ſint, quamuis ſine baptiſmo deceſſerint,cœlum aperit: nihilo facilius in tanto puerorum cœtu fidem inuenire poterit, quam cum ea gratia Chriſti coniungat, qua per ipſum prædeſtinati ſunt ad ſalutem. Siue cum Eccleſia Catholica, à qua ne Lutherani quidem diſſentiunt, fateri malit remitti paruulis in baptiſmo peccatum originale, & ius ad regnum ac vitam æternam tribui; vt quoſcunque mors occupauerit antè, quàm noua ſe noxa inquinare potuerint, ij ſalutem ſine controuerſia conſequantur: ne hic quidem video,quem actum fidei comminiſci poſsit Caſaubonus. Ergo,ſi verè ſcripſit,vel Caſaubono adſtipulatore, Baronius, quicunque mortalium iam inde ab orbe condito ſalutem conſequuti ſunt, eos à Chriſto, & per Chriſtum eam conſequutos eſſe; non modò falsò, ſed etiam ineptè docet Caſaubonus Chriſti fidem à gratia, quæ iuſtificat impium, ac ſalutem impertit, nunquam poſſe ſeiungi. Nam quod Catholici credimus, fidem pueris,item vt ſpem,& caritatem diuinitùs infundi, cùm baptizantur: id verò Caſaubonus neque magis ſuſcepturus eſt quàm inhærentem iuſtitiam; neque verò ſi maximè ſuſcipiat,cùm ad habitum,non ad actum fidei referatur, quicquam iuuare cauſam eius poteſt.

Sed hominem in ſcholaſticis non exercitatiſsimum in fraudem induxerunt, quæ mox ex Iuſtino Martyre ſubiecit Baronius; *Iure cenſuiſſe eum* in Orat. ad Anton. *Chriſtianos eſſe nominandos quotquot ex gentibus, licèt aduentum Chriſti præceſſerint, ratione, quod ille μετὰ λόγου dixit ſermone Græco, vixerunt*. Quod ipſum cùm Auguſtini teſtimonio confirmaſſet; *In quam ſententiam*, inquit, *plurima dixere Græcorum vetuſti Scriptores; Origenes, Euſebius, Gregorius Nazianzenus, & alij*. Credidit nimirum Caſaubonus illa perinde ab eo addita, quaſi ad pronuntiati ſui probationem pertinerent; quibus nihil aliud effici videbat, niſi grandes iam natu, eoſque ſpectatæ virtutis viros, per Chriſtum adeptos eſſe iuſtitiam. Cùm potius ex eo, quippe apud Chriſtianos exploratiſsimo, confirmauit Baronius id, quòd Iuſtinus, alijque vetuſti Scriptores docuerant, in hunc ferè modum argumentatus; *Quotquot vnquam fuerunt ab exordio mundi à Chriſto, & per Chriſtum ſalutem conſecuti ſunt: rectè igitur cenſuit Iuſtinus Martyr eos etiam qui ſuperioribus ſæculis ex ratione vitam inſtituerunt, ſi ij quoque ſalutem conſequuti ſint, Chriſtianos re vera fuiſſe*. Quod facilè animaduertiſſet, ſi modò Dialecticis imbutus vim Baronianæ locutionis obſeruare potuiſſet. *In confeſſo*, inquit Baronius, *eſt apud omnes Patres: quotquot vnquam fuerint ab exordio mundi, non niſi à Chriſto, & per Chriſtum ſalutem conſequutos; Iure itaque cenſuit grauiſſimus doctor Iuſtinus Martyr Chriſtianos eſſe nominandos quotquot in gentibus, licèt aduentum Chriſti præceſſerint, ratione vixerant.* Quis autem dialecticis, vel leuiter tinctus neſciat *illatiuam*, vt ij loquuntur, eſſe vim vocis; *Itaque*; atque idem planè valere, quod vocem; *Ergo*; vel; *Igitur*; quibus particulis omnium confeſsione ſignificatur quippiam ex ijs, quæ dicta ſunt, neceſſaria conſequutione concludi. Quocirca etiam cùm prioris pronuntiati omnes omnino Patres adſtipulatores citaſſet Baronius, de poſteriore reſtrictius loquutus, primum de Latinis, vno excepto Auguſtino, quem nominatim protulerat; nihil affirmauit; ac ne de Græcis quidem, niſi, vt Dialectici loquuntur, *indefinitè*. *In quam ſententiam*, inquit, *plurima dixere vetuſti Græcorum Scriptores; Origenes, Euſebius, Gregorius Nazianzenus, & alij*. Qua loquendi moderatione multos eos eſſe indicat: omnes, an ſecus, nihil enunciat. Nam *indefinita* quidem enunciatio, ſi Dialecticis credimus, cùm de re non neceſſaria ſermo eſt, vim vniuerſè enunciandi non habet. Neque ſuccenſeo equidem Caſaubono, quòd has interpretandi ſermonis leges ignorarit, quas apud Diomedem, ac Priſcianum non reperit: illud potius reprehendo: quòd in Dialecticorum poſſeſsionem purus putus Grammaticus inuolarit.

Venio nunc ad Euthymium; qui cùm non ante duodecimum Chriſti ſæ-

Digitized by Google

ſti ſæculum vixerit, damnatis iam tanto ante Pelagianis, ſi quid ſecus ſenſiſſet, eſſet non in Patribus, ſed hæreticis numerandus. neque plus eius quidem auctoritas, quàm Pelagij, aut Cæleſtij, Baronianæ affirmationi poſſet officere. Nec ignoro equidem eum à viro doctiſsimo Semipelagianæ hæreſeos eo nomine accuſari: Sed mihi eo loco vera ſcripſiſſe ſemper viſus eſt. Certè enim, ſi quem iuſtum Chriſti gratia non fecit, ſed reperit; huic neceſſaria Chriſti merita, aut vocatio nequaquam fuit. Neque enim *ijs, qui bene valent, ſed malè habentibus medicus opus eſt*: quod ipſa Dei Patris ſapientia, hac ipſa de re diſputans confirmauit. Sed vt in humano genere nemo fuit, quem non deriuata à primo parente noxa filium iræ, ac perditionis effecerit; ita nemo fuit, qui Chriſti liberatoris vocatione & gratia non egeret.

Sed fac ſanè ita deſipuiſſe Euthymium, vt doceret, homines per Chriſtum ſemel iuſtificatos ipſos ſibi in poſterum ſatis eſſe; quid ex eo colligere potuit Caſaubonus, quo Baronij pronunciatum conuelleret? Nam ne ij quidem, ſi ita ſe res habet, niſi à Chriſto, & per Chriſtum ſalutem conſequerentur. Germen eſt enim iuſtitiæ gloria, & quicquid bonorum operum iuſtificatis ad gloriam proficit; ex iuſtitia, qua per Chriſtum filij Dei conſtituuntur, vim omnem ac pondus habet. Vt quæ ſi à peccatoribus fiant, nullius ſunt meriti, eadem ſi à iuſtis proficiſcantur, quippe filiorum per Chriſtum opera, beata æternitate ſint digna. Ergo etiam ſi & permanere in iuſtitia, & bona opera exercere ſine noua Chriſti gratia iam ante iuſtificati poſſent; tamen quia *gratis per Chriſtum iuſtificati, atque eruti de poteſtate tenebrarum, translati eſſent in Dei regnum, ac partem*; vt iuſtitiam, ita etiam gloriam, ac meritum ſuorum operum Chriſto deberent: &, vel ſic, verè dixiſſet Baronius in confeſſo eſſe apud omnes Patres; *Quicunque iam inde ab orbe condito ſalutem conſequuti ſunt, à Chriſto, & per Chriſtum conſequutos eſſe.* Vt igitur rem in pauca conferam; ſi cùm affirmat Euthymius *iuſtos ſibi ipſos ſatis eſſe; cùm peccatores & impij Chriſto ad pœnitentiam vocante opus habeant*; iuſtos eos intelligit, qui peccatores nunquam fuerunt; nulla ratione Baronio aduerſatur, qui de filijs loquitur perditionis Adæ. Si iuſtorum nomine Caſaubonus malit apud Euthymium eos intelligi, qui ſemel adeptam per Chriſtum iuſtitiam deinde retinent; ne ſic quidem efficiet Euthymium à Baronio in re, de qua nunc agimus, diſſentire, quanuis hæreſim alioqui doceat. Nam natura quidem filios iræ, qui iuſtitiam ſibi ipſi pepererint, apud Euthymium nunquam inueniet: qui tamen ipſi, ſi vlli eſſe poſſent, cùm ſibi ſatis in ſe pręſidij haberent; medico ſine dubio non egerent.

Ego verò, quãdo hic ſumus, ac de Chriſti mediatoris gratia diſputam⁹, libẽter quęſierim de Britãnicis ꝓteſtãtib. apud quos momẽto tẽporis Theologiã

Caſau-

Caſaubonus didicit; cùm in eam inſulam vix Grammaticus nauigaſſet, quid tandem ſibi voluiſſe eum putent, cùm illud Simeonis oraculum; *Poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum*; ita interpretatus eſt ipſo initio ſuæ ad Iacobum Regem Epiſtolæ; *Vt propter illum, & per illum alij in ruinam præcipitent, alij de morte tranſeant ad vitam.* Nam cùm præpoſitio, *Propter*, ad omnes cauſas atque occaſiones accommodetur, vtrumque intelligere poſſe mihi videor; qua ratione ij, quibus *Chriſtus eſt lapis offenſionis, & petra ſcandali*, quique à Deo abalienati pereunt; propter Chriſtum in interitum ruere dici poſſint, vel quod ſuo ipſi vitio inde occaſionem ruinæ petant, vnde ſalutem petere debuerunt; vel quòd ad Chriſti gloriam ipſum etiam pertineat damnatorum exitium; quo dum liberatos ſe ſentiunt, qui ſalutem per ipſum conſequuntur, diuinam in ſe, atque in humanum genus beneficentiam, alienæ miſeriæ cum ſua fœlicitate comparatione agnoſcunt. qua autem ratione quove exemplo *per Chriſtum* dicantur impij *in ruinam præcipitare*, equidem videre non poſſunt, niſi fortè, quos, Caluino auctore, ad peccatum mortemque ſempiternam ſuo ipſe nutu deſtinat Deus: ad exequendum deinde conſilium ſuum, eos per Chriſtum, velut inſtrumentum quoddam, in interitum dicatur impellere: aut vocem illam, quàm Chriſto, vt eſt in quinti Euangelij dogmatis, *conſternatio animi, dolorq; minus attendenti quid diceret, in horto extorſit oranti*; aut quam *è cruce pendens, ac gehennæ flammis ſuccenſus, cùm abalienatum ſe crederet, à Deo, plenam deſperationis emiſit*; ijs imputare dicatur Deus, quos abijcit, vt per Chriſtum peccatores conſtituantur impij, quemadmodum, qui ſalui fiunt, per Chriſtum iuſtificantur. Neque enim opinor iram Patris, atque æternos cruciatus meritis precibuſve ſuis cuiquam accerſere debuit is, cuius ſanguis *in remiſſionem peccatorum effuſus, multò melius clamat, quàm ſanguis Abel.* Certè ſi propitius ipſe per ſe humano generi iam ante fuiſſet Deus; mediatore non eguiſſet. Sin autem *omnes in Adam peccauerunt, & egent gloria Dei*; quid opus eſt alium quærere eorum perditionis auctorem, qui naſcuntur filij iræ? Ergo aut non liberantur per Chriſtum, qui vitam & regnum obtinent, ſi, niſi per Chriſtum, Deus humano generi infenſus non eſt; aut ſi noſtra illi labes, ac naturæ corruptio per ſeipſa odio eſt; non damnantur per Chriſtum, qui pereunt. Quid ruinæ atque interitus cauſam extrinſecus quærimus; quam à parentibus cùm ipſa natura ducimus? An veremur, ne peccatum per ſe Deus ſatis non oderit, niſi Chriſtus pretium ſui ſanguinis offerat, vt eius in nos iram accendat? Iam præ Caſauboniano hoc paradoxo veterum prædeſtinatianorũ impietas ſobrietatis, modeſtiæq; plena videbitur: illi enim infinitam Chriſti caritatem, prædeſtinatorum, pro quibus vnis oblatum contendebant mortis eius pretium, anguſtis finibus circunſcribebant: Caſaubonus, quibus liberatorem eum ademit, ijs facere voluit

luit etiam auctorem exitij. Et fortaſſe de tam tetra blaſphemia non cogitauit, cùm iſta ſcriberet: ſed cùm vim locutionis eius non ſatis caperet, ac ne rem quidem ipſam, de qua loquebatur, teneret; temerè ſe in eos impietatis laqueos induit.

Clemens Alexandrinus perperam à Caſaubono intellectus.

CAPVT II.

CONSILII non fuit ſuperiore capite teſtimonia Clementis, atque Chryſoſtomi diligentius expendere. cùm id modò docere vellem Caſaubonum rerum Theologicarum ignoratione gratiam, ac fidem mediatoris, res longè diuerſiſsimas, quarum altera latius multò patet, quàm altera, inter ſe permiſcuiſſe; nunc ea ipſa ſub incudem reuocanda; atque probandum eſt, Caſaubonum nihilo felicius in Patrum, quàm in Baronij ſcriptis eſſe verſatum.

Ac tota eius ex Clemente diſputatio ad hanc ratiocinationem facilè reuocari poteſt. *Operum Dei contemplatio, in qua ſola philoſophia verſatur, ad notitiam Chriſti neminem vnquam perduxit. Exiſtimauit autem Clemens cognitionem eam, quam ex creatura mundi de Deo philoſophi conſequuti ſunt, ſatis illis ad ſalutem fuiſſe: exiſtimauit igitur Clemens Chriſti notitiam minimè neceſſariam illis ad ſalutem fuiſſe.* Qua in ratiocinatione, quod cætera ſatis explorata crederet, aſſumptum probare Clementis teſtimonijs neruis omnibus nititur. Sed vt difficilè eſt in Theologorum ſcriptis hominem Theologicis non ſatis eruditum, ſine errore verſari, permulta tota diſputatione peccat, neque quicquam magis quàm inſcitiam ſuam probat. Cùm enim non ſatis teneret quis vel veteris legis, vel naturalis ipſius luminis vſus ad iuſtitiam fuerit; aut quàm variè iuſtitiæ nomen in Scripturis vſurparetur; miſerandum in modum hallucinatus eſt.

Nam legis per Moyſen à Deo Iudæis datæ ea fuerunt præcipua commoda. primùm, vt vera docendo, ex eorum animis prauas de Deo, rebuſque diuinis opiniones euelleret; eoſque ad verum ac legitimum Dei cultum informaret. deinde, vt imperando, vetandoque, fas, nefaſque diſtingueret; doceretque quid agendum, quid fugiendum eſſet. denique, vt cùm ius, faſque iam ante docti, experimento comperiſſent homines ſibi nequaquam ſatis eſſe virium ad virtutem capeſſendam, fugiendumque contrarium, ſibi ac naturæ diffiſi, ad eius opem confugerent, qui ſolus vires ſuppeditare poteſt: id quod acceptum ab Apoſtolo, grauiſsimis verbis perſæpè repetit Auguſtinus. Quo etiam illa pertinent, quæ p. 2. q. 44. a. 6. ſcripta reliquit S. Thomas, *fuiſſe neceſſarium legem ſcriptam dari in remedium humanæ ignorantiæ:*

quia per legem eſt cognitio peccati, vt dicitur Roman. 6. ſed poſtquam homo eſt inſtructus per legem, conuictam eſſe eius ſuperbiam de infirmitate, dum implere non poterat, quod cognoſcebat. Et ideo ſicut Apoſtol. concludit ad Rom. 8. quod impoſſibile erat legi, in qua infirmabatur per carnem, miſit Deus filium ſuum, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.

Quæ ad ſalutem præſidia rudia illa quidem & inchoata; ſed tamen proportione quadam Ethnicis in philoſophia reſpondebant. Qui *è creatura mundi inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpicere; ac ſempiternam eius virtutem, & diuinitatem poterant*; ita, vt quemadmodum ſcribit Apoſtolus, *ſint inexcuſabiles, qui cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, neque gratias egerunt.* Accedebant ad hæc Ethicæ diſputationes, quibus ad vitam ex virtute inſtituendam, quantum quidem naturali lumine fas eſt, informabantur. Cùm verò ſæpius experti in ipſo ad virtutem conatu deficerent; atque *à concupiſcentia ſua abſtractos, & illectos* ad vitium, vel inuitos trahi ſe cernerent; ſatis nimirum intelligere potuerunt ſuperandis cupiditatibus, ac vitæ ſecundùm rationem inſtituendæ humanam naturam imparem eſſe; atque ab eo poſtulandas eſſe vires, à quo vitam ipſam, ac naturam accepiſſemus.

Quanquam igitur multò maioribus præſidijs ad ſalutem inſtructi erant ij, quos Deus, demiſſa è cœlo lege, per ſe ipſe inſtituiſſet, quid de ſe credere, quid reſpuere, quid amplecti deberent, quis, aut vnde naturæ humanæ morbus, quis mediator Dei & hominum, quæ impios ſupplicia, quæ bonos præmia maneant: cùm eorum nonnulla vix ſuſpicari, alia ne ſuſpicari quidem, philoſophia duce, Ethnici poſſent; vtriſque tamen ad ſalutem patebat aditus, vt ſi legem naturæ ſecuti, vitam ex virtute degerent Ethnici, etiam ad cœlum admitterentur, ad eum planè modum, vt notat S. Thom. quæſt. illa 44. a. 5. ad 3. quo nunc laici, *quamuis ad clericatum non tranſeant, neque ſæculares ad religionem, poſſunt ſaluari.* Quod etſi ſupernaturalem Dei notitiam, ac dilectionem inſpirare philoſophia non poterat, ſine quibus ſalus nequaquam conſtat; ſi quis tamen obſcura illa, ac tenui cognitione vſus, vires ad vitam ſecundùm rationem inſtituendam ab eo petiſſet, *qui dat omnibus affluenter, & non improperat*; eum maioribus gratiæ donis præueniſſet ac ſenſim promouiſſet Deus, dum tandem naturalibus excultum, ac perpolitum virtutibus ad rerum ſupernaturalium, eorumque myſteriorum cognitionem, ſine quorum notitia ſalus conſtare non poteſt; vel ipſe per ſe, vel per angelum, aut prophetam aliquem perduceret, ac ſupernaturali demum fide, & caritate donatum, iuſtificaret in Chriſto.

Neque verò quidquam aliud ſibi volunt Theologi, cùm diſputant ſolam naturæ legem fuiſſe olim Ethnicis ad ſalutem ſatis. Neque enim exiſtimant

ſatis

Digitized by Google

ſatis eſſe in natura ipſa virium ad præcepta ſupernaturalia facienda; cum in ea, ne ad exequendam quidem totam naturæ legem ſatis præſidij ſitum eſſe fateantur. Sed id vnum docent, ſi ex virtute, ac ratione ſecundùm naturam vixiſſent; non defuturam illis fuiſſe gratiam, qua perducerentur ad vitam æternam. Quod in Centurione Cornelio apertiſsimè videre licet; qui cùm eſſet, ipſo Spiritu S. teſte, *vir religioſus, ac timens Deũ cũ omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper*, iuſſus eſt per Angelũ Petrũ Apoſtolũ accerſere, à quo diſceret myſteria fidei; *quod orationes eius & eleemoſynæ eius aſcendiſſent in memoriam in cõſpectu Domini.* Quem in locum Chryſ. ho. 22. in Acta Apoſt. *Vidiſtis*, inquit, *quanta ſit eleemoſyna virtus & in priore, & in ſequenti ſermone; illic à temporali morte liberat* (Tabitham, quam Petrus Apoſtolus reuocauerat ad vitam) *hic ab æterna, & ianuas aperuit cæli*; Centurione nimirum ad Chriſti fidem, atque ad baptiſmum perducto. Ita preces illæ ac bona Centurionis opera, ſi Chryſoſtomo credimus, viam illi ad iuſtificationem per Chriſti fidem ſtrauerunt. Id quod videtur ex ijs colligi quæ tum 10. illo tũ 11. capite Scriptura commemorat. Sic enim ad ſe loquentem Angelum cap. 10. ver. 31. facit ipſe. *Corneli, exaudita eſt oratio tua, & eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei. Mitte ergo in Ioppen, & accerſe Simonem, qui cognominatur Petrus*; hoc videlicet ſignificante Spiritu ſancto, quòd iuberetur Cornelius, accerſito Petro, Euangelium audire; id eleemoſynis eius, ac precibus eſſe conceſſum. Porrò Euangelium eam ob rem iuſſum Centurionem audire, quod fides illi ad ſalutem, atque iuſtitiam eſſet neceſſaria ex ver. 14. 11. cap. ſatis videtur conſtare. Cur enim Petrus accerſeretur, hanc cauſam affert Angelus; *Qui loquetur tibi verba, in quibus ſaluus eris tu, & vniuerſa domus tua.* Quapropter lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 7. B. Auguſtinus: *Solet dici*, inquit, *ideò credere meruit, quia vir bonus erat & antequam crederet. Quod de Cornelio dici poteſt, cuius accepta ſunt eleemoſynæ, & exauditæ orationes ante, quàm credidiſſet in Chriſtum. Nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo inuocabat, in quem non crediderat? Sed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſaluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apoſtolus Petrus.* Ergò, Auguſtini ſententia, quamuis nonnulla fide imbutus eſſet, cùm religiosè Deum, & veneraretur, & timeret; fidem tamen, quæ ad iuſtitiam ſatis eſſet, non habebat.

Ac ferè conſentiunt Scholaſtici, quod in Cẽturione Cornelio geſtum eſt, hoc idem in cæteris geſtum iri; qui acceptis à Deo naturę viribus, quantũ in ſe eſt, ad virtutem atque honeſtatem nitantur. Vnde ortum eſt vulgatiſsimum illud Theologorum pronunciatum; *facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.* Quod vſque adeò certum, atque indubitatum fuit apud S. Thomam, vt is p. 2. q. 84. a. 6. ſine hæſitatione docuerit infantem puerum,

 vbi

vbi primùm ratione actiones ſuas moderari poſſe cœperit; *ſi ſeipſum ordinauerit ad debitum finem, conſequuturum per gratiam remiſſionem originalis peccati*. Ordinationem porrò illam quam exigit S. Thomas *ad debitum finem*, motum eſſe planè naturalem voluntatis, quæ ſequuntur apertè demonſtrant. *Si verò*; inquit; *non ordinauerit ſeipſum ad debitum finem, ſecundùm quod in illa ætate eſt capax diſcretionis; peccabit mortaliter: quia non facit, quod in ſe eſt.* non peccaret igitur, ſi faceret, quod in ſe eſt: ſi autem non peccaret, S. quidem Thoma auctore, iuſtificationem continuò conſequeretur per gratiam: ergo ſi faceret quod in ſe eſt; iuſtificaretur. Cùm autem præceptum illud conuertendi ſe ad Deum ipſo ſtatim rationis initio, ex naturali iure repetat S. Thomas, quia alioqui teneri eo præcepto puer non poſſet, de quo nihil vnquam audiſſet. nimirum ſi ſe puer ad Deum qua ratione naturæ viribus poteſt primo illo orientis rationis initio conuerterit, accuſari omiſsionis non poterit. Neque verò naturale præceptum ſupernaturalem actum poteſt exigere, quo impleatur. Exiſtimat ergo S. Thomas vel vnicum adnitentis ad bonum pueri illius motum ſatis eſſe, vt Deus illi ne deneget auxilia gratiæ, ac tantam myſteriorum notitiam, quanta ſatis eſt ad iuſtificationem conſequendam. Imò verò, quod mirere, a. illo 6. in reſponſione ad 3. ex eo Zachariæ loco diuinum hoc præceptum confirmat S. Thomas, quo Dominus dicit; *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Quod ſi verè ab eo ſcribitur, naturali iſti conuerſioni ad Deum coniuncta erit diuina promiſsio, fore, vt *facienti, quod in ſe eſt, Deus non deneget gratiam*. Quo etiam ſpectare videtur illud Apoſtoli Petri Actor. 10. ver. 34. & 35. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Quæ cùm per occaſionem Centurionis Cornelij dicta ſint, cuius eleemoſynas & orationes reſpexit Deus, vt eum vocaret ad fidem; non videntur intelligi poſſe, niſi de operibus naturalibus, quorum occaſione Deus gratiam deinde largitur ad ſupernaturalia exercenda. Id porrò, ſi verum eſſet, Apoſtolico iam oraculo confirmaretur; ei, qui ſecundùm naturam, ac rationem vitam inſtituiſſet, diuino decreto ſemper ad futura auxilia gratiæ, quibus ad ſalutem, ſi voluerit, perducatur. Quæ ita ne re ipſa conſtituerit Deus, non diſputo. Sed & S. Thomæ bono inprimis auctori placuiſſe video: neque dubito, quin nullo gratiæ ſuæ diſpendio conſtituere potuerit: ſi vt in Sacramentorum vſurpatione rebus verbiſque per ſe merè naturalibus per Chriſti merita gratiæ habitualis infuſionem annexuit; ita facientis, quod in ſe eſſet conatui, alioqui naturali ac nulla id ratione merenti, auxilia ſupernaturalia annectere per Chriſti merita voluiſſet.

Quanquam autem hæc ita eſſent; neque cuiquam ſeriò ad bonum; atque honeſtatem adnitenti Deus denegat auxilia gratiæ, quibus ad iuſtitiam, ſalutem-

lutemque proficiat; illum tamen ipſum conatum, & qualemcunque humani arbitrij vſum, vt ego quidem exiſtimo, Deus in illis operaretur, quorum miſereri conſtituiſſet; Qui primùm *miris ijs, atq; ineffabilibus modis.* quos toties commendat Auguſtinus, eorum corda incitat, vt rationem in vita inſtituenda ducem ſequi velint; tum vt fatiſcente ſæpius in ipſo conatu natura, animum ad ſeſe reflectant, ac viribus deſtitui ſentiant; deinde impellit, vt *de neceſsitatibus ſuis erui ſe* ab eo petant, *in quo vno auxilium ſuum* repoſitum eſſe vident; mox ſuppeditandis peculiari auxilio viribus iuuat, vt quæ concupierunt, perficiant; denique iam perfectis, abſolutiſque morali iuſtitia, fidem eam, *quæ per dilectionem* operatur, inſpirans, ſupernaturali etiam ſanctitate donat, vt ſalutem conſequantur in Chriſto. Quocirca, quanuis verè Scholaſtici vulgò doceant, ſi quis rerum cœleſtium prorſus ignarus, atque humana omni ope deſtitutus, ſecundùm naturam viueret, vel ipſum per ſe, vel per angelum affuturum de cœlo Deum, qui eum ad iuſtitiam erudiret; ſi quis tamen is eſſet, non ille Deum bene viuendo præueniret; ſed, vt bene viueret, prçueniretur à Deo, cùm, extra controuerſiam, nemo non iuſtificatus ſine peculiari auxilio gratiæ carere peccato nouo diu poſsit. Quo ſpectant ea B. Auguſtini lib. de Prædeſt. Sanct. c. 7. *Quicquid & antequam in Chriſtum crederet & cùm crederet, & poſtquam credidiſſet, bene operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt; ne fortè quis extollatur.*

Ergo totum illud, quicquid eſt, boni, quod in obſeruandis legis naturalis mandatis poſitum eſt, quanuis ſecundùm ſubſtantiam naturale fortaſſe ſit; tamen ſecundùm modum opus eſt diuinæ gratiæ animam ſenſim præparantis ad veram, perfectamque iuſtificationem. Vbi verò ſupernaturalis myſteriorum cognitio, atque ea, quæ fidem animat dilectio, cum ſpe ſupernaturalium bonorum acceſſerit, quibus ad iuſtificationem proximè diſponitur anima; tum verò quicquid operatur Deus in libero hominis arbitrio, ad diuinam gratiam non tantum ſecundùm modum, ſed etiam ſecundùm ſubſtantiam pertinet.

Iuſtitiæ porrò, & iuſtificationis vocabula non idem ſemper in ſacris literis ſignificant. S. quidem Thomas p. 2. q. 100. a. 12. varias horum nominum ſignificationes affert, vt oſtendat qua ratione legis præcepta iuſtificaſſe homines dici poſsint. *Nam ſicut ſanum,* inquit, *propriè & primò dicitur quod habet ſanitatem, per poſterius autem quòd ſignificat ſanitatem vel quod conſeruat ſanitatem; ita iuſtificatio primò, & propriè dicitur ipſa factio iuſtitiæ: ſecundario verò, & quaſi impropriè poteſt dici iuſtificatio ſignificatio iuſtitiæ, vel diſpoſitio ad iuſtitiam. quibus duobus modis manifeſtum eſt, quod præcepta legis iuſtificabant, in quantum ſcilicet diſponebant homines ad gratiam Chriſti iuſtificantem, quam etiam ſignificabant: quia ſicut dicit Auguſtinus contra Fauſt. etiam vita illius populi prophetica erat, & Chriſti*

Digitized by Google

figuratiua. ſubijcit deinde alias huius nominis ſignificationes; *vt refertur ad ipſam iuſtitiæ factionem.* Nam *iuſtificationem vno quidem modo dici ſecundùm quod homo fit iuſtus adipiſcens habitum iuſtitiæ: alio verò modo ſecundùm quod opera iuſtitiæ operatur. cùm autem iuſtitia duplex ſit; acquiſita, & infuſa; acquiſitam quidem cauſari ex operibus, ſed infuſam cauſari ab ipſo Deo per eius gratiam; atque hanc eſſe verè, & propriè iuſtitiam, ſecundùm quam aliquis dicitur iuſtus apud Deum, ſecundùm illud Roman. 4. ſi Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt; habet gloriam, ſed non apud Deum. Rurſus, cùm iuſtitia alia generalis, alia ſpecialis ſit (nam generalis iuſtitia eſt omnis virtus; vt dicitur in 5. Ethicor. ſpecialis eſt ea, quæ conſiſtit circa contractus humanæ vitæ, qui ſunt inter homines adinuicem)* iuſtificatio item, ſiue executionem ipſam iuſtitiæ; quæ in actione poſita eſt, ſiue habitum ſpectes, neceſſariò duplex erit. Nam quemadmodum iuſtus dicitur, qui mandata omnia ſeruat; ita iuſtificari dicetur ſiue dum ea exequitur, quæ iubentur, ſiue dum habitus virtutum aſſequitur. quod in *ſpeciali* iuſtitia perſpicuum eſt. Quæ cùm ita ſint, diligenter diſtingui neceſſe eſt iuſtificationis & iuſtitiæ nomen, ne ambiguitate vocabuli in ſcriptis Theologorum fallamur. Nam philoſophia quidem ipſa per ſe iuſtificare homines dici potuit; primùm vt ad excipiendos ſupernaturales gratiæ ſatus animam præparabat ea, quam ſupra diximus, ratione. deinde quod moralium virtutum, vel actus exequebatur; vel habitus ipſa exequutione acquirebat. Lex Moyſis & hæc omnia multò præſtabat cumulatius, quàm philoſophia; & additis cœremonialibus præceptis, futuram olim veram in Chriſto iuſtitiam ſignificabat.

Hæcè Theologorum diſputationibus ad intelligenda ea, quæ ex Clemente citat Caſaubonus huc fuerunt neceſſariò transferenda. Quæ ſi vel primoribus, vt aiunt, labijs aulicus hic Theologus attigiſſet; nunquam tanto, ac tam vetuſto Patri tam atrocem iniuriam feciſſet.

Clemens Alexandrinus, inquit, *inexhauſta doctrina vir, affirmat Iudæis legem Moyſis, gentibus philoſophiam ante Chriſti aduentum, & eam, quam ipſe appellat vniuerſalem vocationem, Græcorum & Iudæorum ad ſalutem ſuffeciſſe.*

Si hæc his ipſis verbis diceret Clemens; tamen cùm commodam interpretationem paterentur, iniqui admodum lectoris eſſet in deteriorem partem interpretari. Satis enim fuiſſe, vel legem, vel philoſophiam diceremus, quòd qui ſecundùm eam viuerent ijs reliqua omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria eſſent per Chriſtum concedere conſtituiſſet Deus: ſed cùm ne ipſa quidem vir egregius loquutus ſit, peruerſi ac maligni ingenij fuit verba eius in tam alienam à pietate ſententiam trahere. Caſaubonus quidem hæc è 7. Strom. verba profert, vt doceat Clementem in ea hæreſi fuiſſe. Ἰουδαίοις μὲν νόμος, Ἕλλησι δὲ φιλοσοφία μέχρι τῆς (τοῦ Χριστοῦ) παρουσίας. ἐντεῦθεν δὲ ἡ κλῆσις ἡ καθολικὴ εἰς

περιου-

Digitized by Google

περιούσιον δικαιοσύνης λαὸν κατὰ τὴν ἐκ πίστεως διδασκαλίαν. *Iudæis quidem lex, Græcis autem philoſophia vſque ad* [*Chriſti*] *præſentiam, deinde verò vocatio vniuerſalis in peculiarem iuſtitiæ populum, ſecundùm eam, quæ ex fide eſt diſciplinam.* Quibus verbis nihil aliud docet Clemens, niſi id, quod nemo ſanus negare poteſt, fuiſſe olim Iudæis legem pædagogi loco, Gentibus philoſophiam; dum reuelato tandem Chriſto, in vnum veræ iuſtitiæ populum per fidem conuenirent. Id verò diſertè libro eius operis primo vir erudítiſsimus ſcribit; *Ipſa quoque*, inquit, *philoſophia Græcos pædagogi modo docebat, ſicut lex Hebræos. Præparat ergo philoſophia viam ei muniens, qui à Chriſto perficitur.* Quæ tum demum impietatis damnabimus, cùm pro virulenta ſua ſapientia Apoſtolum Paulum erroris conuicerit Caluinianus pædotriba, quod Gal. 4. legem *pædagogum noſtrum* appellat in Chriſto.

Pergit Caſaubonus Clementem calumniari. *Libro eodem*, inquit, *iam ante dixerat Deum non à certo tempore (puta ex quo miſſus eſt in terram filius Dei)* προσωπολήπτην *non fuiſſe; imò contra abſque acceptione, aut diſcrimine perſonarum, omnibus mortalibus viam ad ſalutem patefeciſſe.*

Iam Apoſtolo Petro timeo ne apud Nabuzardanem aliquem Pelagianæ impietatis accerſatur. Eius enim profectò hæc verba ſunt Act. 10. ver. 34. & 35. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Viam ergo iam inde ab orbe condito mortalibus omnibus ad ſalutem patefecit Deus, *ſi eum timeant, & iuſtitiam operentur.* Quòd ſi *ſobriè, & piè, & iuſtè viuenti* cuipiam miſericordię viſcera clauſiſſet, perſonarum acceptor fuiſſet Deus, qui nationem, aut hominem, non peccatum in ijs auerſaretur. Sed vt hoc ipſum præſtare non modo poſſent; verùm etiam vellent nonnulli, diuinæ clementiæ fuit ſegregantis eos per gratiam ex maſſa perditionis, in qua cæteros iuſto iudicio dereliquit; quibus ita dedit, vt poſſent, vt non largiretur vt vellent euadere.

Sed vrget Caſaubonus; *& ſi fatetur eo loci Clemens notitiam Dei, quam habuerunt gentes, fuiſſe* ἀμαυρὰν *& obſcuram; non tamen dubium exiſtimaſſe eum, potuiſſe homines per illam Dei cognitionem ſeruari.*

Monerem hominem, ſi viueret, ne in probanda re minimè dubia tantoperè laboraret, cùm loqueretur ipſa per ſe. Aut ſi dubiam eam nobis rudioribus eſſe putaret, quam ipſe, quo erat acumine, compertam, atque exploratam haberet; apertè diſtinctéque diſputaret. Nam vt Scholaſticorum verbis vtar, obſcuram illam Dei notitiam, quam Ethnicis tribuebat philoſophia, remotè ſatis ad ſalutem fuiſſe, ne ego quidem inficias iuerim exiſtimaſſe Clementem: quod ſi ea vſi vires à Deo poſtulaſſent, ac mores ad officium, honeſtatemque compoſuiſſent; cætera omnia, quæ facerent ad ſa-

ad ſalutem, liberaliter conceſſurus fuerit is, qui hoc ipſum tribuerat per gratiam ſuam. Sin tenuem illam obſcuramq; notitiam Dei, proximè ſatis fuiſſe Clementis ſententia contéderet: hic enim verò Caſauboni auctoritatem nihil moratus, probationem ab eo tantæ rei requirerem.

Idcirco, inquit, *tot locis legem, & philoſophiam duo teſtamenta appellat ab eodem Domino diuerſis populis in eundem ſinem tradita. Eodem libro; Quemadmodum volebat Deus Iudæos ſeruari, cùm Prophetas illis dabat; ſic & Græcorum probatiſsimos quoſq; proprios illis in ſua lingua prophetas excitando, prout ipſi Dei beneficium capere poterant, ab hominum vulgo ſecernebat.*

Sunt iſta: ſed philoſophiam Ethnicis proximè ſatis ad ſalutem fuiſſe, non magis efficiunt, quam Caſaubonum quod linguarum cognitione inſtructus eſſet, quæ vſui eſſe Scripturæ ſtudioſis poſſunt, ſacris etiam literis, in quibus tam parum intelligebat, fuiſſe non mediocriter eruditum. Certè quia metere volumus, aramus, terram ſubigimus, ſementem facimus, quæ ad meſſem ipſam remotè, non proximè pertinent. Quidni igitur etiam potuerit Deus, quod vitæ æternæ participes Ethnicos eſſe vellet, philoſophiam ijs largiri, ex qua gradum deinde ad ea facerent, quæ eſſent viciniora ſaluti? Sed Dialecticus non præſtantiſsimus, quid cui conſequens ſit non admodum perſpicit. Reliqua videamus.

Solet etiam idem alibi legem, & philoſophiam appellare βαθμοὺς καὶ ὑποβάθρας τῆς κατὰ χριστὸν φιλοσοφίας *gradus, & quaſi ſcalas Chriſtianæ philoſophiæ.*

Quid huic homini facias, quem adeo excæcauit Britannicæ coquinæ fumus, vt ne ea quidem viderit, quæ ante oculos verſabantur. Certè, quid ſit legem & philoſophiam remotè ad ſalutem facere, & quædam eſſe Chriſtianæ diſciplinæ veluti rudimenta, melius explicari, atque ſub oculos poni non potuit, quàm ſcalarum, & graduum ſimilitudine. Neque enim continuò qui infimum gradum aſcenderit, ſummum tenet; & tamen ad ſummum per infimos peruenitur: neque, niſi ab inſano, negari poteſt nihil aliud in infimorum graduum aſcenſu ſpectari, quàm vt veniatur ad ſummos; cùm tamen toto ſcalarum interuallo inter ſe primi, atque infimi diſtent. Sed ea Clementis verba qua ratione interpretetur Caſaubonus, operæpretium eſt audire.

Rectè, & verè, inquit, *ſi appellatione philoſophiæ illud intellexit, quod Paulus nominat* τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ *quod notum eſt Dei, Rom. 1. 19. opera nempè Dei, quæ mortales ad creatoris aliquam notitiam poſſunt perducere; & amplioris cognitionis deſiderium, ſi mens ipſis non læua; in eorum animis ingenerare.*

Quo loco, niſi ſcurram agit, ac de induſtria deſipit, planè furere videtur. Cùm enim philoſophia cognitio quædam ſit, *quod autem notum eſt Dei*, ſit id

quod

Digitized by Google

quod aſſequi de Deo cognitione poſſis, aut, vt mauult Caſaubonus; *opera ipſa Dei, quæ mortales ad creatorem aliquam notitiam poſſunt perducere*, qui venire illi ſano, ac ſui compoti in mentem potuit philoſophiam eſſe *id, quod notum eſt Dei?* Iam quod τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ quod vocat Apoſtolus, *opera Dei interpretatur, quæ ad nonnullam conditoris ſui notitiam perducere mortales poſſunt*; quam ſit conſentaneum lectores videant. Nam & ipſa loquendi ratio apud Apoſtolum id exigere videtur; vt *quod notum eſt Dei*; ſignificet id, quod de Deo ſcitur; quod in res creatas, niſi impropriè, profectò non conuenit: & verò *inuiſibilia Dei, ſempiternam quoq; virtutem, & diuinitatem eius* ab ijs agnitam Paulus eo loco ſcribit: quibus, *quod notum eſt Dei, manifeſtum fuiſſe* memorat, quæ ipſa *per ea, quæ facta ſunt*, de Deo propriè dici, ſciríque poſſunt. Rectè igitur, ac verè Clemens, ſi ethnicam philoſophiam ita gradum ad Chriſtianam diſciplinam eſſe voluit, vt tu interpretaris, Caſaubone. Quid? aliud ne tibi ijs verbis videtur ſibi voluiſſe? Etiam, inquit. Quid tandem?

Cæterum, inquit, *Clemens philoſophiæ nomine eiuſmodi notitiam intelligit, per quam ad iuſtificationem impij poſſet perueniri. affirmat hoc diſertè libro primo eiuſdem operis* καθ᾽ ἑαυτὴν ait ἐδικαίου ποτὲ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας *philoſophia quondam per ſe Græcos iuſtificabat.*

Si, quod alias hominem monui, *quam norat artem, in ea exercere ſe* voluiſſet; nunquam tam pueriliter ineptiſſet. Homo hebes, neque in ſacris literis admodum verſatus, auditum iuſtificationis nomen, ad eam iuſtitiam retulit, qua homines coram Deo *de immundis mundi fiunt, & de peccatoribus iuſti.* Ridiculè. Quid enim apud Apoſtolum Paulum ſæpius occurrit, quàm *iuſtitia, quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu*, velut ex aduerſo oppoſita *iuſtitiæ, quæ ex lege eſt, iuſtitia operum. iuſtitiæ*, quam ſuam etiam nonnunquam appellat? Quod ſi ambiguum eſt iuſtificationis, iuſtitiæque vocabulum, ac poteſt *ex operibus iuſtificatus habere gloriam, ſed non apud Deum*; potuit *philoſophia ipſa per ſe homines iuſtificare; neq; tamen ad iuſtificationem impij ſatis eſſe:* quod Græci dum ratione duce, *ſine lege quæ legis ſunt facerent*; & exequerentur quæ iuſta ſunt, cum ſibi habitum iuſtitiæ compararent: quem lib. 5. Ethic. cap. 1. extremo *non virtutis partem, ſed virtutem integram* (quod omnem officij partem, atque, vt eſt in veteri prouerbio, *virtutes omnes* amplectatur) *cuiq; oppoſitum vitium non vitij partem, ſed integram vitioſitatem eſſe ſcribit Ariſtoteles*. Ex quo niſi pſittacorum more voces ſonare, nec ſubiectam ijs notionem intelligere conſueuiſſet Caſaubonus, hoc diſcere potuiſſet.

Qua item ſignificatione vocem eam vſurpaſſe videtur is, qui *Iuſtum, ac tenacem propoſiti virum* deſcribit eum, quem; *Non ciuium ardor praua iubentium,*

Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida.

 Qua-

Digitized by Google

Quales fuiſſe Ariſtidem, qui nimis etiam iuſtus ciuibus ſuis videbatur, Socratem, Heraclitum, Camillum Coruncanum, Fabritium, Catonem memorant. Quales etiam eſſe eos omnes exiſtimant, qui ſine exceptione vllâ viri boni, frugi, innocentes in ciuili ſocietate dicuntur. Quo illud pertinet M. Tullij; *Iuſtitia ex qua vna virtute viri boni appellantur.* Cæterum iuſtitiam hanc, quam è Philoſophia proficiſci Clemens arbitratur, ſine fide ſatis ad ſalutem non fuiſſe auctor eſt ipſe lib. 1. ſtrom. *Abraham*, inquit, *non ex operibus iuſtificatus eſt; ſed ex fide. Nihil ergo eis* (Ethnicis, qui ex ratione vitam inſtituunt) *poſt finem vitæ proderit, etiamſi nunc rectè operentur, niſi fidem habeant. Propterea enim Græca voce expoſita ſunt ſcripturæ, vt nullum vnquam ignorantiæ poſſent prætextum afferre.* Eam igitur fidem in Ethnicis etiam Clemens requirit ad ſalutem qua iuſtificatus eſt Abraham, quæque petitur ex ſcripturis; quas eam ob rem diuino conſilio Græce redditas exiſtimat, vt ne eo quidem ad ſalutem præſidio deſtituerentur Ethnici. Delectarunt me mirum in modum, quæ Iacobus Sirmondus Societatis noſtræ Theologus in primis eruditus, hæc de re ſcripſit. *Patrum*, inquit; *ſcripta quæ citat Caſaubonus, peſſime interpretatur, vt cum Clementem Alexandrinum in ea vult hæreſi fuiſſe, vt in ſtromatis ſuis doceat, philoſophiam gentibus ad ſalutem ſufficiſſe, perque eam ad iuſtificationẽ impij potuiſſe peruenire: quorũ vtroq; nihil abſurdius, nihil à Clementis mente fingi potuit alienius. Ignorabat nimirũ triplicẽ à Clemente iuſtitiã in illis libris diſtingui κατὰ φιλοσοφίαν, κτ̃ νόμον, κτ̃ χριστὸν, ſecundũ philoſophiam, id eſt, gentilem, ſecundum legem, id eſt Iudaicam, & Chriſtianam Porro ſecundum legem appellatur*, Iudæus, qui congruenter *legi Moſaicæ viueret; ſic iuſtus ſecundum philoſophiam gentiles, qui ex Ethnica philoſophia diſciplina religionem, moreſque componerent. Quos re ipſa idololatras, fideique expertes fuiſſe docet lib. 6. Quomodo ergo ſaluari potuiſſe illos ſine fide crederet, quam ipſemet lib. 2.* πρώτην σωτηρίας νεῦσιν, *primam ſalutis inclinationem vocat?* Itaque cum philoſophiam προπαιδείαν & βαθμὸν & ὑποβάθραν τῆς κτ̃ χριστὸν φιλοσοφίας, *id eſt praeuiam inſtitutionem, gradum & ſcalas* Chriſtianæ philoſophiæ gentibus fuiſſe ſcribit; non eo ſenſu, dicit, quaſi quenquam ad Chriſti notitiam, ſalutemque perduceret: ſed quod philoſophia multis licet erroribus aſperſa, qualicunque tandem religionis imagine, morumque diſciplina hominum mentes εἰς παραδοχὴν πίστεως ad fidem Chriſti, ſi quando inſinuaretur, aſſuefaceret. Quam quia in hac vita non eſſent conſequuti, propterea Chriſtum affirmat Clemens, gentibus ſimul, Iudæiſque (quos fidei quoque expertes fuiſſe tradit) Euangelium apud inferos prædicaſſe, vt eos, qui credere vellent, ſaluaret. Quam opinionem ex Petri Apoſtoli verbis male acceptis natam *reijcit Auguſtinus epiſt. XCIX.* Quæ non ideo memoro, quod multum intereſſe putem ſi quid in libris Cle-

mentis

Digitized by Google

mentis inueniatur cum Catholica fide minus conſentiens, cum ſatis conſtet, vt in libro ſuo de ſcriptoribus Eccleſ. monet Bellarminus, reperiri in eo *ſiue hæreticorum fraude, ſiue errore humano ſententias aliquas, quæ errorem ſapiant; ob eamque rem in Romano quodam Concilio à Gelaſio Papa eius opuſcula relata eſſe inter apocrypha:* ſed in præſentia Caſauboni inſcitia ea etiam, quę recte ab eo ſcripta ſunt, perperam interpretantis notanda fuit.

Nihilo melior Chryſoſtomi, quam Clementis interpres Caſaubonus.

CAPVT III.

CHRYSOSTOMVM deinde in eandem ſententiam citat. à quo, *perſpicuis verbis affirmaui*, ait, *Chriſti notitiam iis, qui natiuitatem eius præceſſerunt, non fuiſſe neceſſariam, quod Hom. XXXVII. in Matth. ita ſcripſerit. Aliquis dicet, Quid ergo? Illiſne facta eſt iniuria, qui ante Chriſti aduentum vixerunt? Nequaquam, tunc enim ſine confeſſione Chriſti, poterat aliquis ſeruari: quippe hoc ab illis non exigebatur: ſed vt ab idololatria abſtinerent.* Et mox; *ſolum Deum noſſe ad ſalutem tunc temporis ſatis erat, nunc id non ſufficit; quin hoc amplius notitia Chriſti eſt neceſſaria.* Nec multo poſt; *fruentur omnibus vitæ æternæ bonis, etiam illi, qui Chriſtum ante ipſius incarnationem non norunt; ſed ab idololatria ſeſe abſtinuerunt, Deum vnum adorauerunt, & vitam quam fieri poteſt optimam duxerunt.* Quę poſtquam è Chryſoſtomo protulit; *Hæc*, inquit, *& ſimilia his alia dicta duriora interpretatione commoda candido lectori ſunt mollienda; ne aut aliquam extra Chriſtum ſalutem impie ſomniemus, aut de tanto Eccleſiæ doctore cum ſciolis nonnullis ſecius opinemur.* Suum illud retinet, vt Chriſti gratiam cum eius notitia imperite permiſceat; perinde quaſi, niſi qui Chriſti notitiam acceperint, per eum nemo conſequatur ſalutem. Iam quando interpretationem adhibet, qua durius Chryſoſtomi dictum molliat; videamus quam tandem iſtam interpretationem ex Priſciano nobis, aut Diomede depromat. *Atqui*, inquit Chryſoſtomus, *cum ita loquebatur de clara, & perſpicua, atque, vt ſcholaſtici loquuntur, explicita Chriſti notitia ſentiebat; non de obſcura, ænigmatica, & figuris inuoluta, qualem Adamus Patriarchæ, & pij deinceps omnes è vaticiniis de venturo Chriſto, & ſymbolis, typiſque legalibus aut peculiari reuelatione ſunt conſequuti:*

Repetundarum hoc loco, & iure quidem optimo, ab Heriberto Roſueido noſtræ Societatis pereruditoTheologo poſtulatur Caſaubonus in lege talionis tab. I. quod *quæ ex Chryſoſtomo, aliis Patribus in ſpeciem aduerſantia*

Digitized by Google

Baronio affert, iam antè fuerint à Catholicis ſcriptoribus animaduerſa, & explicata; atque vnus Sixtus Senenſis, inquit, *quem meritiſſimo ſubinde laudat, & cuius hic articulas compilauit, abundè ſatisfecit lib. 6. Biblioth. ſanct. Annotat. 51. A quo videri etiam poteſt Caſaubonus in Scholaſticorum adita introductus, cùm de fide explicita, & implicita obiter meminit. Quis enim non miretur Caſaubonum, qui nunquam veræ Theologiæ ſcholam, ne à limine quidem ſalutauit, qui nunquam ad portam ſuſpirauit, qui non myſta, non initiatus vnquam fuit, tam de repentè epoptam arcanorum inſpectorem factum.* Præſertim cum eo, quem Heribertus notauit, loco hæc ipſi Chryſoſtomi teſtimonia hac eadem implicitæ, atque explicitæ fidei diſtinctione Sixtus emollierit: Caluinus ex quo Theologiam hauſit, ſi quam eam habuit, Caſaubonus, diſtinctionem eam, tanquam Chriſto iniuriam, in Inſtitut. Præfatione reiiciat. Et vero ita locum hunc tractat, vt ſatis indicet ſe voces, quas non intelligeret, ab alio mutuatum portare: quod Roſuneydus ſubiicit videri, vt olim aſinum in Eleuſiniis, myſteria: *quæ illi Sixtus Senenſis,* inquit, quæ illi doctor *aliquis ſcholaſticus impoſuit, vt verè dicere cum Ariſtophanico illo poſſit;*

> Νὴ τ̄ Δί' ἐγὼ γ' ὄνος ἄγων μυςήρια:
> *Ita per Iouem, ſum aſinus vehens myſteria.*

Quis enim cum legerit obſcuram, ænigmaticam, & figuris inuolutam fidem, hoc eſt eã, quæ explicitæ ex aduerſo opponitur talem eſſe, *qualem Adamus, Patriarchæ, & pij deinceps omnes è vaticiniis, de venturo Chriſto, & ſymbolis, typiſque legalibus, aut peculiari reuelatione ſunt conſequuti;* auditum ſtolidæ pecudis non agnoſcat? Inuenerat apud ſcholaſticum aliquem, id quod S. Thomas ſcribit 2. 2. q. 2. a. 7: *credentes ea ſacrificia:* (quæ vel ante legem Moſi, vel ipſo legis tempore viguerunt) *diuinitus eſſe diſpoſita ſub eorum velamine de Chriſto venturo quodammodo habuiſſe velatam* (hoc eſt implicitam) *cognitionem.* Quod ille quia ſanctum ipſum Thomam vel non legerat, vel non intellexerat, perinde accepit, quaſi de omnibus diceretur. Itaque de omnibus etiam, eo qui primus à Deo conditus eſt, etiam Patriarchis, etiam ijs, quos ipſe per ſe Deus erudiit, reuelans iis filium ſuum, nullo diſcrimine pronuntiauit eorũ de Chriſto fidem *obſcuram, ænigmaticam, figuris legalibus* inuolutam fuiſſe. Nã ſancti quidem Thomæ hæc verba ſunt eo loco, *Poſt peccatum fuit* EXPLICITE *creditum myſterium incarnationis Chriſti, non ſolum quantum ad incarnationem, ſed etiam quantum ad paſſionem, & reſurrectionem; quibus humanum genus à peccato & morte liberatur. Aliter enim non præfiguraſſent Chriſti paſſionem & ante legem, & ſub lege: quorũ quidem ſacrificiorũ ſignificatum* EXPLICITE *maiores cognoſcebant. Minores autem ſub velamine illorum ſacrificiorum credentes ea diuinitus eſſe diſpoſita, de Chriſto venturo quodam modo habebant velatam cognitionem.*

Sed

Sed negaret forte Caſaubonus, quippe cui ſapientia omnis in lingua eſſet, atq; in palato repoſita, ſua quicquam intereſſe, quid doceat S. Thomas vir neque Græcis literis admodum eruditus, & ſcilicet minus Latine locutus. Quid? Chryſoſtomum, cuius interpretem agit hoc loco repudiaturus ne fuit? At is ea ipſa, qua de agimus, homilia xxxvij in Matt. vt oſtendat non ignotum fuiſſe Ioanni Baptiſtæ Chriſtum, & ea quæ noſtra cauſa perpeſſurus erat; *Quomodo*, inquit, *maior prophetis Ioannes vel ipſa, quæ propheta dixerunt, neſciebat? Quod vero propheta paſſionem Chriſti prauiderunt; nemo vnquam infitiabitur.* Quod poſtea quam apertiſſimis prophetarum oraculis pluribus confirmauit, cum locum ita concludit; *Propheta quidem ante multos annos iudicium, & condemnationem crucifigendorum cum ipſo, veſtimentorum diſtributionem, veſtis ſortem, aliaque huiuſmodi plura præſcierunt; neque enim omnia dicere neceſſe eſt, ne prolixa nobis fiat oratio; hic vero qui maior ijs omnibus fuerat, etiam hac ab alijs prædicta ignorabat?* Iam hom. vij. in Ioannem, ex qua Caſaubonus nonnulla deinde perperam intellecta profert, Chryſtomus ita loquitur, vt hoc ipſum videri poſſit euertere voluiſſe imperiti hominis paradoxum. *Dei amici*, inquit, *& venerabiles illi viri, etiam ante Chriſti incarnatiotionem, ipſum cognouerunt. Et patriarcham eius prauidiſſe aduentum; ipſe Chriſtus nominatim teſtatur.. Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum. vidit, & gauiſus eſt. Et quod David; Iudæos arguens, ait; Quomodo Dauid in ſpiritu Dominum ipſum vocat, dicens; Dixit Dominus domino meo; ſede à dextris meis? Et frequenter in eos inuectus, Moſi meminit. Et quod reliqui propheta eandem habuiſſent cognitionem; Apoſtolus Petrus omnes prophetas à Samuele cognouiſſe eum, & eius aduentum multo ante tempore dixiſſe his verbis atteſtatur; Et omnes propheta à Samuele, & deinceps, qui loquuti ſunt, annunciauerunt dies iſtos. Iacob autem, & patri, quemadmodum auo, apparuit Deus, & loquutus eſt; multa, & magna eis ſe daturum bona pollicitus; quæ quidem re exequutus eſt.* Hic quidem certe Chryſoſtomus in eorum catalogo, qui Chriſtum ante cognouerunt, quam natus eſt, patriarchas, Moyſem, prophetas enumerat. Cæterum de explicita cognitione eo Chryſoſtomi loco ſermonem eſſe, quæ ſequuntur aperte clamant. *Ad hæc*, inquit, *obiecerit quiſpiam; Quo igitur pacto multi propheta cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt? Nunquid non fuerunt eius cognitionis participes? Fuerunt ſane: quod hac eadem particula, ex qua nonnulli ea cognitione priuatos fuiſſe prophetas arbitrati ſunt, manifeſtum facere ſatis erit. Multi*, inquit, *cupierunt videre, quæ vos videtis. nouerunt ergo ipſum ad hos venturum; & quæ fecit facturum. Niſi enim nouiſſent, nullo pacto videndi flagraſſent deſiderio: nemo enim quod ignorat, cupere poteſt.* Satis ne, auctore Chryſoſtomo, explicite, ac ſine inuolucris vllis, Chriſti notitiam accepiſſe videntur ij, qui & venturum, eum ad nos; & ea geſturum,

Digitized by Google

Pij omnes digni erant, qui de Chriſto diuinitus docerentur. Quod neque tota ea diſputatione Chryſoſtomus vſpiam docuit; & ineptiſsime id pro comperto in vniuerſum acciperet, quod præfractè negabant ij, contra quos diſputat: neque ipſe, niſi de patriarchis, propheti ſque, hoc eſt de exigua priorum parte, probauerat. Neque vero vſque adeo facile probari poteſt quotquot vnquam ab orbe condito iuſtificati ſunt, prophetico etiam ſpiritu, ac tantæ rei prænotione dignos fuiſſe. Sin autem eorum, qui *digni erant* appellatione, eos tantū intelligit, vt re vera intelligit Chryſoſtomus, quos *amicos Dei, atque admirabiles viros* diſputationis eius initio appellarat; eodem reuoluitur ratiocinatio Caſauboni, vt quia præſtantiſsimo cuique viro Chriſtus olim in carne venturus innotuit, ex eo concludat iuſtificatis, ac pijs omnibus innotuiſſe: atque eadem opera ſimul efficiat bipedem rationis expertem eſſe ſeſe ad portanda Caluiniana myſteria coemptum auro Britannico.

Quod ſi ne Chryſoſtomum quidem patitur huius controuerſiæ iudicem, quod is Perſium aut Lampridium nunquam attigerit; at ſpiritum quidem certe ſanctum eo honore dignetur, qui Abrahæ promiſiſſe teſtatur fore *vt pater eſſet multarum gentium*; *ac in ſemine eius omnes tribus terræ benedicerentur*. Quo auctore Iacobus iam morti proximus filijs ſuis *annuncians ea, quæ ventura erant in diebus nouiſſimis*, tempus etiam deſignauit, quo *venturus eſſet, is qui mittendus, quique futurus erat expectatio gentium, cuius ſalutare, etiam mortuum, expectaturum ſe apud inferos* conteſtatus eſt. Quo plenus Regius vates *fructum eum ventris ſui, quem poſiturum ſe Dominus ſuper ſedem eius promiſerat*, nihil hæſitans, *Dominum* vocat: deq; eius imperio victis, ac debellatis hoſtibus, æterno ſacerdotio, generatione ante luciferum tam multa vaticinatur; cùm etiam Pſ. XXI. ærumnas & cruciatus eius tam accurate deſcribat, vt ex Euangelijs deſcriptus totus ille locus videri poſsit. Nam Iſaiam quid opus eſt numerare, quem Euangeliſtam potius, quam prophetam vocandum nonnulli prònunciarunt, quod rerum geſtarum hiſtoriam texere potius, quam futurarum edere vaticinia videatur? Quibus qui *ænigmaticam* modo neſcio quam, *ac typis legalibus inuolutam Chriſti notitiam* tribuit, aut mendacij ſpiritum ſanctum, aut ſe ſtuporis accuſat.

Sed ſint iſta ſane, quæ de patriarchis, cæteriſque pijs comminiſcitur Caſaubonus, dum inueniat aliquid, in quo, veluti figura, Chriſtum agnoſcere, ac venerari potuerint, ſi qui pietatem ex gentibus coluerunt. Nam in ſymbolis quidem, typiſque legalibus Iſraelitæ, quibus ea nota erant, aut qui cum Iſraelitis verſati ſunt, Chriſti notitiam accipere potuerunt. Ad quos vero, ne fando quidem Iſraelitarum nomen delatum eſt; quique inter idololatras nati, educatique agnitum, philoſophia duce, Deum vnum mundi opificem

Digitized by Google

opificem rite per gratiam venerati ſunt; atque ex virtute vitam, & honeſtate inſtituerunt; ijs quid factum dicturus eſt? præſertim cum Apoſtolus Heb. 11. id modo requirat, *vt accedens at Deum credat: quia eſt, & quod inquirentib. ſe remunerator eſt*, vt quidquam præterea in eorũ fide neceſſariò requirere, ad quos nulla peruenit Euangelij, aut Chriſti venturi fama, alienũ prorſus a veritate videatur. Nam neque *neceßitate medij* quicquam ad abſolutam eorum fidem deſideratur, præter id, quod, auctore Paulo Apoſtolo, ſatis eſt: neque vero credendi ea, quæ nunquam audiſſent, vlla ijs imponi potuit *præcepti neceßitas*. Ergo aut ad peculiarem Dei reuelationem neceſſario confugiendum erit, quam qui concedit, inepte implicitam tantum fidem concedit, cùm & ſine vllo incommodo concedere poſsit explicitam, & doctorem Deum id magis deceat; aut excogitanda eſt ratio, qua Chriſti fides, atque notitia in ijs, quæ veluti propria fidei numerat Apoſtolus, implicite contineatur. Quod ni fiat, ſatis intelligi Chryſoſtomus nequaquam poteſt; cui Ethnici omnes, vnius etiam Dei, atque honeſti cultores ad inferos detrudendi, aut ſine fide euehendi erunt in cœlum, ſi fidem implicitam *in Moſaicis tantum ſymbolis reponamus.* Sed Caſaubonus, qui neque hæc apud Sixtum tam enucleate reperit, neque ſatis intellexit quæ reperit, ad typos Moſaicos totum hoc quicquid erat implicitæ fidei nullo diſcrimine retulit, non vt cælum Ethnicis clauderet; ſed vt inſcitiam ſuam lectoribus aperiret. Nam implicita fides tum ad Hebræos, eoſque qui ante Moſen iuſtificati ſunt; tum ad Ethnicos etiam eos pertinet, qui poſt latam legem vixerunt. Sed primi illi homines, ac filij Iſrael in ſymbolis ſacrorum, ac cæremoniarum inuolucris implicite Chriſtum agnouerunt. Reliqui, vt notat S. Thomas 2. 2. a. 7. ad 3. *ſi qui ſaluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fuerunt ſaluati abſque fide mediatoris. Quia etſi non habuerunt fidem explicitam; habuerunt tamen fidem implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundum modos ſibi placitos, & ſecundum quod aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiritus reuelaſſet.* Nam vt q. 1. a. 7. ſcripſit idem, *omnes articuli implicitè continentur in aliquibus primis credibilibus, ſcilicet vt credatur Deus eſſe, & prouidentiam habere circa hominum ſalutem, ſecundum illud ad Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit. In eſſe enim diuino includentur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter exiſtere; in quibus noſtra beatitudo conſiſtit. In fide autem prouidentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter à Deo diſpenſantur ad hominum ſalutem; quæ ſunt via ad beatitudinem.* Quæ quia implicitè in implicita illa Sixti fide continebantur, non vidit Caſaubonus.

Digitized by Google

ad ſalutem, liberaliter conceſſurus fuerit is, qui hoc ipſum tribuerat per gratiam ſuam. Sin tenuem illam obſcuramq; notitiam Dei, proximè ſatis fuiſſe Clementis ſententia contẽderet: hic enim verò Caſauboni auctoritatem nihil moratus, probationem ab eo tantæ rei requirerem.

Idcirco, inquit, *tot locis legem, & philoſophiam duo teſtamenta appellat ab eodem Domino diuerſis populis in eundem finem tradita. Eodem libro; Quemadmodum volebat Deus Iudæos ſeruari, cùm Prophetas illis dabat; ſic & Græcorum probatiſsimos quoſq; proprios illis in ſua lingua prophetas excitando, prout ipſi Dei beneficium capere poterant, ab hominum vulgo ſecernebat.*

Sunt iſta: ſed philoſophiam Ethnicis proximè ſatis ad ſalutem fuiſſe, non magis efficiunt, quam Caſaubonum quod linguarum cognitione inſtructus eſſet, quæ vſui eſſe Scripturæ ſtudioſis poſſunt, ſacris etiam literis, in quibus tam parum intelligebat, fuiſſe non mediocriter eruditum. Certè quia metere volumus, aramus, terram ſubigimus, ſementem facimus, quæ ad meſſem ipſam remotè, non proximè pertinent. Quidni igitur etiam potuerit Deus, quod vitæ æternæ participes Ethnicos eſſe vellet, philoſophiam ijs largiri, ex qua gradum deinde ad ea facerent, quæ eſſent viciniora ſaluti? Sed Dialecticus non præſtantiſsimus, quid cui conſequens ſit non admodum perſpicit. Reliqua videamus.

Solet etiam idem alibi legem, & philoſophiam appellare βαθμοὺς καὶ ὑποβάθρας τῆς κατὰ χριστὸν φιλοσοφίας *gradus, & quaſi ſcalas Chriſtianæ philoſophiæ.*

Quid huic homini facias, quem adeo excæcauit Britannicæ coquinæ fumus, vt ne ea quidem viderit, quæ ante oculos verſabantur. Certè, quid ſit legem & philoſophiam remotè ad ſalutem facere, & quædam eſſe Chriſtianæ diſciplinæ veluti rudimenta, melius explicari, atque ſub oculos poni non potuit, quàm ſcalarum, & graduum ſimilitudine. Neque enim continuò qui infimum gradum aſcenderit, ſummum tenet; & tamen ad ſummum per infimos peruenitur: neque, niſi ab inſano, negari poteſt nihil aliud in infimorum graduum aſcenſu ſpectari, quàm vt veniatur ad ſummos; cùm tamen toto ſcalarum interuallo inter ſe primi, atque infimi diſtent. Sed ea Clementis verba qua ratione interpretetur Caſaubonus, operæpretium eſt audire.

Rectè, & verè, inquit, *ſi appellatione philoſophiæ illud intellexit, quod Paulus nominat* τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ *quod notum eſt Dei, Rom. 1. 19. opera nempè Dei, quæ mortales ad creatoris aliquam notitiam poſſunt perducere; & amplioris cognitionis deſiderium, ſi mens ipſis non læua; in eorum animis ingenerare.*

Quo loco, niſi ſcurram agit, ac de induſtria deſipit, planè furere videtur. Cùm enim philoſophia cognitio quædam ſit, *quod autem notum eſt Dei*, ſit id

quod

Digitized by Google

quod aſſequi de Deo cognitione poſsis, aut, vt mauult Caſaubonus, *opera ipſa Dei, quæ mortales ad creatoris aliquam notitiam poſſunt perducere*, qui venire illi ſano, ac ſui compoti in mentem potuit philoſophiam eſſe *id, quod notum eſt Dei?* Iam quod τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ quod vocat Apoſtolus, *opera Dei interpretatur, quæ ad nonnullam conditoris ſui notitiam perducere mortales poſſunt*; quam ſit conſentaneum lectores videant. Nam & ipſa loquendi ratio apud Apoſtolum id exigere videtur; vt *quod notum eſt Dei*; ſignificet id, quod de Deo ſcitur; quod in res creatas, niſi impropriè, profectò non conuenit: & verò *inuiſibilia Dei, ſempiternam quoq; virtutem, & diuinitatem eius* ab ijs agnitam Paulus eo loco ſcribit: quibus, *quod notum eſt Dei, manifeſtum fuiſſe* memorat, quæ ipſa *per ea, quæ facta ſunt*, de Deo propriè dici, ſcirique poſſunt. Rectè igitur, ac verè Clemens, ſi ethnicam philoſophiam ita gradum ad Chriſtianam diſciplinam eſſe voluit, vt tu interpretaris, Caſaubone. Quid? aliud ne tibi ijs verbis videtur ſibi voluiſſe? Etiam, inquit. Quid tandem?

Cæterum, inquit, *Clemens philoſophiæ nomine eiuſmodi notitiam intelligit, per quam ad iuſtificationem impij poſſet perueniri. affirmat hoc diſertè libro primo eiuſdem operis* καθ' ἑαυτὴν ait ἐδικαίου ποτὲ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας *philoſophia quondam per ſe Græcos iuſtificabat.*

Si, quod alias hominem monui, *quam norat artem, in ea exercere ſe* voluiſſet; nunquam tam pueriliter ineptiſſet. Homo hebes, neque in ſacris literis admodum verſatus, auditum iuſtificationis nomen, ad eam iuſtitiam retulit, qua homines coram Deo *de immundis mundi fiunt, & de peccatoribus iuſti.* Ridiculè. Quid enim apud Apoſtolum Paulum ſæpius occurrit, quàm *iuſtitia, quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu*, velut ex aduerſo oppoſita *iuſtitia, quæ ex lege eſt, iuſtitia operum, iuſtitia*, quam ſuam etiam nonnunquam appellat? Quod ſi ambiguum eſt iuſtificationis, iuſtitiæque vocabulum, ac poteſt *ex operibus iuſtificatus habere gloriam, ſed non apud Deum*; potuit *philoſophia ipſa per ſe homines iuſtificare; neq; tamen ad iuſtificationem impij ſatis eſſe:* quod Græci dum ratione duce, *ſine lege quæ legis ſunt facerent*; & exequerentur quæ iuſta ſunt, cum ſibi habitum iuſtitiæ compararent: quem lib. 5. Ethic. cap. 1. extremo *non virtutis partem, ſed virtutem integram* (quod omnem officij partem, atque, vt eſt in veteri prouerbio, *virtutes omnes* amplectatur) *cuiq; oppoſitum vitium non vitij partem, ſed integram vitioſitatem eſſe ſcribit Ariſtoteles*. Ex quo ſi pſittacorum more voces ſonare, nec ſubiectam ijs notionem intelligere conſueuiſſet Caſaubonus, hoc diſcere potuiſſet.

Qua item ſignificatione vocem eam vſurpaſſe videtur is, qui *Iuſtum, ac tenacem propoſiti virum* deſcribit eum, quem; *Non ciuium ardor praua iubentium,*
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida.

C Qua-

Quales fuiſſe Ariſtidem, qui nimis etiam iuſtus ciuibus ſuis videbatur, Socratem, Heraclitum, Camillum Coruncanum, Fabritium, Catonem memorant. Quales etiam eſſe eos omnes exiſtimant, qui ſine exceptione vlla viri boni, frugi, innocentes in ciuili ſocietate dicuntur. Quo illud pertinet M. Tullij; *Iuſtitia ex qua vna virtute viri boni appellantur.* Cæterum iuſtitiam hanc, quam è Philoſophia proficiſci Clemens arbitratur, ſine fide ſatis ad ſalutem non fuiſſe auctor eſt ipſe lib. 1. ſtrom. *Abraham*, inquit, *non ex operibus iuſtificatus eſt; ſed ex fide. Nihil ergo eis* (Ethnicis, qui ex ratione vitam inſtituunt) *poſt finem vitæ proderit, etiamſi nunc rectè operentur, niſi fidem habeant. Propterea enim Græca voce expoſitæ ſunt ſcripturæ, vt nullum vnquam ignorantiæ poſſent prætextum afferre.* Eam igitur fidem in Ethnicis etiam Clemens requirit ad ſalutem qua iuſtificatus eſt Abraham, quæque petitur ex ſcripturis; quas eam ob rem diuino conſilio Græce redditas exiſtimat, vt ne eo quidem ad ſalutem præſidio deſtituerentur Ethnici.. Delectarunt me mirum in modum, quæ Iacobus Sirmondus Societatis noſtræ Theologus in primis eruditus, hæc de re ſcripſit. *Patrum*, inquit; *ſcripta quæ citat Caſaubonus, peſſime interpretatur, vt cum Clementem Alexandrinum in ea vult hæreſi fuiſſe, vt in ſtromatis ſuis doceat, philoſophiam gentibus ad ſalutem ſuffeciſſe, perque eam ad iuſtificationẽ impij potuiſſe peruenire: quorũ vtroque, nihil abſurdius, nihil à Clementis mente fingi potuit alienius. Ignorabat nimirũ triplicẽ à Clemente iuſtitiã in illis libris diſtingui* κατὰ φιλοσοφίαν, κατὰ νόμον, κατὰ χριστὸν, *ſecundũ philoſophiam, id eſt, gentilem, ſecundum legem, id eſt, Iudaicam, & Chriſtianam Porro ſecundum legem appellatur,* Iudæus, qui congruenter *legi Moſaicæ viueret; ſic iuſtus ſecundum philoſophiam gentiles, qui ex Ethnica philoſophia diſciplina religionem, moreſque componerent. Quos re ipſa idololatras, fideique expertes fuiſſe docet lib. 6. Quomodo ergo ſaluari potuiſſe illos ſine fide crederet, quam ipſemet lib. 2.* πρώτην σωτηρίας νεῦσιν, *primam ſalutis inclinationem vocat?* Itaque cum philoſophiam προπαιδείαν καὶ βαθμὸν καὶ ὑποβάθραν τῆς κατὰ χριστὸν φιλοσοφίας, *id eſt prauiam inſtitutionem, gradum & ſcalas* Chriſtianæ philoſophiæ gentibus fuiſſe ſcribit; non eo ſenſu, dicit, quaſi quenquam ad Chriſti notitiam, ſalutemque perduceret: ſed quod philoſophia multis licet erroribus aſperſa, qualicunque tandem religionis imagine, morumque diſciplina hominum mentes εἰς παραδοχὴν πίστεως ad fidem Chriſti, ſi quando inſinuaretur, aſſuefaceret. Quam quia in hac vita non eſſent conſequuti, propterea Chriſtum affirmat Clemens, gentibus ſimul, Iudæiſque (quos fidei quoque expertes fuiſſe tradit) Euangelium apud inferos prædicaſſe, vt eos, qui credere vellent, ſaluaret. Quam opinionem ex Petri Apoſtoli verbis male acceptis natam *reijcit Auguſtinus epiſt. XCIX.* Quæ non ideo memoro, quod multum intereſſe putem ſi quid in libris Cle-

Digitized by Google

mentis inueniatur cum Catholica fide minus conſentiens, cum ſatis conſtet, vt in libro ſuo de ſcriptoribus Eccleſ. monet Bellarminus, reperiri in eo *ſiue hæreticorum fraude, ſiue errore humano ſententias aliquas, quæ errorem ſapiant; ob eamque rem in Romano quodam Concilio à Gelaſio Papa eius opuſcula relata eſſe inter apocrypha:* ſed in præſentia Caſauboni inſcitia ea etiam, quę recte ab eo ſcripta ſunt, perperam interpretantis notanda fuit.

Nihilo melior Chryſoſtomi, quam Clementis interpres Caſaubonus.

Capvt III.

CHrysostomvm deinde in eandem ſententiam citat. à quo, *perſpicuis verbis affirmaui*, ait, *Chriſti notitiam iis, qui natiuitatem eius præceſſerunt, non fuiſſe neceſſariam, quod Hom. XXXVII in Matth. ita ſcripſerit. Aliquis dicet, Quid ergo? Illiſne facta eſt iniuria, qui ante Chriſti aduentum vixerunt? Nequaquam, tunc enim ſine confeſſione Chriſti, poterat aliquis ſeruari: quippe hoc ab illis non exigebatur; ſed vt ab idololatria abſtinerent.* Et mox; *ſolum Deum noſſe ad ſalutem tunc temporis ſatis erat, nunc id non ſufficit; quin hoc amplius notitia Chriſti eſt neceſſaria.* Nec multo poſt; *fruentur omnibus vitæ æternæ bonis, etiam illi, qui Chriſtum ante ipſius incarnationem non norunt; ſed ab idololatria ſeſe abſtinuerunt, Deum vnum adorauerunt, & vitam quam fieri poteſt optimam duxerunt.* Quę poſtquam è Chryſoſtomo protulit; *Hæc*, inquit, *& ſimilia his alia dicta duriora interpretatione commoda candido lectori ſunt mollienda; ne aut aliquam extra Chriſtum ſalutem impie ſomniemus, aut de tanto Eccleſiæ doctore cum ſciolis nonnullis ſecius opinemur.* Suum illud retinet, vt Chriſti gratiam cum eius notitia imperite permiſceat; perinde quaſi, niſi qui Chriſti notitiam acceperint, per eum nemo conſequatur ſalutem. Iam quando interpretationem adhibet, qua durius Chryſoſtomi dictum molliat; videamus quam tandem iſtam interpretationem ex Priſciano nobis, aut Diomede depromat. *Atqui*, inquit Chryſoſtomus, *cum ita loquebatur de clara, & perſpicua, atque, vt ſcholaſtici loquuntur, explicita Chriſti notitia ſentiebat; non de obſcura, ænigmatica, & figuris inuoluta, qualem Adamus, Patriarchæ, & pij deinceps omnes è vaticiniis de venturo Chriſto, & ſymbolis, typiſque legalibus aut peculiari reuelatione ſunt conſequuti:*

Repetundarum hoc loco, & iure quidem optimo, ab Heriberto Roſueido noſtræ Societatis pereruditо Theologo poſtulatur Caſaubonus in lege talionis tab. I. quod *quæ ex Chryſoſtomo, aliis Patribus in ſpeciem aduerſantia*

Digitized by Google

Baronio affert, iam antè fuerint à Catholicis ſcriptoribus animaduerſa, & explicata; atque vnus Sixtus Senenſis, inquit, *quem meritiſſimo ſubinde laudat, & cuius hic articulus compilauit, abundè ſatisfecit lib.6. Biblioth. ſanct. Annotat.51. A quo videri etiam poteſt Caſaubonus in Scholaſticorum adita introductus, cùm de fide explicita, & implicita obiter meminit. Quis enim non miretur Caſaubonum, qui nunquam veræ Theologiæ ſcholam, ne à limine quidem ſalutauit, qui nunquam ad portam ſuſpirauit, qui non myſta, non initiatus vnquam fuit, tam de repentè epoptam arcanorum inſpectorem factum.* Præſertim cùm eo, quem Heribertus notauit, loco hæc ipſi Chryſoſtomi teſtimonia hac eadem implicitæ, atque explicitæ fidei diſtinctione Sixtus emollierit: Caluinus ex quo Theologiam hauſit, ſi quam eam habuit, Caſaubonus, diſtinctionem eam, tanquam Chriſto iniuriam, in Inſtitut. Præfatione reiiciat. Et vero ita locum hunc tractat, vt ſatis indicet ſe voces, quas non intelligeret, ab alio mutuatum portare: quod Roſuneydus ſubiicit videri, vt olim aſinum in Eleuſiniis, myſteria: *quæ illi Sixtus Senenſis,* inquit, quæ illi doctor *aliquis ſcholaſticus impoſuit, vt vere dicere cum Ariſtophanico illo poſſit;*

> Νὴ τὸν Δί᾽ ἐγὼ γ᾽ ὄνος ἄγων μυστήρια:
> *Ita per Iouem, ſum aſinus vehens myſteria.*

Quis enim cum legerit obſcuram, ænigmaticam, & figuris inuolutam fidem, hoc eſt eã, quæ explicitæ ex aduerſo opponitur talem eſſe, *qualem Adamus, Patriarchæ, & pij deinceps omnes è vaticiniis, de venturo Chriſto, & ſymbolis, typiſque legalibus, aut peculiari reuelatione ſunt conſequuti;* auditum ſtolidæ pecudis non agnoſcat? Inuenerat apud ſcholaſticum aliquem, id quod S. Thomas ſcribit 2.2.q.2.a.7: *credentes ea ſacrificia:* (quæ vel ante legem Moſi, vel ipſo legis tempore viguerunt) *diuinitus eſſe diſpoſita ſub eorum velamine de Chriſto venturo quodammodo habuiſſe velatam* (hoc eſt implicitam) *cognitionem.* Quod ille quia ſanctum ipſum Thomam vel non legerat, vel non intellexerat, perinde accepit, quaſi de omnibus diceretur. Itaque de omnibus etiam, eo qui primus à Deo conditus eſt, etiam Patriarchis, etiam iis, quos ipſe per ſe Deus erudiit, reuelans iis filium ſuum, nullo diſcrimine pronuntiauit eorũ de Chriſto fidem *obſcuram, ænigmaticam, figuris legalibus* inuolutam fuiſſe. Nã ſancti quidem Thomæ hæc verba ſunt eo loco, *Poſt peccatum fuit* EXPLICITE *creditum myſterium incarnationis Chriſti, non ſolum quantum ad incarnationem, ſed etiam quantum ad paſsionem, & reſurrectionem; quibus humanum genus à peccato & morte liberatur. Aliter enim non præfiguraſſent Chriſti paſsionem & ante legem, & ſub lege: quorũ quidem ſacrificiorũ ſignificatum* EXPLICITE *maiores cognoſcebant. Minores autem ſub velamine illorum ſacrificiorum credentes ea diuinitus eſſe diſpoſita, de Chriſto venturo quodam modo habebant velatam cognitionem.*

Sed

Sed negaret forte Caſaubonus, quippe cui ſapientia omnis in lingua eſſet, atq; in palato repoſita, ſua quicquam intereſſe, quid doceat S. Thomas vir neque Græcis literis admodum eruditus, & ſcilicet minus Latine locutus. Quid? Chryſoſtomum, cuius interpretem agit hoc loco repudiaturus ne fuit? At is ea ipſa, qua de agimus, homilia xxxvij in Matt. vt oſtendat non ignotum fuiſſe Ioanni Baptiſtæ Chriſtum, & ea quæ noſtra cauſa perpeſſurus erat; *Quomodo*, inquit, *maior prophetis Ioannes vel ipſa, quæ prophetæ dixerunt, neſciebat? Quod vero prophetæ paßionem Chriſti prauiderunt; nemo vnquam infitiabitur.* Quod poſtea quam apertiſsimis prophetarum oraculis pluribus confirmauit, eum locum ita concludit; *Prophetæ quidem ante multos annos iudicium, & condemnationem crucifigendorum cum ipſo, veſtimentorum diſtributionem, veſtis ſortem, aliaque huiuſmodi plura præſcierunt; neque enim omnia dicere neceſſe eſt, ne prolixa nobis fiat oratio; hic vero qui maior ijs omnibus fuerat, etiam hæc ab alijs prædicta ignorabat?* Iam hom. vij. in Ioannem, ex qua Caſaubonus nonnulla deinde perperam intellecta profert, Chryſtomus ita loquitur, vt hoc ipſum videri poſsit euertere voluiſſe imperiti hominis paradoxum. *Dei amici*, inquit, *& venerabiles illi viri, etiam ante Chriſti incarnationem, ipſum cognouerunt. Et patriarcham eius prauidiſſe aduentum; ipſe Chriſtus nominatim teſtatur. Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum. vidit, & gauiſus eſt. Et quod Dauid; Iudæos arguens, ait; Quomodo Dauid in ſpiritu Dominum ipſum vocat, dicens; Dixit Dominus domino meo; ſede à dextris meis? Et frequenter in eos inuectus, Moſi meminit. Et quod reliqui prophetæ eandem habuiſſent cognitionem; Apoſtolus Petrus omnes prophetas à Samuele cognouiſſe eum, & eius aduentum multo ante tempore dixiſſe his verbis atteſtatur; Et omnes prophetæ à Samuele, & deinceps, qui loquuti ſunt, annunciauerunt dies iſtos. Iacob autem, & patri, quemadmodum auo, apparuit Deus, & loquutus eſt; multa, & magna eis ſe daturum bona pollicitus; quæ quidem re exequutus eſt.* Hic quidem certe Chryſoſtomus in eorum catalogo, qui Chriſtum ante cognouerunt, quam natus eſt, patriarchas, Moyſem, prophetas enumerat. Cæterum de explicita cognitione eo Chryſoſtomi loco ſermonem eſſe, quæ ſequuntur aperte clamant. *Ad hæc*, inquit, *obiecerit quiſpiam; Quo igitur pacto multi prophetæ cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt? Nunquid non fuerunt eius cognitionis participes? Fuerunt ſane: quod hac eadem particula, ex qua nonnulli ea cognitione priuatos fuiſſe prophetas arbitrati ſunt, manifeſtum facere ſatis erit. Multi;* inquit, *cupierunt videre, quæ vos videtis. nouerunt ergo ipſum ad hos venturum; & quæ fecit facturum. Niſi enim nouiſſent, nullo pacto videndi flagraſſent deſiderio: nemo enim quod ignorat, cupere poteſt.* Satiſne, auctore Chryſoſtomo, explicite, ac ſine inuolucris vllis, Chriſti notitiam accepiſſe videntur ij, qui & venturum, eum ad nos; & ea geſturum,

Digitized by Google

quæ geſsit, tanto ante ſenſerunt; eiuſque videndi, atque audiendi præſenti! cupiditate flagrarunt? At ignorarunt eum, quem venturum diuinitus edocti erant Dei filium fore? Ne id quidem, ſi Chryſoſtomo credimus, cuius ea verba ſequuntur. Nouerunt igitur ipſum Dei filium ad humanum genus deſcenſurum. Deniq;, ne reliquus ſit vllus tergiuerſationis locus, illud modo vnum diſcrimen inter Patrum, atque Apoſtolorum de Chriſto notitiam agnoſcit eo loco Chryſoſtomus, quod quæ prædicta viderũt Apoſtoli, futura ipſi intellexerunt. *Sed quænam ſunt*, inquit, *quæ non viderunt, neq; audierunt? Ea, quæ nunc vos videtis, & auditis. Siquidem & vocem eius illi audierunt, & ipſum viderunt, non tamen in carne & cum hominib. conuerſantem, neq; nobiſcum tam familiariter, libereq; loquentem. Quod ſignificauit cùm non ſimpliciter dixit, cupierunt videre me; ſed quæ vos videtis: neq; audire me; ſed quæ vos auditis. Itaque licet non ipſius aduentum in carne conſpicati ſint; viderunt tamen ipſum futurum, quem cupiebant, & in quem credebant.* Quæ, ſi ita ſunt, aut explicita nulla eſſe Chriſti nondum nati notitia potuit; aut eorum, & ſi minus fœlix, non minus tamen, quam Apoſtolorum præſentem eum intuentium, explicita notitia fuit.

At vide plumbeum hominis ingenium, qui hunc ipſum adhibet Chryſoſtomi locum, vt doceat, eo quidem auctore, Patriarchas, & qui conſequentibus deinde ſæculis vixerunt pij, omnes inuolutam tantum Chriſti notitiam, atque ænigmaticam habuiſſe. Cùm ille neque niſi de Patriarchis, atque Prophetis, eorumque ſimilibus eo loco ſermonem habeat; & ijs explicatiſsimam Chriſti earum rerum, quas in carne geſturus is erat, cognitionem diſerte tribuat. Myſteria nimirum geſtat; vereturque ne, niſi ſe abſurdiſsimo clamore prodat, non agnoſcatur in pompa.

Probo, inquit, ex alijs, *viri ſanctiſsimi illius locis hanc fuiſſe ipſius mentem.* [de patriarcharum, ac cæterorum piorum implicita in Chriſtum fide] *In Ioannis verba 1. 10. Et mundus eum non cognouit. Diſerte ſcribit Chryſoſtomus; omnes pios, ac Deo caros, etiam ante Domini aduentum in carne ipſum cognouiſſe.* οἱ τοῦ Θεοῦ φίλοι, inquit, καὶ θαυμαστοὶ πάντες αὐτὸν ἐπέγνωσαν καὶ πρὸ τῆς ἐνσάρκου παρουσίας *Dei amici & mirabiles omnes eum cognouerunt, etiam antequam præſens eſſet in carne.* At videri ne Chryſoſtomus cuiquam potuit, qui pilum modo vllum ſani hominis haberet in capite, *Amicorum Dei, ac mirabilium* vocabulo, quemlibet è plebe iuſtificatum intellexiſſe? Cùm non ignoremus eas appellationes viris tantum ſanctitate præſtantibus, velut antonomaſtice tribui: Præſertim cùm patriarchas, & prophetas ſtatim ſubijciat, quibus notum eum fuiſſe doceat. Neque enim quenquam tam amentem futurum puto, qui vel Caſaubono ipſo ſtolidiorem Chryſoſtomum faciat, vt ita ratiocinetur. *Chriſtum olim in carne venturum patriarchæ, atque prophetæ, Deo reuelante, nouerunt:*

Digitized by Google

rant: nulli igitur pio ignota fuit futura Chriſti incarnatio. Perinde quaſi, aut nulli præter patriarchas atque prophetas Deum pie coluerint; aut nihil patriarchis,& prophetis reuelare potuerit Deus,quod non idem cæteris etiam patefaceret. Sed audi cætera.

Id mox demonſtrat ex verbis Chriſti Lucæ 10. 24. Multi prophetæ, & reges voluerunt videre quæ vos videtis. Nam quia ignoti nulla eſt cupido; colligit ex eo rectè iuſtos, qui diem Domini videre deſiderabant, ſciſſe illum venturum; & in ipſum credidiſſe.

O præclaram hominis Caluinianorum eruditiſsimi dialecticam. *Colligit Chryſoſtomus, multis Regibus, atque prophetis Chriſti incarnationem multo ante fuiſſe notam; quia ignoti nulla cupiditas eſt. Igitur ex ijs Domini verbis; multi prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis; demonſtrat Chriſti incarnationem notam pijs omnibus fuiſſe.*

At iſta quidem ratione e piorum numero non modo cæteros omnes,ſed etiam prophetarum aliquos eximemus. Si enim pij omnes ijs comprehenduntur Domini verbis; ea autem non niſi ad prophetarum, ac regum pleroſque pertinent; neceſſe eſt inter pios neque omnes prophetas, neque vllum è reliqua hominum multitudine numerari. Sin autem multi præterea pij numerandi ſunt, quorum eo loco mentio nulla ſit,ita nimirum argumentatur Caſaubonus. *Omnes prophetæ pij fuerunt; Multi autem prophetæ Chriſtum in carne venturum ſcierunt: Omnes igitur pij, Chriſtum in carne venturum ſcierunt.* Quæ ratiocinatio huic plane gemina eſt; *Omne bipes animal eſt; Aliquod autem bipes rationis eſt expers: Omne igitur animal rationis eſt expers.* Ignorabat nimirum Caſaubonus neque in tertia figura quicquam in vniuerſum concludi. neque vero ſi id alioqui fieri potuiſſet; ex eo, quod de parte poſueris, quidquam in vniuerſum colligi poſſe. Recte igitur Chryſoſtomus, omnes eos, qui cupierunt Chriſtum videre, affirmat eius etiam futuri conſcientiam accepiſſe, quod ignoti cupiditas nulla ſit: perperam Caſaubonus, quod omnes ij pietate præditi fuerint, qui ea de re diuinitus edocti, Chriſti in carne videndi cupiditate ſuccenſi ſunt; colligit, auctore Chryſoſtomo, pios omnes eam notitiam accepiſſe.

Nec diſsimili ratiocinatione verbis conſequentibus vtitur. Deinde, inquit, illi obiectioni gentilium, cuius tot Patres meminerunt; *Cur tam ſero aduenit?* ἀντιληψόμενος τῆς σωτηρίας; ſic docet reſpondendum ὅτι, καὶ πρὸ τούτων ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ προενόει τῶν ἔργων αὐτοῦ, καὶ γνώριμος τοῖς ἀξίοις ἅπασιν ἦν. *Dominus etiam ante aduentum ſuum erat in mundo, & creaturarum ſuarum curam* gerebat; fuitque notus OMNIBVS qui digni erant.

Qua in argumentatione ſi quid efficit; illud nimirum intelligendum eſt,

Pij

Pij omnes digni erant, qui de Chriſto diuinitus docerentur. Quod neque tota ea diſputatione Chryſoſtomus vſpiam docuit; & ineptiſsime id pro comperto in vniuerſum acciperet, quod præfractè negabant ij, contra quos diſputat: neque ipſe, niſi de patriarchis, propheti ſque, hoc eſt de exigua priorum parte, probauerat. Neque vero vſque adeo facile probari poteſt quotquot vnquam ab orbe condito iuſtificati ſunt, prophetico etiam ſpiritu, ac tantæ rei prænotione dignos fuiſſe. Sin autem eorum, qui *digni erant* appellatione, eos tantũ intelligit, vt re vera intelligit Chryſoſtomus, quos *amicos Dei, atque admirabiles viros* diſputationis eius initio appellarat; eodem reuoluitur ratiocinatio Caſauboni, vt quia præſtantiſsimo, cuique viro Chriſtus olim in carne venturus innotuit, ex eo concludat iuſtificatis, ac pijs omnibus innotuiſſe: atque eadem opera ſimul efficiat bipedem rationis expertem eſſe ſeſe ad portanda Caluiniana myſteria coemptum auro Britannico.

Quod ſi ne Chryſoſtomum quidem patitur huius controuerſiæ iudicem, quod is Perſium aut Lampridium nunquam attigerit; at ſpiritum quidem certe ſanctum eo honore dignetur, qui Abrahæ promiſiſſe teſtatur fore *vt pater eſſet multarum gentium*; *ac in ſemine eius omnes tribus terræ benedicerentur.* Quo auctore Iacobus iam morti proximus filijs ſuis *annuncians ea, quæ ventura erant in diebus nouiſsimis*, tempus etiam deſignauit, quo *venturus eſſet, is qui mittendus, quique futurus erat expectatio gentium, cuius ſalutare, etiam mortuum, expectaturum ſe apud inferos* conteſtatus eſt. Quo plenus Regius vates *fructum* eum *ventris ſui, quem poſiturum ſe Dominus ſuper ſedem eius promiſerat*, nihil hæſitans, *Dominum* vocat: deq; eius imperio victis, ac debellatis hoſtibus, æterno ſacerdotio, generatione ante luciferum tam multa vaticinatur; cùm etiam Pſ. XXI. ærumnas & cruciatus eius tam accurate deſcribat, vt ex Euangelijs deſcriptus totus ille locus videri poſsit. Nam Iſaiam quid opus eſt numerare, quem Euangeliſtam potius, quam prophetam vocandum nonnulli prónunciarunt, quod rerum geſtarum hiſtoriam texere potius, quam futurarum edere vaticinia videatur? Quibus qui *ænigmaticam* modo neſcio quam, *ac typis legalibus inuolutam Chriſti notitiam* tribuit, aut mendacij ſpiritum ſanctum, aut ſe ſtuporis accuſat.

Sed ſint iſta ſane, quæ de patriarchis, cæteriſque pijs comminiſcitur Caſaubonus, dum inueniat aliquid, in quo, veluti figura, Chriſtum agnoſcere, ac venerari potuerint, ſi qui pietatem ex gentibus coluerunt. Nam in ſymbolis quidem, typiſque legalibus Iſraelitæ, quibus ea nota erant, aut qui cum Iſraelitis verſati ſunt, Chriſti notitiam accipere potuerunt. Ad quos vero, ne fando quidem Iſraelitarum nomen delatum eſt; quique inter idololatras nati, educatique agnitum, philoſophia duce, Deum vnum mundi opificem

opificem rite per gratiam venerati ſunt; atque ex virtute vitam, & honeſtate inſtituerunt; ijs quid factum dicturus eſt? præſertim cum Apoſtolus Heb. 11. id modo requirat, *vt accedens ad Deum credat: quia eſt, & quod inquirentib. ſe remunerator eſt*, vt quidquam præterea in eorũ fide neceſſariò requirere, ad quos nulla peruenit Euangelij, aut Chriſti venturi fama, alienũ prorſus a veritate videatur. Nam neque *neceſſitate medij* quicquam ad abſolutam eorum fidem deſideratur, præter id, quod, auctore Paulo Apoſtolo, ſatis eſt: neque vero credendi ea, quæ nunquam audiſſent, vlla ijs imponi potuit *præcepti neceſſitas*. Ergo aut ad peculiarem Dei reuelationem neceſſario confugiendum erit, quam qui concedit, inepte implicitam tantum fidem concedit, cùm & ſine vllo incommodo concedere poſsit explicitam, & doctorem Deum id magis deceat; aut excogitanda eſt ratio, qua Chriſti fides, atque notitia in ijs, quæ veluti propria fidei numerat Apoſtolus, implicite contineatur. Quod ni fiat, ſatis intelligi Chryſoſtomus nequaquam poteſt; cui Ethnici omnes, vnius etiam Dei, atque honeſti cultores ad inferos detrudendi, aut ſine fide euehendi erunt in cœlum, ſi fidem implicitam *in Moſaicis tantum ſymbolis reponamus*. Sed Caſaubonus, qui neque hæc apud Sixtum tam enucleate reperit, neque ſatis intellexit quæ reperit, ad typos Moſaicos totum hoc quicquid erat implicitæ fidei nullo diſcrimine retulit, non vt cælum Ethnicis clauderet; ſed vt inſcitiam ſuam lectoribus aperiret. Nam implicita fides tum ad Hebræos, eoſque qui ante Moſen iuſtificati ſunt; tum ad Ethnicos etiam eos pertinet, qui poſt latam legem vixerunt. Sed primi illi homines, ac filij Iſrael in ſymbolis ſacrorum, ac cæremoniarum inuolucris implicite Chriſtum agnouerunt. Reliqui, vt notat S. Thomas 2. 2. a. 7. ad 3. *ſi qui ſaluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fuerunt ſaluati abſque fide mediatoris. Quia etſi non habuerunt fidem explicitam; habuerunt tamen fidem implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundum modos ſibi placitos, & ſecundum quod aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiritus reuelaſſet.* Nam vt q. 1. a. 7. ſcripſit idem, *omnes articuli implicitè continentur in aliquibus primis credibilibus, ſcilicet vt credatur Deus eſſe, & prouidentiam habere circa hominum ſalutem, ſecundum illud ad Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt & quod inquirentibus ſe remunerator ſit. In eſſe enim diuino includuntur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter exiſtere; in quibus noſtra beatitudo conſiſtit. In fide autem prouidentia includuntur omnia, quæ temporaliter à Deo diſpenſantur ad hominum ſalutem; quæ ſunt via ad beatitudinem.* Quæ quia implicitè in implicita illa Sixti fide continebantur, non vidit Caſaubonus.

Iuſtinus à Baronio citatus exponitur, atque defenditur cum cæteris Patribus.

CAPVT IV.

POSTQVAM docuit Baronius in cōfeſſo ſemper apud omnes Patres fuiſſe neminem iam inde ab origine mundi, *niſi à Chriſto, & per Chriſtum, ſalutem eſſe conſequutum*; *Iure itaque*, inquit, *cenſuit grauiſſimus doctor Iuſtinus Martyr Chriſtianos eſſe nominandos quotquot ex gentibus, licet aduentum Chriſti præceſſerint, ratione*, μετὰ λόγου *dixit ille ſermone Græco, vixerant*, Hic Caſaubonus, *vt muſcam* agnoſcas, vt ait Nazianzenus, *vlceri imminentem Iuſtini verba commodiorem aliam interpretationem admittere*, ait, *quam quæ allata eſt à Baronio*, cùm Baronius nullam prorſus attulerit; atque illud modo ſignificarit rectè Chriſtianos omnes eos vocari, qui vitam ex virtute traduxerint; quod, niſi per Chriſti gratiam, officium rite colere, ac ducem rationem ſequi non potuerint. Cæterum eo ne Iuſtinus reſpexerit, cum Chriſtianos eos fuiſſe docuit, qui ad normam rationis vitam conformarunt, Baronius nihil ſcripſit. Neque vero quod Iuſtini pronunciatum probauerit, continuo etiam rationem probare debuit, qua is in eam ſententiam eſt adductus, cum verum ex falſo etiam colligi ſæpe poſsit: neque raro in philoſophia cùm de re ipſa controuerſia nulla ſit, de ratione cur ita ſit, viri docti diſſentiant.

Sed quando interpretari ipſum Iuſtinum voluit; operæ pretium eſt audire quid afferat ex culina, *quod non videatur*, vt ait ipſe, *animaduertiſſe Baronius*. *Chriſtum*, inquit *Iuſtinus*, *primogenitum eſſe Dei docti ſumus; & iam ante expoſuimus, cùm ratio ſit cuius omne genus hominum particeps eſt; & qui cum ratione vixerint, Chriſtiani ſunt, etiam ſi athei appellati ſint, Quales inter Græcos quidem Socrates, & Heraclitus, atque eorum ſimiles: inter barbaros autem Abraham, & Ananias, & Azarias, & Miſael, & Elias, & alij multi.* Hunc Iuſtini locum adnotauit ad marginem Baronius n. 2. ſui apparatus, quem ita interpretari Caſaubono placuit, *Iuſtini mentem eſſe, malè nouitatem doctrinæ Chriſtianis obijci, cum eius auctor ſit Chriſtus vnigenitus Dei filius: quippe Dei* λόγος *verbum, ſiue potius ratio, cuius ſit particeps vniuerſum genus hominum: ac proinde, non hodie, aut heri cœpiſſe exiſtere Chriſtianos in mundo; ſed à principio ſemper, & vbique fuiſſe. Chriſtianos enim cenſeri debere quicunque cum ratione vitam inſtituerunt*. Id ita eſſe confirmat ex gemino ſcriptoris eius loco in priore Apologia. *Chriſtus etiam à Socrate ex parte eſt agnitus.* λόγος *enim ratio ſiue ſermo erat, atque eſt, qui eſt in quouis. & ille eſt, qui partim per prophetas*

phetas futura prædixit; partim per ſeipſum hæc docuit, poſtquam ſeſe ipſe ijſdem perpeſſionibus reddidiſſet obnoxium, quibus & nos ſumus. Ex quibus Iuſtini verbis duæ propoſitiones, inquit, eliciuntur eruditorum Theologorum animaduerſione digna. Prior eſt; Ante Chriſti aduentum & Iudæos, & Græcos, ſiue gentiles, qui ſecundum rationem viuerent, Chriſtianos fuiſſe, ac proinde ſeruandos. Altera prioris cauſam continet; Hominem λογικὸν dici, id eſt rationalem, ſiue ratione præditum, quia particeps eſt. λόγου ἤτοι χριστοῦ rationis, aut verbi, quod eſt Chriſtus.

At doctrinæ nouitas neque obijcitur eo loco, neque obijci potuit, cùm iam ante longa diſputatione probaſſet Chriſtianorum recens nomen, vetuſtiſsimam eſſe diſciplinam; docuiſſetque à Moſe, atque prophetis Græcos cum philoſophos, tum poetas pleraque mutuatos, nonnulla, quod minus intelligerent, corrupiſſe. Sed obiectio eo ſpectat, vt aut Chriſtum diſciplinæ eius auctorem non fuiſſe demonſtret, cùm ea eſſet vetuſtiſsima, Chriſtus vix ante centum & quinquaginta annos natus; aut ſi is auctor ſit, eius quoque decreta recentia eſſe. Quo circa, vt veriſsima ſint; eos tamen meritò reprehendi non poſſe, qui ſuperioribus ſæculis nati, nihil, ne ſuſpicari quidem, de ijs potuerint. Id ita eſſe; ipſa Iuſtini verba aperte demonſtrant. *Ne aliqui*, inquit, *à ratione auerſi, eorum, quæ docuimus, refellendorum cauſa, dicant nos confirmare Chriſtum ante centum. & quinquaginta annos natum eſſe, Quirino prætore; eum autem docuiſſe, quæ dicimus, Pontio Pilato prætore: & accuſent, quaſi omnes homines, qui ſuperioribus ſæculis extiterunt, extra culpam ſint; occupatione dubitationem explicemus.* Quam ille dubitationem ita diſſoluit, vt dicat Chriſtum eius auctorem diſciplinæ, cum primogenitus ſit Dei filius, antiquiſsimum eſſe; neque tum primum docere cæpiſſe, cum, Quirino Iudææ præſide, mortalis primum apparuit: quippe verbum Patris cùm ſit, iam inde à rerum molitione, indito humanis animis rationis lumine, quo quid agendum, fugiendumue eſſet, vel ipſa naturæ voce cognoſcerent, ſatis omnes homines docuiſſe cenſendus ſit. quorum, qui rationem in vita inſtituenda ducem ſequuti ſunt, ſiue Græci ij, ſiue barbari fuerint, Chriſtianos fuiſſe: eos, contra, hoſtes Chriſti, atque diſciplinæ eius aduerſarios, qui ſecus, quam decuit, vixerunt. *Chriſtum quidem*, inquit, *Dei primigenium eſſe didicimus, atque expoſuimus: eum rationem, & verbum eſſe, cuius omne hominum genus factum eſt particeps; & qui cum ratione vixerunt, etiam ſi athei habiti ſint, velut apud Græcos Socrates, & Heraclitus, eorumque ſimiles: in barbaris autem Abrahamus, Ananias, Azarias, Miſael, & Helias alijque multi.* Vbi quid inueniat Caſaubonus cum Baronio minus conſentiens, equidem non intelligo, Nam eos, *qui ſobriè, & iuſtè, & piè vixerunt*, iam inde à rerum exordio ad

Chriſtum ſemper pertinuiſſe; ne Caſaubonus quidem inficiatur. An vero Chriſti olim venturi notitiam vllam acceperint; neque Baronius meminit, neque Iuſtinus, quod locus is minime requireret, diſputauit. Cæterum cum idololatria rationi maxime aduerſetur, neque ex ratione vitam ducere, niſi qui Deum rite coluerit, quiſquam poſſet; eos, quos cum ratione vitam inſtituiſſe ſcribit Iuſtinus, vnius Dei rerum omnium opificis cultores fuiſſe neceſſe eſt. Cum etiam Socratem, & Heraclitum, eam ob rem Atheos habitos eſſe memoret. Socratem vero etiam ipſo Apologiæ eius initio ſublatum è medio teſtetur, *quod cum vera ratione, & conſiderate in lucem proferre conaretur, hominesque à dæmonibus abducere; eum dæmones perditorum hominum opera, tanquam impium, & Deorum hoſtem, necauerint*, cum illum *nouos Deos inducere iactarent.* Satis autem conſtat ex ijs, quæ ex S. Thoma Capite ſuperiore docuimus, in vnius Dei rerum omnium molitorio, eiuſque prouidentiæ cognitione, Chriſti olim venturi fidem implicite contineri potuiſſe. Quocirca eo etiam prioris Apologiæ loco, quem Caſaubonus protulit, Chriſtum ex parte à Socrate agnitum auctor eſt, quanquam eo quidem loco plus neſcio quid Socrati concedere viſus eſt, cùm rationem eam attulit; cur agnitum ab eo Chriſtum dixerit; *Quod verbum ſit, quod eſt in quouis hominum; quodque & per prophetas futura prædixerit, & per ſeipſum docuerit, poſtquam ſeſe ijſdem perpeſſionibus reddidiſſet obnoxium.* In poſteriore quidem Apologetico diſerte docet *omnia, quæ de animi immortalitate, vel de ſupplicijs poſt mortem, vel cognitione, contemplationeque cæleſtium, aut ſimilibus decretis & philoſophi, & poëtæ prodiderunt, argumenta à prophetis mutuatos, & intelligere potuiſſe, & commemorauiſſe.* Itaque in *omnibus, & apud omnes veritatis ſemina videri eſſe; ſed eos inueniri non accurate, ac plane intellexiſſe, cum ſibi ipſi contraria profiteantur.* Ergo ſiue fidem implicitam, ſiue etiam ex parte explicitam Chriſti notitiam (nam hoc ſatis aperte innuit) Ethnicis illis Iuſtinus conceſſerit, quos Chriſtianos fuiſſe dicit; nihil habet, quod reprehendat Caſaubonus, nihil quod in ſuſpicionem minus probati cuiuſquam dogmatis meritò vocari poſsit. non ſolùm quia præueniente Chriſti gratia, ſi qui fuerunt eiuſmodi, in animum induxerunt, vt ducem in vita ſequi rationem vellent; eademque vires ſuppeditante, & conati ſunt, & perfecerunt quod volebant: ſed etiam quia, vel ex prophetarum libris, vel diuina reuelatione Chriſti olim venturi cognitionem acceperunt, aut etiam implicite in Deo rerum opifice, ac gubernatore generis humani, mediatoris fidem habuerunt. Sed Caſaubonus dùm Baronium tam odioſè calumniatur, id videlicet aſſequitur, vt malignus æque, & indoctus agnoſcatur. Pergit,

Poſterior (propoſitio) *res pluſquam toto genere diuerſas* λόγον τ̃ κοινόδης.

δὴ καὶ ἐνυπόστατον *hoc eſt ſecundum ſemper adorandæ Trinitatis perſonam, & λόγον ſiue rationem humanam manifeſta, & periculoſa homonymia confundit; vt non ſine cauſa eximius* Dei *ſeruus Baſilius in explicatione primorum verborum ex Euangelio* Ioannis*, monuerit cauendum eſſe ab homonymia vocis* λόγος*, ne in fraudem incidamus* ὅρα *inquit* μή ποτέ σε παραχαράξηται τὸ ὁμώνυμον τῆς φωνῆς. Hic iam myſteria baiulat; & quod, minime ferendum eſt, morſibus, & calce importuna animans petit. Iuſtinum ante philoſophum, quam Chriſtianum, qui dialecticis à puero eruditus, ætatem omnem in veritatis indagatione poſuerat, *non manifeſta* modo, ſed *periculoſa etiam homonymia* Caſaubonus arguit, quod *ſecundam ſemper adorandæ Trinitatis perſonam*, inquit, *& rationem humanam confundat.* Quid ita vero? Quod dixerit: *diuinæ rationis, ac verbi vniuerſum genus hominum eſſe particeps.* Hic iam ſi expertem cum philoſophiæ, ac merum grammaticum dixero; verendum, videlicet, erit, ne factam illi iniuriam quiſquam exiſtimet. Quis enim, qui philoſophica modo attigerit, ignorat? inter ea, quæ plane vnam habent, communemque naturam, & ea quæ ſola vocis communicatione coniuncta ſunt, interiecta eſſe *analoga*, ſiue quæ *ab vno, atque ad vnum* Ariſtoteli, Scholaſticis *attributionis* dici ſolent; ſiue ea, *quæ proportionalitatis* à Scholaſticis vocantur, ac re vera analoga ſunt. Qui autem conſequens eſſe potuit? vt quia λόγος diuinæ, humanæque rationi *vniuoce* communis non eſt, continuo vox æquiuoca cenſeretur, cum reponi in analogis poſſet. Sed capere homo in Theoricis minime exercitatus non potuit, quid ſibi velint Scholaſtici, cum dicent; quædam *per participationem eſſe talia; quædam alia per eſſentiam; cumque tres illi modos ſimilitudinis rerum numerent; communitatem generis, communitatem ſpeciei, ac ſecundũ analogiam tantũ in ſola ſpeciei cõmunitate proprie vniuocã eſſe formam, quæ fundamentũ ſimilitudinis dicitur & ſecundum quam effectus agenti vniuocus appellatur. Ea porro omnia quæ Deo cum rebus creatis cõmunia ſunt, in nobis per participationem eſſe, niſi ſecundum analogiam, in Deo vero per eſſentiam reperiri* Qua de re S. Thom. p. 1. q. 4. a. 3. *Cum*, inquit, *omne agens agat ſibi ſimile inquantum eſt agens; agat autem vnumquodque ſecundum ſuam formam; neceſſe eſt, quod in agente ſit ſimilitudo formæ effectus: ſi ergo agens ſit contentum in eadem ſpecie cum ſuo effectu; erit ſimilitudo inter faciens & factum in forma ſecundum eandem rationem ſpeciei, ſicut homo generat hominem. Si vero agens non ſit contentum in eadem ſpecie: erit ſimilitudo, ſed non ſecundum eandem rationem ſpeciei, ſicut ea, quæ generantur ex virtute ſolis; accedunt quidem ad aliquam ſimilitudinem ſolis: non tamen vt recipiant formam ſolis ſecundũ ſimilitudinẽ ſpeciei, ſed ſecundum ſimilitudinẽ generis, vel ſecundũ aliqualẽ analogiã, ſicut ipſũ eſſe eſt cõmune omnibus: Et hoc modo illa, quæ ſunt in Deo, aſsimilantur ei, in quantũ ſunt entia, vt primo, & vniuerſali principio totius eſſe.* Neque enim, vt in reſponſione ad 3. docet idem, *dicitur eſſe ſimilitudo creaturæ ad*

Deum propter communicantiam ad formam ſecundum eandem rationem generis, & ſpeciei; ſed ſecundum analogiam tantum; prout ſcilicet Deus eſt ens per eſſentiam, & alia per participationem. Quanquam enim repudiatus eſt Plato, qui, vt q. 6. a. 4. idem notat, *ponebat ſeparatam ideam entis, & vnius, quam dicebat per ſe ens, & per ſe vnum, cuius participatione vnumquodque diceretur ens, & vnum; hoc tamen abſolute verum eſt, quod aliquid primum eſt, quod per ſuam eſſentiam eſt ens, & bonum, quod dicimus Deum, huic etiam ſententiæ concordat Ariſtoteles. A primo igitur per eſſentiam ente, & bono vnumquodque poteſt dici bonum, & ens, in quantum participat ipſum per modum cuiuſdam aſſimilationis, licet remote, & deficienter. Sic ergo vnumquodque dicitur bonum bonitate diuina, ſicut primo principio exemplari, effectiuo, & finali totius bonitatis. Nihilominus tamen vnumquodque dicitur bonum ſimilitudine diuinæ bonitatis ſibi inhærente, quæ eſt formaliter ſua bonitas denominans ipſum, & ſic eſt bonitas vna omnium, & etiam multæ bonitates.* Nimirum nullis concluſa certæ perfectionis finibus diuina natura, atque omnes creatarum rerum perfectiones complexa, ita eſt vna ſimplexque, vt nihil in vllo genere deſideret abſolutionis; vt eam ob rem Auerroes S. M. com. 21. neget *deeſſe ei vllam nobilitatem, quæ inueniatur in vllo genere*, Nam *ex hoc*, inquit S. Thomas p. 1. q. 4. a. 2. *quod Deus eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens, oportet, quod totam perfectionem eſſendi in ſe contineat. Omnium autem perfectiones pertinent ad perfectionem eſſendi. Secundum hoc enim aliqua perfecta ſunt, quod aliquo modo eſſe habent: vnde ſequitur quod nullius rei perfectio Deo deſit. Et hanc rationem tangit Dionyſius cap. 5. de diuinis nominibus dicens, quod Deus non quodam modo eſt exiſtens, ſed ſimpliciter, & incircunſcripte totum in ſe ipſo vniformiter eſſe præaccipit.* Quæ cum ita ſint, non poteſt bonitatis, aut perfectionis particeps dici Deus, cum non certam aliquam eius partem accipiat: ſed nulis circunſcripta finibus perfectio ipſe ſit. Res vero creatæ perfectionis participes merito dicuntur, quod omnis earum perfectio certis incluſa naturæ ſuæ terminis ab aliis perfectionibus diſtinguatur: ac ne ea quidem, quam accipiunt, niſi particula ſit bonitatis, ac perfectionis naturæ ſuæ. Nam paries cum albedinem recipit, non modo reliquas colorum perfectiones excludit; ſed ne omnem quidem albedinem recipit. Quod vt albedinis forma finitur, ac determinatur color, ne niger, aut flauus ſit, ita vel huius albedinis *indiuiduatione*, vel, vt S. Thomæ placet, ab ipſa albedinis ſede in qua ponitur, reſtringitur, ne omnis albedo ſit. Ergo Deus cum ipſe perfectio ſumma ſit, non magis perfectionis, quam ſui ipſius particeps dici poteſt: res creatæ in quibus ſubiecta perfectioni res à perfectione diſtinguitur, partem ſibi perfectionis merito capere dicitur.

Iam vero in Deo mentem, intelligentiam rationem cognitionem eſſe; qui Deum modo vllum eſſe putet, nemo negauerit. Ariſtoteles quidem A-

naxago-

Digitized by Google

naxagoram, qui in rerum cauſis mentem primus numerauit, ea in re ſequutus, perinde mentem appellat Deum, quaſi nihil in eo aliud ſit, qui lib. etiam 12. M. t. 51. Deum ſui ipſius cognitionem, ac notitiam facit, vt quando intellectio ſummum bonum eſt; Deus & intellectio ſit, *& ſit intellectionis intellectio*. Hominem porro mente, & ratione præditum animal, è rebus omnibus corporatis infinito quidem interuallo, ſed proxime tamen ad Deum accedere, certiſsimum eſt; cum ad *eius etiam imaginem ac ſimilitudinem* cõditus in diuinis literis memoretur. Non poteſt autem in ea parte, quæ illi vel cum brutis animantibus, vel cum rebus aliis aſpectabilibus communis eſt, imaginem Dei geſtare, cum id ſacræ literæ tanquam proprium homini tribuãt. Reliquũ igitur eſt, vt mẽte ac ratione, qua ſola differt à cæteris, referre Deũ cenſeatur: Et quidem qua Deus eſt. Nam, vt notat S. Thomas p. 1. q. 43. a. 2. *Requiritur ad rationem imaginis, quod ſit ſimilitudo ſecundum ſpeciem, vel ad minus, ſecundum aliquod accidens proprium ſpeciei. Manifeſtum eſt autem, quod ſimilitudo ſpeciei attenditur ſecundum vltimam differentiam*: Quo ſit, vt ſi homo imaginem Dei geſtat, à Deo qua Deus eſt, expreſſus neceſſario ſit. In mente igitur ineſt ſimilitudo Dei, qua Deus eſt. quare vt ex Auguſtino lib. 83. quæſt. refert idem, *quæ ſapiunt, vel intelligunt, ita ſunt Deo ſimilitudine proxima, vt in creaturis nihil ſit propinquius*. Ergo cum cæteris in rebus Dei *veſtigium* agnoſcant Theologi, in homine, atque angelis imaginem etiam reponunt. quod vt 6. quæſt. eius articulo docet S. Thomas, *creaturæ rationales videntur quodammodo ad repræſentationem ſpeciei pertingere, in quantum imitantur Deum, non ſolum in hoc, quod eſt & viuit; ſed etiam in hoc, quod intelligit Aliæ vero creaturæ non intelligunt; ſed apparet in eis quoddam veſtigium intellectus producentis, ſi earum diſpoſitio conſideretur*. Cum igitur Deus per eſſentiã æterna quædam mens, atque, vt Ariſtoteles loquitur, intellectio ſit; mentis ipſe, atque intellectionis particeps eſſe nõ poteſt; at in nobis cum cognitio à vi cognoſcente, atque à natura ipſa diſtinguatur, eaque & ab aliis creatis perfectionibus, quæ in nobis ſunt, differat, & ab aliis aliorum cognitionibus diuerſa ſit; nimirum finitam eam eſſe neceſſe eſt. Quocirca partem nos eius; accipimus, quæ in Deo nullis incluſa terminis, infinita, ac ſine modo eſt. Hinc illud eſt B. Auguſtini Deum in Confeſsionibus alloquentis; *Vbique veritas præſides omnibus, ſimulque reſpondes omnibus, etiam diuerſa conſulentibus: liquidè tu reſpondes, ſed non liquidè omnes audiunt*.

Cum autem intellectus partim in ſola rerum contemplatione conſiſtat, quem *ſpeculatiuum* Scholaſtici vocant; partim rerum agendarum notitia contineatur, qui *practicus* ab iis dicitur; vt intellectus noſter *ſpeculatiuus*, è diuina mente res neceſſarias contemplante expreſſus eſt; *ita practicus*, artificem illam rerum creatarum mentem imitatur.

Sed.

Sed quia lex, vt notat S. Thomas p. 2. q. 41. a. 1 *nihil eſt aliud; niſi dictamen practicæ rationis in principe qui gubernat aliquam communitatem perfectam; manifeſtum eſt, quod tota communitas vniuerſi gubernatur ratione diuina: & ideo ipſa ratio gubernationis rerum in Deo, legis habet rationem*: Quo fit, vt quemadmodum articulo eius quæſt. 2. ſubiicit; *Cum omnia diuinæ prouidentiæ ſubdantur, à lege æterna gubernentur.* atque ita *manifeſtum eſt quod omnia participant aliqualiter, legem æternam, in quantum videlicet ex impreſſione eius habent inclinationem in proprios fines, & actus. Inter cætera autem rationalis creatura excellentiore quodam modo diuinæ prouidentiæ ſubiacet, in quantum & ipſa fit prouidentiæ particeps, ſibi ipſi, & alijs prouidens: vnde & in ipſa participatur ratio æterna, per quam habet inclinationẽ ad debitum actũ, & finẽ; & talis partipatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur.* Hæc S. Thom. qui eum etiam Pſalmi locũ ad hãc rẽ accõmodat: *ſignatũ eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, quaſi lumen rationis naturalis*, inquit, *quo diſcernimus quid ſit bonum, & quid malũ, quod pertinet ad naturalẽ legem, nihil aliud ſit, quam impreſſio diuini luminis in nobis. Vnde patet, quod lex naturalis nihil aliud eſt, quam participatio legis æternæ in rationali creatura.* Quæ ipſis tanti ſcriptoris verbis eam ob rem exponenda hoc loco duxi; vt intelligatur, hæc non à me nunc primum excogitata, ſed ante quadringentos annos trita apud Theologos, ac peruulgata fuiſſe: quorum ignoratione Caſaubonus tam acerbe in Iuſtinum & Martyrem, & philoſophum, atque contumelioſe ſe geſsit, vt eum homonymiæ in re tanta & periculoſe quidem accuſaret.

Quod ſi quæras cur; cum communis ſit trium perſonarum diuina mens atque notitia, Verbo in primis ea legis naturalis, ac luminis in humanis mẽtibus impreſsio tribuatur; in promptu reſponſio eſt. Cum enim intelligendo, dicendoque Pater filium generet; eoque expreſſa quædam ſit paternæ mentis imago, vt rerum omnium notiones in diuina mente continentur; ita diuino verbo etiam exprimuntur. *Semel enim loquutus eſt Deus*, atque vnica dictione quidquid in mentem vnquam venire illi potuit, ad viuum expreſsit. Hinc ab Apoſtolo Paulo non modo *imago Dei inuiſibilis, ac figura paternæ ſubſtantiæ; ſed Dei etiam ſapientia dicitur*; quam eleganter in hymnis *σοφίαν κοσμοτεχνήτιν* eam ob rem appellat Syneſius; quod omnes rerũ omnium creatarum rationes contineat. Quocirca etiam *Verbo Domini cœli firmati eſſe*, ac *Deus dixiſſe* cum mundum conderet, *& omnia per verbum facta: ſine ipſo nihil factum* in ſacris literis memoratur. Quo accedit etiam id, quod S. Thomas quæſt. illa 41. p. 2. a. 1. in reſponſione ad 2. acutè notat, quod cũ niſi promulgata voluntas principis, lex eſſe non poſsit, vt legem æternam poſsimus animo cõcipere, æternã aliquã promulgationẽ neceſſario nos inuenire debere, quod diuini Verbi proprium eſt, quo Pater conceptam animo vni-

mo vni-

Digitized by Google

mo vniuerſitatis gubernationem, dum dicit, promulgat. Quanquam ea quidem *ex parte creaturæ audientis*, inquit, *non poteſt eſſe promulgatio æterna.* quia prius audire non poteſt, quam ipſa ſit. Cum autem mens humana nulla alia ratione promulgationem hanc audiat, niſi quia eo lumine prædita eſt, quo malum ac bonum diiudicat: meritò Iuſtinus affirmat quia mens humana diuini Verbi particeps eſt, ab eo iam inde à ſui conditione doctam eſſe, quid agendum, quid fugiendum eſſet.

Ergo more ſuo deſipit Caſaubonus, neque quicquam concipere poteſt animo, niſi quod pecudis ritu ſenſu perceperit. Iuſtinus, vt tantum virum decuit, de verbo diuino grauiter, vereque diſputauit. Neque aut periculi quidquam, aut ambiguitatis habet eius oratio. Nam & ſi tantum inter diuinum, humanumque verbum interuallum eſt; quantum eſſe neceſſe eſt inter Deum ac rem creatam; habent tamen, vt Baſilius monet eo ipſo, quem Caſaubonus citat, loco, commune nonnihil, cui cum ipſa creatæ rei natura finem, ac modum perfectionis imponat, idque imperfectionis ac finis expers in Deo ſit mixtam *proportionalitate atque attributione*, quam vocant, diuini, humanique verbi analogiam eſſe neceſſe eſt. *Cur verbum?* inquit Baſilius, (ab Euangeliſta vocatur filius Dei) *quo oſtendatur, quod ex mente proceſsit. Cur verbum? quia citra affectionem natus eſt. Cur verbum? quia imago eſt genitoris, totum in ſe ipſo genitorem oſtendens, nulla illinc parte deducta, & perfectus ſecundum ſeipſum exiſtens, quemadmodum etiam noſtrum verbum totum noſtrum conceptum, velut imago repræſentat: nam quæ mente concepimus, & cognouimus, ea verbo proferimus. Et eſt mentis in corde conceptus, & cogitationis imago id, quod loquimur. Ex abundantia enim cordis verbum profertur. Et eſt cor quidem noſtrum velut fons quidam; verbum vero velut canalis quidam ex hoc fonte fluens. Tantum igitur eſt id quod profluit, quantum eſt id, quod profertur. Et quale eſt id quod occultum eſt; tale eſt etiam quod apparet. Verbum igitur dixit, quo affectionis expertem Patris generationem tibi proponeret; & perfectam ſubſtantiam filij te doceret, & coniunctionem filij ad Patrem intemporalem per hæc demonſtraret. Nam & noſtrum verbum mentis fœtus eſt, qui citra affectionem generatur. Neque enim ſecatur, neque diuiditur, neque fluit mens ipſa; ſed in propria conſtitutione tota manens, totum verbum, & abſolutum producit: & progreſſum verbum totam genitoris ipſius mentis potentiam in ſe ipſo complectitur.* Habet igitur, auctore Baſilio, Verbum diuinum cum noſtræ mentis conceptione verboque multa communia; neque in ea quidem re vllum eſt homonymiæ periculum. Illud modo diligenter animaduertendum, quod is eo loco ſubiicit; *Vt quantum pium eſt, tantum ad vnigeniti Theologiã ex voce verbi accipiamus: quod vero diſsidens, & incongruum repererimus, hoc reprobemus, omnique ſtudio transgrediamur.* Nimirum vt Scholaſtici vere diſputant, quæcunque Deo ſunt

um creatis rebus communia, cum perfectionem imperfectioni admixtam ſemper habeant, quandiu quidem in conditis rebus inſunt; ea remotis imperfectionibus, pura atque intaminata in Deo reponenda ſunt. vt cum eadem plane non ſit vtrorumque vel finitio, vel natura, & tamen altera ab alteris deriuata eorumque ſimilia ſint; homonyma dici nulla ratione poſſent, quicquid Caſaubonus contra ex Athæneo de coquina ac iure diſputet.

Sed ille ne minus importunus & audax videretur, ſi Iuſtinum vnum exagitaret; nullo diſcrimine in ius totam antiquitatem vocat: atque; *Hæc*, inquit, *ſummi viri* (Baſilij) *admonitio* (de homonymia vocis λόγου) *in legendis veterum Patrum ſcriptis apprimè eſt neceſſaria.* Quid ita vero Caſaubone? Adeone aut falluntur in re tanta Patres; aut ſcientes fallunt, vt hominymiis ſcripta repleuerint. *Multa enim*, inquit, *in illorum monumentis occurrunt in vocis huius illuſtrationem eleganter ingenioſe, addam & vtiliter, pro tempore, excogitata; quæ tamen doctrinam parum ſolidam contineant.* Sophiſtas nimirum illi agebant, non graues & Chriſtianos Theologos; vt non laborarent quam vere, ac ſolide; ſed quam eleganter & ingenioſe diſputarent. Nam quod in iis eorum diſputationibus vtilitatem neſcio quã, ne de re, minus videlicet neceſſaria, litiget, ægre tandem adducitur, vt permittat potius, quam concedat: id vero cum atroci Patrum iniuria, contumeliaque coniunctum eſt: à quibus dum cauſæ, ac tempori ſeruirent, proditam veritatem ſignificat. Quanquam id quidem Caſaubono Caluiniano homini non immerito condonari poteſt. Nam neque proteſtantes, quorum filij non ſunt, iis patriæ pietatis nomine quicquam debere poſſunt: Et cum Lutherus, Caluinus, Zuuinglius, iiſque vetuſtior Huſsius, quinti Euangelij conditores, ad tempora fidem, atque Euangelium ſuum accommodarint; turpe id, aut alienum à vera religione diſciplinæ eorum æmulus eſſe non credidit.

Sed hæc in vniuerſum dicta, inania prorſus videri poſſunt, niſi exemplum ſubiiciat. *Ergo ſic accipienda ſunt*, inquit, *quæcunque ab illis* (Patribus) *proferuntur ex antiquis philoſophis, vt probent etiam ſapientibus inter gentes verbum fuiſſe notum, quod celebrat Ioannes.* Atque exemplum ſubiicit ex libro 7. Cyrilli in Iulianum, *qui Platonis ex Epinomide verbis probat diuino λόγῳ mundum aſpectabilem eſſe conditum; ac videri quidem Platonem eo loco idem dicere, quod Ioannes. Cæterum*, inquit, *ſi rem penitus ſpectemus λόγος Platonis, id eſt ratio illa, quam ait à Deo ſummo adhibitam in conditu mundi, longe eſt aliud, quam verbum. Chriſtus, apud Ioannem, & ille λόγος ἐνυπόστατος ſolis notus iis, quibus ſacra ſcriptura innotuit:* Perinde quaſi nõ communis ſit plurimorũ ſententia veteres philoſophos, ac Platonem inprimis, ſacras veteris teſtamenti literas euoluiſſe. vt, ſi nihil aliud; ad agnitionem diuini verbi neceſſarium ſit; facile ex ijs diſcere potue-

Digitized by Google

potuerit, *verbo Domini cælos firmatos eſſe dixiſſe Deum, & facta eſſe omnia.* Quæ ſingillatim primo ipſo ſacræ Geneſeos capite tam accurate deſcribit Moſes. Nam quod λόγον ἐνυπόστατον eſſe ait eum, quem B. Ioannes memorat; ad rem nihil facit. Neque enim ignorarunt Philoſophi diuinæ mentis λόγον ſubſtantialem, ac per ſe ſubſiſtentem eſſe; cum etiam lib. 12. metaph. a. t. 50. accurata diſputatione probet Ariſtoteles, diuinam intellectionem Deum, ac per ſe ſubſiſtentem eſſe. Sed myſterium Chriſtianæ proprium religionis, atque omnem ſuperans humanæ intelligentiæ captum in eo poſitum eſt, vt Patris æterni λόγον vere filium eſſe, vereque hypoſtaſi, atque perſona à Patre diſtingui credat; cum tamen conſubſtantialis illi, neq; natura diſtinctus ſit. Cæterum, quicquid demum de Verbi diuini natura philoſophi ſenſerunt, nulla in eo homionymia eſſe poteſt. Cũ enim, vt ſupra demonſtratũ eſt, mixta ex attributione ac proportionalitate diuini, humaniq; verbi analogia ſit; ſatis id fuit Patrum diſputationibus: vt, quemadmodum 1. phyſ. t. 48. notat Ariſtoteles, veteres philoſophos non tam ratione vlla, quam ipſa veritatis vi in eam ſententiam adductos eſſe; vt quamuis alij par; & impar, alii calorem & frigus, alii ſiccum & humidum, omnes tamen id quod horum omnium eſt commune nec ſentientes principia contraria facerent; ita licuerit Patribus docere, conſentire cum Chriſtianis Ethnicos etiam Philoſophos, Verbo diuino rerum vniuerſitatem eſſe conditam, ſiue illud ſubſtantiale, ac per ſe ſubſiſtens; ſiue inhærens in alio ſit. Habent enim hæc communem quandam verbi notionem, non vniuocam illam quidem, ſed analogicam tamen, quæ ſatis ad demonſtrationem, atque ſcientiam ſit. Non eſt igitur metuendum, quod ille ſubijcit, ne licet talia multa habeantur apud Patres, in ijs homonymia poſsit parum cautis imponere. Sed illud timendum potius, ne cum temere in Theologorũ ſcripta imperiti, nec grauioribus diſciplinis exculti grammatici inuolent, inepte multa effutiant, quæ ſtomachum ſapientibus faciant.

Iobium certe antiquum & eruditum ſcriptorem incredibili confidentia exagitat Caſaubonus: *quod eam cauſam affert, cur humanam naturam filius aſſumpſerit, non Pater, aut Spiritus ſanctus; quia filius ſit* λόγος, *quem homo cum amiſiſſet*, ait, *neceſſarium fuit ad ſanandam* ἀλογίαν τὸν λόγον *in terras venire.* Ac *parum abeſt*, inquit, *quin ludere illum potius in re grauiſſima exiſtimem, quam ſerium Theologum agere.* Nec animaduertit non vnum ſe Iobium, quem tamen ipſum reuereri debuit, ſed maximam partem veterum Theologorum eadem opera damnare. *Quid enim*, inquit Roſweydus tab. 1. *Iobius elegans apud Photiũ ſcriptor de arcana illa Chriſti Oeconomia prodidit? quod nõ ante, & poſt alij Patres, quod nõ ipſa Theologorũ ſchola; quod non ſcholæ illius*

 decus

decus, D. Thomas; quod non docti omnes vel prodidere, vel approbauere? Non faciam longum. videant apud illum, qui volent, Athanaſij, Clementis Alexandrini, Ambroſij, Cyrilli Alexan. Ioannis Damaſc. ac B. Thomæ notata teſtimonia; qui iiſdem pæne verbis ea docent, quæ homuncio neſcio quis è grammaticorum officina in aula Britannica repente Theologus, tam contemptim exagitat. *Quis enim*, vt Roſuueidi verbis vtar, *tot Patres ludere, quæ non ſerios Theologos agere affirmabit? Profecto ſi quis hic Patrum luſus, ſi quæ iocularia dicta; luſerit quoque iocatuſque fuerit D. Paulus, cum & filium imaginem Dei, & hominem ſeu virum imaginem Dei aſſeuerat. Sed apage hanc impietatem. Rectè igitur Iobius, rectè alij Patres, rectè Scholaſtici, cur filius ratio, & imago Patris humanam naturam inſtaurarit ex rationis participatu, & imaginis adumbratione inueſtigarunt.* Sed Caſaubono par inſcitiæ temeritas inerat, vt quominus intelligeret, eo confidentius pronunciaret.

Egregia Caſauboni de Sibyllarum oraculis Theologia.

CAPVT V.

IN Caſaubonianarum exercitationum veſtibulo eo conſilio diutius hæſimus, vt periculum ex eo totius operis lector faceret; in quo vt recentibus ſtudiis, diligentiaque, ſcriptori nihil per incuriam atque oſcitantiam excidere potuit; ita incredibilis hominis inſcitia clarius cernitur. Libet his eius de Sibyllarum carminibus dignam ea ſapientia, moribus, ingenio Theologiam ſubiicere: tum carptim hinc inde nonnulla proferam, quibus eum vbique ſui ſimilem, & Caſaubonum lector agnoſcat.

Exercitationis 1. cap. 10. oracula Sibyllina, totius antiquitatis teſtimonio comprobata, in ſuſpicionem, eo argumento vocat, *quod verbo Dei contrarium videri*, ait, *exiſtimare tam profunda myſteria gentibus fuiſſe clarius propoſita, quam illi populo, quem Deus Opt. Max. vt peculiariter ſuum dilexit, & ſuam & ipſius, & fidelium ſuorum ſeruorum voce erudijt.*

Quid ſi autem ita ſcripta ea Sibyllarum vaticinia fuerint; vt neque ipſæ plane perciperent, quid ijs contineretur, neque intelligerentur ab aliis ante, quam ipſo rerum exitu, quod plerumque euenit in oraculis, declararentur? Etiamne magni incommodi loco duceres, Caſaubone? ea myſteria Sibyllarum vaticiniis tanto ante celebrata eſſe, vt ad reuincendos Ethnicos in tempore vſui eſſent Eccleſiæ. Non vſque adeo ſtolidus fuit, vt eum & reſponſio, & vis reſponſionis huius effugeret. *Niſi quis forte dicat*, inquit, *gentium vates, inſtar aſinæ Balaami ea dixiſſe, quæ non intelligebant*

(quod

Digitized by Google

(quod & Daniel vir ille deſideriorum, ſibi aliquando accidiſſe commemorat xij. q.) non in præſentem vſum, ſed vt ſæculis poſt futuris illa prodeſſent; & poſt rerum euentum partim æternæ prouidentiæ teſtimonium exhiberent; partim ad paganorum auctoritatem reuincendam valerent, vt docet B. Auguſtin. contra Fauſt. xiij. cap. xv. Fateris ergo, ſi ea reſponſio admittatur, tuam omnem diſputationem euerti. quare aut ea conuellenda, aut tua tibi ſententia neceſſario relinquenda eſt. Et hæret ille tamen in ſententia; neque quicquam non modo affert, ſed ne conatur quidem afferre, quo reſponſionem eam labefactet. Quo loco libet ſtuporem hominis demirari; qui cùm, pro Caluiniano ſuo in Patres, atque in Baronium odio, perſiſtere in ſententia, etiam minus ſolida conſtituiſſet; non diſsimularit tamen eam, que conuelli ſententiam ſuam animaduerteret; cum nihil ipſe contra diſputare poſset. Nam quod Danielem tantum, ac talem prophetam, ne myſteria ſolus in pompa vehat, cum Balaami iumento comparat; facitque quod Britannicum paraſitum, quòd aulicum Theologum, quod Caluini diſcipulum decet.

Scitum etiam illud quod pag. 74. conuictus Origenis argumento, omnem fere retexit diſputationem ſuam. *Scio*, inquit, *Origenem contra Celſum, qui Chriſtianos hoc nomine* (perinde quaſi eos illi verſus ſuppoſuiſſent) *acriter ſugillabat, ad vetuſta exemplaria prouocare, in quibus inueniantur.* Quæ? quæ tandem ea? nempe quæ è Sibyllarum vaticinijs ad confirmanda Chriſtianæ religionis myſteria Chriſtiani proferebant. Vtrum igitur dicturus es Caſaubone, vetuſta quoque exemplaria a Chriſtianis eſſe corrupta prius, quam vlli omnino eſſent? An maligne te, ne dicam ſceleratè, & impie eam veteribus Chriſtianis calumniam irrogare, quam a Celſo olim excogitatam, ante mille circiter & quadragintos annos, Origenes diluiſſet? *Neque nos ſane negamus*, inquit, *multa diuinitus potuiſſe dici à Paganorum vatibus, non minus, quam ab aſina Balaami.* Sed ſi id concedit, quid tandem abnuit? *Illa tantum reijcimus*, inquit, *quæ arcana religionis noſtræ apertius explicant, quam factum ſit vnquam à Dei prophetis.* At primum Origenis argumentum non effugit. Nam in ijs, quæ Chriſtiani ad reuincendos Ethnicos afferebant, quorumque cauſa in ſuſpicionem impoſturæ vocabantur à Celſo, ea in primis erant, quæ eam ad rem prolata in maiorum noſtrorum voluminibus legimus. Neque diſtinguit Origenes, aut quicquam eorum excipit, quæ paſſim citabantur à Chriſtianis. Ergo aut omnia in vetuſtis etiam exemplaribus inueniebantur; aut cum ad ea prouocat, ludit, ac fidei cauſam prodit Origenes. Deinde, ſi ea modo e Sibyllinis voluminibus reijcit, quæ apertius de Chriſtianæ religionis myſterijs apud Sibyllas, quam apud Prophetas leguntur, ſi cætera concedit ab ijs & præſentiri, & ſcribi potuiſſe diuinitus; cur cap. xi. pag. 88. negat quicquam e libris Sibyllinis hauriri po-

tuiſſe, quod ad veram pietatem poſſet lectoris ſtudia promouere, cum etiam Iuſtinum rerum Romanarum ignorationis accuſet? Quod certe diaboli factum ſcripſerit, vt lege tam ſeuera eorum librorum lectione hominibus interdiceretur, *quod metuerit, ne qui legerent, ad notitiam peruenirent τ̃ καλῶν, id eſt veræ pietatis.* Sed conſtare ſibi ſpiritus erroris non potuit, in homine præſertim, qui ne ipſe quidem ſatis ſibi conſtaret.

Denique quos tandem hoc loco Dei prophetas appellat Caſaubonus? eosne, qui diuino afflati ſpiritu, futura prædicunt? Qua igitur ratione è Dei prophetis paganorum vates eximit, à quibus fatetur multa diuinitus eſſe dicta? An eos potius, qui in Iudæorum populo floruerunt? At iſta quidem ratione B. Iob è prophetarum Dei numero eximetur, qui vt notat Auguſtinus lib xviij. de ciuit. cap. xlvii. *nec indigena, nec Proſelytus id eſt aduena populi Iſrael fuit, ſed ex gente Idumæa, genus ducens, ibidem mortuus eſt.* Ac ne in nouo quidem teſtamento quiſquam eorum propheta Dei fuiſſe dicendus erit, quos prophetas in Actis appellat B. Lucas; quod aut Iudæi non erant, aut ad Eccleſiam tranſlati, amplius ad eum populum non pertinebant. Nā ſi eos in prophetis Domini ſolos numerandos cenſet, quorū volumina in ſanctarum ſcripturarū canonē ſunt relata; caueat ne reclamet Helias, qui ſe atq; collegas ſuos prophetas Domini vocat. Cæterum, quid Balaamum, cuius tantopere aſina delectat Caſaubonum, tunc Dei prophetam fuiſſe neget? cum Num. 22. & conſequentibus capitibus vocatus, vt malediceret populo, tam crebros illos cum Deo ſermones habuit; deque Iſraelis gloria, & felicitate tam multa illa, quæ in diuinis literis legimus, vel inuitus vaticinatus eſt, cum negaret aliud ſe quicquam effari poſſe, niſi quod accepiſſet à Domino? Qui & Ammonites ipſe fuit, *eiuſque vita peruerſa, atque Angelo Dei contraria, & mercede iniquitatis effuſus, docuit Balac mittere in via ſcandalum coram filijs Iſrael, edere & fornicari.* Et ſane ſi prophetæ, præcones, atque interpretes Spiritus ſancti ſunt; quiſquis, eo afflante, futura prædicit, ſiue bonus is, ſiue perditis moribus ſit, Dei propheta merito dicitur. Nam prophetiæ quidem donum, vt S. Thomas 2.2. q. 172. a. 3. & ſacrarum literarum teſtimonio, & ratione probat, morum probitatem non deſiderat in propheta. Sed prophetas Dei eos ſane viros vocet Caſaubonus, quos voluerit; neque de ſalutis humanæ myſterio quidquam per alios apertius vnquam genus hominum docuerit Deus, quam per Hebræos (quanquam ea quidem de re mox diſputaturi ſumus) quid hæc incommodare Baronio poſſunt, qui teſtimonium ex ijs nullum profert; ac ne loquitur quidem omnino apertene, an obſcure Sibyllæ vaticinatæ ſint. In eius quidem ad Annales Eccleſiaſticos Apparatu hæc modo inuenies n. xviij. quem numerum capite illo x. exagitat Caſaubonus. *Gentiles quod à*

veritate

veritate veri cultus procul abeſſent, nec facile externæ religionis hominibus [Prophetis] *admouerent aures. Deum per ſuos ipſorum vates de ijs, quæ ventura erant, voluiſſe præmoneri. Fuiſſe hos Mercurium Triſmegiſtum, Hydaſpen, atque Sibyllas; quibus ob inſigne virginitatis meritum diuinationem conceſſam Hieronymus exiſtimarit. Quam etiam ob cauſam eas appellare Patres conſueuerint prophetiſſas gentilium. Quibus & tantum tribuerit Heraclitus, vt eas non humanitus ſed diuinitus apparuiſſe putarit.* Quæ profectò eiuſmodi ſunt, vt ſiue clarius, ſiue obſcurius Sibyllæ de Chriſto vaticinatæ ſint, quam prophetæ; in eas non minus conueniant. Vt non tam in Baronium diſputare, quam quæ de Sibyllis in aduerſarijs hinc inde collegerat, depromere voluiſſe Caſaubonum nihil dubites. quo morbo nec leuiter quidem laboraſſe eum alio loco demonſtraturus ſum.

Venio nunc ad cauponariam hominis non doctiſsimi Theologiam. *Verbo Dei contrarium eſſe* contendit *exiſtimare, tam profunda myſteria gentibus fuiſſe clarius propoſita, quam illi populo, quem Deus Opt. Max. vt peculiariter ſuum dilexit; & ſuametipſius, & fidelium ſeruorum ſuorum voce erudijt.* Et infra. *Quid enim?* inquit, *tam claramne lucem gentibus affulſiſſe, cum populus ille περιούσιος in tam denſis tenebris iacebat?* De re ipſa non diſputo. illud quæro; vbi tandem hoc in ſacris voluminibus legerit; aut qua confidentia ſacroſanctum verbi Dei nomen ratiocinationibuſne, dicam an ineptis ſuis nomen imponat? Sed vſitatum id eſt Lutheri catulis, vt cum aduerſus eos agitur, nihil accipiant, quod non expreſſerint ſacræ literæ: cùm in alios ipſi diſputant; quicquid ſomniarint, id verbũ Dei ſit. Sed qua id ratione probet audiamus.

Scimus, inquit, *quam exiles ſcintillæ veritatis priſcis temporibus populo Iudaico illuxerint.* Hactenus quidem probatio nulla eſt. affirmat modo quod eſt in quæſtione. Quid ſi autem faces ei populo clariſsimas illuxiſſe aduerſarius dixerit?

Tota enim lex per obſcuros rerum futurarum typos ad Chriſtum Iudæos deducebat pædagogi inſtar, vt Paulus ait ad Galat. 3.24.

Sunt iſta, mi homo. Lex enim illis ſacrorum, ac cæremoniarum ambagibus adumbrabat ea, quæ futura ſperabantur. Sed quod ſupra docuimus, prophetæ tam apertè, atq; dilucide de Chriſto vaticinati ſunt, vt planè cæcus eſſet, ſi quis in tanta luce non cerneret. Neque περιούσιος ille populus tunc temporis in tenebris iacuit. Sed tua tibi vel inſcitia, vel malignitas tenebras effudit; vt in meridiana ſacrorũ oraculorum luce neſcio quas tenebras ſomniares; quas etiam è nouo teſtamento confirmo. *Itaq; idem Apoſtolus tempora ante Chriſtum appellat χρόνους ἀγνοίας tempora ignorantiæ* Act. 17.30.

At, o magne Britannorũ Theologe, hæc, quæ apud Areopagitas Ethnicos homines Athenis à Paulo diſputata ſunt, cum ad eorum ignorantiam demõſtrandã publica aræ inſcriptione, velut obſignatis tabulis vteretur, quid

poſſunt

Digitized by Google

poſſunt cum Iudæorum cæremonijs habere commune? Vt quia per obſcuros rerum futurarum typos lex Iudæos deducebat ad Chriſtum, eam ob rem Paulus Apoſtolus ignorationis Athenienſes arguerit. Præſertim cum tu de incarnationis & crucis myſterio diſputes, quæ obſcurius Iudæis reuelata contendis, ille Dei rerum conditoris ignorationem vrgeat. *Quod*, inquit *ignorantes colitis, hoc nunciamus vobis. Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eis ſunt. hic cæli & terra cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat indigens aliquo*; & cætera, quæ omnia ad Dei creatoris, eiuſque prouidentiæ notitiam faciunt. quibus deinde ſubijcit; *Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant.* Quam autem eam ignorationem vocat Paulus, niſi eam, quam ex inſcriptione aræ *Ignoto Deo* poſitæ ab ipſo ſuæ orationis exordio obiecerat Athenienſibus? An ita deſipit Caſaubonus, vt ne mundi quidem opificem, ac moderatorem Deum, niſi per obſcuros rerum futurarum typos, atque inuolucra cæremoniarum, reuelatum Iudæis credat?

At Paulus, inquit, *ſæpe repetit doctrinam de ſalute humani generis ante Chriſti incarnationem fuiſſe myſterium, quod abſconditum à ſæculis, & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius. Coloſſenſium 1. 26. Sic Rom. 16. 25. ſecundum reuelationem myſterij temporibus æternis taciti. Et Epheſ. 3. 4.* μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον τῷ Θεῷ.

Non intelligit Caſaubonus his Pauli Apoſtoli teſtimonijs aut nihil omnino, aut plus multo probare ſe, quam vel ipſe velit, vel veritas patiatur. Quid enim? Angeliſne etiam ignotum incarnationis ac ſalutis humanæ myſterium dicturus eſt, vt Sibyllis officiat? Nam Apoſtolus quidem eo ipſo ad Epheſ. loco, quem iſte Græce citare voluit, vt diuerſis characteribus chartas notaret, vſque adeo vel poteſtatibus, ac principatibus ipſis ad eam diem myſterium illud, quod *abſconditum in Deo* vocat, ignotum fuiſſe memorat, vt tunc ab Eccleſia diſcere illud debuerint, cum prædicaretur in gentibus. *Mihi*, inquit, *omnium ſanctorum minimo, data eſt gratia hæc; In gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti; & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi in Deo, qui omnia creauit, vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, ſecundum præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Cui autem perſuadere Caſaubonus, non plane plumbeo, poterit incarnationis myſterium, ne tum quidem Angelis eſſe patefactum, cùm internuncio Gabriele, completum eſt? aut cùm *in ſomnis* per Angelum monitus eſt Ioſeph, *ne timeret accipere Mariam coniugem ſuam, quia quod in ea erat, de Spiritu ſancto erat; vtque eum, qui naſceretur, vocaret Ieſum, quia ipſe ſaluum facturus eſſet populum ſuum à peccatis eorum?* aut cum ortum eius paſtoribus nunciarent; & feſtis carminibus

nibus incunabula celebrarent? aut cum patrantem miracula, eaque docentem cernerent, quibus fides Eccleſiæ continetur? aut cum ab inferis reducem in cælum receptum, ac ſedentem à dextris Dei viderent? Auguſtinus quidem auctor haud paulo melior, quam Caſaubonus, lib.5. ſuper Gen. ad lit. cap. 19. ita myſterium hoc fuiſſe docet abſconditum à ſæculis in Deo, vt tamen innoteſceret principatibus, & poteſtatibus; quibus tamen per Eccleſiam, & quidem tum, *cùm ipſe gentibus prædicaret Euangelium gratiæ Dei innotuiſſe* clamat Apoſtolus. Quæ cum ita ſint? ſi ad ipſum redemptionis noſtræ myſterium referantur ea verba; cum S. Thoma p.1.q.57.a.5. ad 1. dicendum eſt incarnationis myſterium *Angelis omnibus in generali*, ſiue vt alij loquuntur, *ſecundum ſubſtantiam reuelatum eſſe à principio ſuæ beatitudinis. Sed quantum ad ſpeciales conditiones, non omnes Angelos principio de omnibus edoctos eſſe, imo quoſdam etiam ſuperiores Angelos poſtmodum didiciſſe.* Atque hac ratione dici myſterium abſconditum in Deo, quod ipſos etiam Angelos multa ad reconciliationem humani generis ac diuini Verbi oeconomiam ſpectantia à principio latuerint. Quanquam enim, vt eodem loco in reſponſ. ad 3. notat idem, *quicquid prophetæ cognouerunt de myſterio gratiæ per reuelationem diuinam, multo excellentius eſt Angelis reuelatum. Et prophetis ea, quæ Deus facturus erat circa ſalutem humani generis in generali reuelauerit: quædam tamen ſpecialia Apoſtoli circa hoc cognouerunt, ſecundum illud Epheſ. 3. Poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti, quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius, & prophetis in ſpiritu.* Ergo conditiones multas myſterij reconciliationis humanæ Apoſtoli, ac prophetæ teſtamenti noui cognouerunt, quas plane, perſpicueque non modo prophetæ veteres, ſed ne Angeli quidem ipſi cognouerant.

Porro Chryſoſtomus hom. vij. in Epiſt. ad Epheſ. hæc non tam ad incarnationem, & reconciliationē humani generis, quam ad vocationem gentium, earumque parem cum Iſraelitis gloriam pertinere putat, niſi id quoque adiunctum quoddam, & veluti cōditionem incarnationis dicere libeat. Nam ſciuiſſe quidem Angelos fore, vt humanam carnem Dei Verbum indueret, ac ſaluum faceret populum Iſrael à peccatis eorum; ſciuiſſe etiam fore, vt gentes vocarentur ad pœnitentiam in Chriſto; at parem vtrorumq; ſortem & gloriam aliquando fore: id vero fuiſſe myſterium abſconditum in Deo, neque ante reuelatum, quam Apoſtoli ab Iudæis repulſi, conuerterentur ad gentes. *Hoc ſolum*, inquit, *ſciebant Angeli, quod portio Domini eſſet populus eius: & iterum princeps regni Perſarum reſtitit mihi. Nihil itaq; mirum, ſi & hoc ignorarunt. Si enim quæ ad remigrationem è Babylone concernebant, ignorarunt; multo magis & iſta. Euangelium enim iſtud eſt; Qui ſaluum faciet, inquit, populum ſuum Iſrael. Nihil hic de gentibus; ſed de gentibus reuelat ſpiritus. Itaq; quod vocatæ*

eſſent, ſciebant; quod vero ad eandem Iſraelis ſortem vocata eſſent; & ad hoc, vt iuxta thronum Dei collocarentur iſtud ſane quis expectaſſet? quiſnam credidiſſet?

Hæc Chryſoſtomus, qui mihi quidem vel ad rerum geſtarum, vel ad ipſum Apoſtolici ſermonis textum reſpicienti, rem ipſam acu tetigiſſe viſus eſt. Nam Apoſtolus quidem Epheſ. 3. 5. & 6. Chriſti myſterium, *quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicut cùm ea ſcriberet reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis, & prophetis, ita deſcribit: gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis in Chriſto Ieſu per Euangelium.* Cuius ad eam diem arcani conſilij, exequendi adminiſtrum ſe diuinitus conſtitutum deinde docet ver. 7. *Cuius*, inquit, *conſtitutus ſum miniſter ſecundum donum gratia Dei, qua data eſt mihi ſecundum operationem virtutis eius.* quod expoſitione adhibita ver. 8. apertius explicat. *Mihi*, inquit, *omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc; In gentibus Euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculis in Deo.* Neque enim Chriſtum tantum gentibus Euangelizauit, ſed libertatem etiam in Chriſto, & vocationem gentium in eandem gratiam, vt non tanquam proſelyti, atque ad Iſraelitas adſciti, recepto legis iugo, promiſſionum participes fierent; *ſed tanquam ciues ſanctorum, ac domeſtici Dei per* fidem Chriſti Ieſu Dei populus, ac regni hæredes ſuo ipſi iure eſſent.

Id porro ita reconditum atque arcanum fuit Dei conſilium, vt ne Petro quidem Apoſtolorum principi, cui Chriſtus filius Dei viui reuelatus fuerat, eique *per cuius os* Act. 15. *elegerat Deus audire gentes verbum Euangelij, & credere*, prius patefactum ſit, quam inchoando tanto operi conſtituta diuinitus dies adeſſet: cùm etiam ea res ita illi præter expectationem omnem accidiſſet, vt ne cæleſti quidem viſo commonefactus, ſtatim intelligeret; atque hæreret, quid tandem eo portenderetur. Atq; vt omnem plane dubitationem ex animo eius eximeret doceretque Spiritus ſanctus, eos, qui ex gentibus crederent, ad cæremonias ritusſque Moſaicos compelli non oportere; prius etiam quam baptiſmo luſtrarentur, *adhuc loquente Petro, cecidit ſuper omnes, qui audiebant verbum.* Neque vero *obſtupuiſſent ex circumciſione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt*; niſi id inauditum ad eam diem in Eccleſia fuiſſet: fore vt etiam gentes ad Synagogam non adiunctæ promiſſionum ac ſalutis participes eſſent. Fratribus quidem, qui ex circumciſione crediderant, ita noua res ea viſa eſt, vt Act. 11. *cùm aſcendiſſet Petrus Ieroſolymam, diſceptarent aduerſus illum dicentes; Quare intraſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum eis?* Quibus & ſi rei geſtæ narratione ita ſatis feciſſe in præſentia viſus eſt; vt *tacerent, & glorificarent Deum, dicentes; Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*; tamen cum Euangelizantibus Paulo & Barnaba, *apperuiſſet Deus gentibus oſtium fidei*

ingentes

Digitized by Google

ingentes iterum turbas excitarunt, cùm *deſcendentes de Iudæa, docerent fratres; quia niſi circuncidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſaluari. Act. 15.* *Cuius rei cauſa, facta ſeditione non modica Paulo, & Barnabæ aduerſus illos, ſtatuerunt vt aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex alijs ad Apoſtolos, & Presbyteros ſuper hac quæſtione.* Ac ne in eo quidem omnium primo, ſanctiſsimoque Concilio, ijs, qui non modo ex diuino Chriſti Saluatoris ore fidei doctrinam hauſerant; ſed Spiritum etiam acceperant, à quo in omnem veritatem inducerentur; res ea tam expedita, atque extra controuerſiam viſa eſt: quin cum alijs aliter videretur, *magna conquiſitio fieret*, tandem cæteris in Petri atque Iacobi ſententiam euntibus, de eximendis iugo legis Moſaicæ gentibus decretum ſit conditum. Atque hoc demum eſt Euangelium, quod nunc *ſuum*, nunc *ſibi creditum*, nunc *Euangelium, quod prædicabat in gentibus*, nunc *Euangelium, quod non ab homine accepiſſet, aut didiciſſet; ſed per reuelationem Ieſu Chriſti* vocare ſolitus eſt Apoſtolus; quodque tanti facit, vt vel Angelo de cælo lapſo, ſi ſecus Euangelizet; nihil hæſitans, dicat Anathema: Pro quo & verbo, & ſcripto acerrime depugnauit, cùm integras eo de argumento Epiſtolas ſcripſerit; vt doceret *in Chriſto Ieſu neque circumciſionem quicquam eſſe, neque præputium; ſed nouam creaturam.*

Idem porro ſibi velle Paulus 1. ad Coloſ. 26. quod 3. Eph. 4. & notat Chryſoſtomus hom. 5. ad Coloſ. & ſatis ex ipſis Apoſtoli verbis conſtat. *Myſterium enim abſconditum à ſæculis & generationibus*, id eſſe ait *quod tunc manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in gentibus; quod eſt Chriſtus*, inquit, *in vobis ſpes gloriæ.* Quid eſt autem aliud *notas facere diuitias gloriæ ſuæ in gentibus*, niſi oſtendere quam paterno in eos, ac miſericordi animo eſſet? Aut quod tandem aliud myſterium excogitare poſſumus, quod ad ea tempora abſconditum, tunc primum manifeſtum eſſe cæpiſſet ijs, quos elegiſſet Deus vt per eos paternam ſuam in gentes benignitatem patefaceret? Quocirca etiam myſterium illud ait eſſe *Chriſtum in Coloſſenſibus, ſpem gloriæ*; quod perinde eſt, ac ſi diceret; myſterium abſconditum in eo eſſe repoſitum, quod Chriſtus, qui poſteris Abrahæ promiſſus, ad eos tantum miſſus crederetur, *qui perierant domus Iſrael*; gentibus, quæ vt à cultu Dei, ita etiam a diuinis promiſsionibus alienæ putabantur, agnoſceretur tandem *auctor fidei, & cauſa ſalutis æternæ.*

Neque vero aliud Rom. 16. 25. *vocat myſterium temporibus æternis tacitum.* Cum enim de reprobatione Iſraelis, deque vocatione, ac iuſtificatione gentium per gratiam Chriſti, non ex operibus legis, tota ea Epiſtola diſputaſſet; alludens ad ea quæ dixerat; *Ei*, inquit, *qui potens eſt vos confirmare iuxta Euangelium meum, & prædicationem Ieſu Chriſti, ſecundum reuelationem myſterij temporibus æternis taciti.* Quid eſt autem confirmari iuxta

Digitized by Google

Euangelium Pauli? Aut quæ *prædicatio Ieſu Chriſti ſecundum reuelationem myſterij taciti?* Nam ſi nihil intererat; cur Euangelium ſuum potius, quam Euangeliũ abſolute dixiſſet? præſertim cum apud Romanos, non modo non ipſe primus; ſed nondum omnino Euangelium prædicaſſet, vt idem ſignificare poſſet, ac ſi diceret; *iuxta Euangelium quod accepiſtis à me.* Deinde, ſi nihil præter incarnationem, ac redemptionem humani generis myſterij taciti nomine contineretur; idem plane eſſet prædicatio Ieſu Chriſti. ac prædicatio Ieſu Chriſti ſecundum reuelationem myſterij taciti. Quorſum ergo hæc adderet minime neceſſaria? Sed nimirum prædicari Chriſtus poterat etiam ſi non prædicaretur *ſecundum reuelationem myſterij temporibus æternis taciti*; vt Iudæis naſcente Eccleſia prædicatus à Petro, atque ab Apoſtolis fuerat: ob eamque rem confirmari eos cupiebat Apoſtolus in Euangelio, quod tota Epiſtola ipſe tradiderat; quodque *per reuelationem Chriſti Ieſu prædicabat in gentibus.* Eo nimirum refertur, quod plurimis prophetarum locis gentium ad Chriſtum conuerſio promittebatur: ſed ita tamen, vt non ſatis ex ijs conſtare poſſet, ad Moſemne, atque ad Synagogam acceſſuri eſſent? vt cum per circũciſionem ad filios promiſsionis Abrahæ pertinere cœpiſſent, in partem etiam admitterentur meritorum Chriſti; an vero quod annis aliquot poſt Chriſti in cælum aſcenſum patefactum deinde eſt, ſola fide, Abrahæ filij, ac promiſsionum hæredes fierent. In Ieroſolymitano quidem Concilio, in quo ea cauſa acriter diſceptata eſt, quantum quidem ex Act. 15. colligi poteſt, prophetarum oraculis cauſa gentium defenſa, non eſt, quanuis pro ea plurimum habitura fuerint ponderis apud eos, qui iugo legis ſubijcere gentes volebant. Sed Petrus, qui primus pro ijs dixit, eo vno argumento vſus eſt, quod in Cornelij Centurionis conuerſione, *qui nouit corda Deus; teſtimonium*, inquit, *perhibuit, dans illis Spiritum ſanctum, ſicut, & nobis: & nihil diſcreuit inter nos & illos.* Ac ne Barnabas quidem, & Paulus alia oratione vſi memorantur, niſi quod, *narrarunt quanta Deus feciſſet ſigna, & prodigia in gentibus per eos.* Iacobus vero, qui vnus prophetarum teſtimonia adhibuit, ex ijs, quæ Petro in cauſa Centurionis acciderant, colligit quorſum ſpectarent ea, quæ de traducendis ad Dei cultum gentibus in ſacris oraculis legebantur: in quibus futura olim collapſi iam regni Dauidici inſtauratio, atque omnium gentium ad Deum conuerſio, ſine ambagibus prædicebatur: cæterum Iudaicone more, rituque Deum culturæ eſſent, an ſecus; in ijs quidem vaticinijs nullum plane verbum inuenies. Quam credibile autem eſt aut in re tanta quatuor Apoſtolis, atq; Eccleſiæ Catholicæ Concilio nullum à Spiritu ſancto indicatum eſſe locum, ſi quis exſtaret in ſacris voluminibus; aut Apoſtolos quod ad ædificationem Eccleſiæ accepiſſent, id maligne cælare voluiſſe? Iacobus quidem in eo Concilio poſt

prolatam

prolata ea ſcripturæ verba, quibus gentium ad fidem traductio promittebatur; *Notum*, inquit, *à ſeculo eſt Domino opus ſuum.* Quaſi diceret; *Qui traducendarum olim ad cultum ſuum gentium conſilium in ſcripturis ſacris aperuit; is tempus etiam, atque rationem eius exequendi iam inde ab æternitate conſtituit. Quocirca impediendus is Euangelij curſus non eſt, quem cordi ſibi eſſe ſignis etiam, atque prodigiis ipſe declarauit.*

Atque hæc quidem ad illuſtranda interim ea B. Pauli verba, quæ perperam intellecta, Caſaubonus ad rem ſuam detorquere conatus eſt. Nam ad præſentem quidem de Sibyllis controuerſiam parum intereſt de incarnationis myſterio, an de conditione eius aliqua, & qua demum myſterij eius conditione ſcripta ea ſint ab Apoſtolo. Si enim de ipſo incarnationis myſterio intelligere Caſaubonus ea velit; id certe myſterium abſconditum in Deo, & temporibus æternis tacitum ita dici non poteſt, quaſi nunquam antea reuelatum cuiquam ſit, quod & Angelis, & prophetis ſanctis, & plurimis Iudæorum, ac ne paucis quidem ex gentibus, qui Deo placuerunt, diuinitus eſſe tam multis ante ſæculis patefactum, extra controuerſiam eſt. Quod ſi *abſconditum in Deo, atque æterno tempore tacitum* eam ob rem dictum eſt, quod paucis admodum, & ſi cum vniuerſo hominum genere comparentur, vix vlli patefactum eſt, ante promulgationem Euangelij; quid impedit, quo minus Sibyllis quoque, hoc eſt duodecim, ſi tamen etiam duodecim, fœminis reuelare; & abſconditum tamen, ac tacitum dici potuerit? Iam ſi de conditione aliqua incarnationis apud Apoſtolum ſermo ſit, quam ne prophetæ quidem, aut Angeli ante nouerint, quam reuelaretur Apoſtolis; qui probare poteſt Caſaubonus tacitam illam incarnationis conditionem, quam Apoſtolicis temporibus reſeruatam dicit, Paulus iis Sibyllarum, quæ calumniatur, oraculis contineri? cum neque Paulus, quænam ea ſit, explicet; neque conſtare alioqui poſsit. Nam ſi de vocatione, & gloria gentium in Chriſto intelligi ea placeat; tum demum conuellere ijs teſtimonijs Sibyllarum oracula ei licebit, cum rem eam diſerte nobis in vaticiniis earum oſtenderit. Sed pergamus.

Cum vrgeri ſe Clementis Alexand. teſtimonio cerneret, qui auctor eſt, Apoſtolum ipſum Paulum Ethnicorum vatum teſtimoniis vſum eſſe; quem ſoluere non poterat nodum præcidit; ac ſimplici negatione negotium trãſigit. *Traditio*, inquit, *ea eſt nulla fide digna*, Quid ita vero? quia vt eſt in ſcholaſticorũ prouerbio, *plus poteſt aſinus negando, quam Ariſtoteles probando*; alioqui cuius vel temeritatis, vel ſtultitiæ fuit, tanti viri, atque eorum temporum proximi, teſtimonium, nullo auctore, nulla ratione, nulla probabili coniectura reijcere? Sed hæc alio loco. Nunc inſpiciamus Theologica. Clementis narrationem eo argumento confirmarat Baronius, quod ſatis conſtet Apo-

ſtolum è poetarum etiam libris,cum res poſceret;teſtimonia deprompſiſſe, quibus gentiles conuinceret. Hic Caſaubonus:*Neque Baronio*, inquit, *aſſentior illi narratiunculæ fidem eo argumento adſtruenti, quod etiam in ſcriptis Pauli Græci poetæ reperiantur laudati. Nam vbi de fide & doctrina cælitus reuelata agitur; nunquam humanis teſtimoniis Apoſtolus vtitur.*

Parcēdum Caſaubono,qui nō ſatis dialecticis eruditus,ignorabat aliud eſſe rem, de qua diſputes, abſolute ratione confirmare; *aliud ad hominem*, quod aiunt,argumentari.Nā fidei doctrinam Ethnicorum teſtimonio probare perinde,quaſi aut ij teſtes idonei in re tanta cenſendi ſint;aut humano vllo ſuffragio rebus à Deo traditis quidquam accedere poſſit auctoritatis; impietatis,aut dementiæ potius fuiſſet.Sed quid incommodi eſt,ſi Ethnicorum etiā vatum, ac ſapientum teſtimonia vſurpentur *ad paganorum* (quod lib.13.cap.xv.in Fauſt. Manich. ſcribit Auguſtinus) *vanitatem reuincendam; non tamen ad iſtorum auctoritatem amplectendam;oſtendendumq́; nos eum Deū colere, de quo illi nec tacere potuerunt*?Cæterum quam ad fidei doctrinam pertinēt ea,quæ apud Areopagitas diſputat Apoſtolus de rerum omnium opifice,ac moderatore Deo,*qui dat omnibus vitā,& inſpirationem:& omnia,cum non longe ſit ab vnoquoque noſtrum;quod in ipſo viuimus,mouemur, & ſumus*; tam aliena eſt à doctrina fidei hæc Caſauboni Theologia,cum is hæc omnia Arati, Græci, ni fallor hominis,eiuſque poetæ hemiſtichiolo confirmarit. Sed hæc docte admodum,& eruditè proſequitur Roſuueydus noſter tab.11.pag.180.vt nihil à me addi neceſſe ſit.

In eo verò ridiculus plane Caſaubonus,quod negat videri veriſimile id, quod in vita Conſtantini ſcribit Euſebius,*mortem Chriſti,& paſſionem Virgilio fuiſſe probe notā. Niſi putamus*,inquit,*homini pagano idolis ſeruienti ante aduentū Chriſti fuiſſe reuelatum myſterium, quod diſcipulis ipſis ſeruatoris noſtri,qui tertium iam annum illi operam dederant,inſtitutique ab eo fuerant,paucis diebus ante Domini mortem fuerat occultum.* Quid Euſebio tribui in eo debeat, alio loco fortaſſe videro.Ludouicus quidē Viues, quē quia Grāmaticus fuit, tanti faciebat Caſaubonus, in cap.47.lib.18.de Ciuit;*Virgilius*,inquit, *& Ouidius manifeſto in poemata ſua de Sibyllinis carminibus verſus mutuantur*; *quos nemo ita cæcus eſt,quin eſſe de Chriſto dictos perſpiciat.qualis eſt tota quarta eclog.Virgilij,& digreſſus de morte Cæſaris in fine* 1.*Georgic: &c.*Sed hæc omittantur in præſentia.Ad res ſacras quod attinet,aliud eſt Virgilio mortem Domini fuiſſe notam, quod Caſaubonus illi tributum memorat ab Euſebio;aliud *quæ de Domini morte à Sibylla ſcripta olim fuerant,ea fuiſſe à poeta ad mortem Iulij Cæſaris translata*: Potuit enim ea Virgilius in Sibyllinis carminibus legere;& fidem tamen vaticiniis nullam habere:tum,ſi quam haberet,ignorare primum de quo; deinde propriene ea, an allegorice dicerentur.Apoſtoli quidem, qui *tertium*,

vt ipſis

Digitized by Google

vt ipſis eius verbis vtar, *iam annum Chriſto operam dederant, inſtitutique ab eo fuerant*, cum viua præſentis voce perſpicue docti eſſent, Luc. 18. fore vt *filius hominis traderetur gentibus, & illuderetur, & flagellaretur, & poſtquam flagellaſſent, occiderent eum, & tertia die reſurgeret*; ipſi tamen *nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur*; vt mihi quidem inſanire viſus ſit Caſaubonus, qui cum exemplo diſcipulorum Chriſti iugularetur; eo tamen vti in hac cauſa conſtituerit.

Caſauboni de ſacris traditionibus Theologia.

CAPVT VI.

VERTIGINIS Spiritu hæreticos agitari non vere minus, quam eleganter ſcribit B. Hieronymus. Nam quæ tandem eſt in XIV. primæ Exercitationis capite Caſauboni à ſeipſo diſſentientis inconſtantia? *Optat veram aliquam hiſtoriam de rebus B. Virginis reperiri: & è re tamen Eccleſiæ non parum futurum fuiſſe dicit, ſi cæteri, Euangeliſtarum exemplum ſequuti, ea tantum de illa ſcriberent, quæ eſſent neceſſaria ad ſalutem.* Fatetur idem paulo poſt, Epiphanij conuictus teſtimonio, *veram aliquam hiſtoriam ijs de rebus ſcriptam eſſe*; ita ſcriptores eius hiſtoriæ male conſultum volebant Eccleſiæ, cuius *non parum intererat*, ea neſciri: *& oppido tamen pauca à proximorum ſæculorum Patribus, in recenti adhuc memoria addita eſſe* dicit ad ea, *quæ Euangeliſtæ tradiderant: idque neceſſario ad confutandos hæreticos.*

Qui auté pauca à poſterioribus addita ſunt, à quibus integra hiſtoria ſcripta ſit? At quid recenti memoria opus fuit, cum exſtaret hiſtoria? Nam Epiphanij ſæculo, qui quadringentis fere poſt annis floruit, recens earum rerum memoria dici qui potuit? Iam vero cúm ad ætatem Epiphanij vera & hiſtoria, & traditio de B. Virgine peruenerit, neque conſtet quo deinde ſæculo perierit; cur reliqua omnia reijcit, quæ poſt eam tempeſtatem à viris ſanctiſsimis, ac ſapientiſsimis ſcripta ſunt? cum eos leuibus imperitorum narratiunculis, aut ineptis ſcriptiunculis fidem habituros fuiſſe credibile non ſit?

Quod negat quicquam de B. Virgine ab Euangeliſtis traditum, niſi quod *ſciri eſſet ad ſaluté neceſſarium,* id vero qua ratione cum Chriſtiana Theologia conſentiat, quærere de Caſaubono, ſi viueret. Ipſe quidé hæc ex Euangeliſtis ad ſaluté ſcitu neceſſaria memorat *è tribu Iuda: & familia Dauidis eã fuiſſe prognatã; ex ipſa natum Meſsiam, ſicut fuerat prædictũ, non cõmuni hominũ lege, naſcẽdi, ſed nouo miraculo, quod omnia ſuperat miracula, per inumbrationẽ Spiritus ſancti.* At quam multa præterea Euãgeliſtæ de ea ſcribunt? quorũ multo maxima pars

ignorari

ignorari nullo ſalutis diſpendio potuit. Mariæ illi, Ioſepho ſponſo eius nomen fuiſſe: habitaſſe eos in ciuitate, cui nomen Nazareth, quo tempore ad eam miſſus eſt Gabriel: iuiſſe eam *cum feſtinatione in ciuitatem Iuda, vt ſalutaret Elizabeth*: in ea conſalutatione diuino afflatam ſpiritu tam ſuauiter ceciniſſe: tres apud Elizabetham menſes poſuiſſe: tam anxie *conſeruaſſe ea omnia verba, conferentem in corde ſuo*: fuiſſe ei ſororem Mariam nomine: quæſitum ab eo puerum Ieſum, qui ſe furtim in turba ſubduxerat, ac tertio demum die inuentum in templo: in nuptiis auctorem fuiſſe filio aquæ in vinum mutandæ: *loquente eo ad turbas*, cum cæteris eius conſanguineis acceſſiſſe, *vt loqueretur ei*: ad crucem cum Ioanne ſtetiſſe: poſt filij in cælum aſcenſum, cum diſcipulis in eadem domo manſiſſe dum ſanctus è cælo Spiritus mitteretur. Quæ omnia cum ſcriptura commemoret, non video, quo ſalutis fideique diſpendio aut à ſacris ſcriptoribus, aut à nobis ignorari non potuerint.

Iàm quod per inumbrationem Spiritus ſancti natum è B. Virgine Dominum memorat; Idque fuiſſe ait miraculorum omnium maximum; improprie admodum loqui, ac res inter ſe diuerſas confundere cum nemo negauerit, qui Apoſtolicum modo ſymbolum teneat. Tria enim ſunt in Domini generatione, eaque diuerſa miracula; quod ſine humana ope cóceptus eſt; quod inuiolata matris virginitate natus; quod diuinam humanamque naturam integras, atque impermixtas in eandem perſonam coniunxit, vt vere Deus idem eſſet, & homo. Ac priora quidem duo magna fuere miracula; ſed quibus, vel paria, vel maiora alia patrarit Deus: tertio neque par, neque longo interuallo proximum quicquam excogitari poteſt. Nam è limo terræ virum, è coſta viri mulierem fabricatus eſt: in quo reliqua omnia paria ſunt, niſi quod & maternus vterus, quam campus, locus magis idoneus, & ſanguis magis accommodata gignendis humanis corporibus materia eſt, quám aut limus, aut coſta. Neque vero minus ſuperat naturæ vires, quod Ieſus ad Diſcipulos clauſis ingreſſus eſt ianuis, quam quod clauſo matris egreſſus eſt vtero. Primum in Apoſtolorum Symbolo ijs verbis exprimitur; *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto*. Quod ipſum interroganti B. Virgini, qui fieri poſſet, *vt conciperet in vtero filium*, quæ ſe iam ante omni virili conſortio ſubduxiſſet; ijs verbis reſpondit Angelus; *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*. Quod deinde confirmans à ſimili, *Ecce*, inquit, *Elizabeth cognata tua & ipſa concepit filium in ſenectute ſua &c.* Alterum ijs ſymboli verbis exprimitur: *Natus ex Maria Virgine*. Tertium duobus iis articulis ſignificatur: *Credo in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum; qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine*. Nam quia filius eiuſdem eſt cum parentibus ſubſtantia; & naturalem Dei filium Deum eſſe, & verum hominis filium hominem eſſe neceſſe eſt. quo fit, vt cum idem

pror-

Digitized by Google

prorſus & Dei, & hominis naturalis filius ſit; vtramque naturam eadem perſona complectatur. Hæc igitur tam diuerſa miracula cum iis verbis confundit, ac miſcet Caſaubonus; *Ex ipſa natum Meſsiam, ſicut fuerat prædictum, non communi hominum lege naſcendi, ſed nouo miraculo, quod omnia ſuperat miracula, per inumbrationem Spiritus ſancti*; impropriè profecto loquitur, ac perturbate, quod Britannicæ Theologiæ coryphæum minime decuit.

Aureum illud pronunciatum, in quo ad refellendas hæreſes plurimum ſemper præſidij Catholicæ fidei propugnatoribus fuit, quodque aduertendum Donatiſtarum anabaptiſmum identidem vſurpat Auguſtinus. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt; non niſi apoſtolica auctoritate traditum rectiſsime credi*; Eludere conatus calumniando, cum nihil profeciſſet. *Axioma illud*, inquit, *quod toties pius ille doctor vſurpat, præſertim in diſputationibus contra Donatiſtas locum habet in dogmaticis aut in ritibus religionis, quorum cuſtos eſt Eccleſia; non vti de certitudine agitur hiſtorica multarum narratiuncularum quæ hodie circumferentur.*

Hic ego primum, obuijs, vt aiunt, vlnis accipio, quod Caſaubonus ſponte concedit, *cum de dogmaticis ſacriſque cæremoniis cõtrouerſia eſt, traditioni Eccleſiaſticæ ſtandum eſſe, quod ea fidei, ac rituum cuſtos ſit*. Videat modo, ne eum liberalitatis huius deinde pæniteat: nam ſemel admiſsis traditionibus, hæreſim interire neceſſe eſt.

Deinde ſi eam obrem in dogmatis, ritibuſque locum habet Auguſtini pronunciatũ, quia eorum eſt cuſtos Eccleſia; cum ea ſacræ etiã hiſtoriæ cuſtos ſit; in hiſtoria etiam locum habere neceſſe eſt; niſi forte quicquam eſſe negauerit in canone ſcripturarum, quod ad hiſtoriam faciat. Nam, Iuditæ, atque Tobiæ volumina, quamuis neque Iudæorum olim, neque nunc Lutheri Synagoga recipiat in canonem ſcripturarum: tamen & ab Iudæis cuſtodita conſtat, atque etiam nunc non ab Eccleſia modo, verum etiam à Lutheri poſteris cuſtodiri. Denique, vt cætera taceam, ſacræ ipſæ literæ ſine hiſtoricæ traditionis fide, fidem nullam inuenient. Vt enim Catholica fide conſtet, Moyſi, prophetarum, atque Apoſtolorum literas diuinitus dictatas, eoque ſummæ auctoritatis eſſe; tamen eum, qui nunc in Eccleſia legitur, eſſe pentateuchum Moyſi: illud Matthæi Euangelium, hunc Iſaiæ, vel Hieremiæ librum, non niſi ex hiſtorica traditione in Eccleſia cuſtodita certum eſt. Sua cuique genti hiſtoria cordi eſt: neque monumentis modo res maiorum geſtas, atque origines ſuas conſignant; ſed ſermonibus inter ſe celebrant, atque ad poſteritatem tranſmittunt: Eccleſia res maiorum ſuorum, atque origines ſola negliget? vt ſua nihil intereſſe putet, quem ortum, quaſue progreſsiones habuerit. Ergo non minus hiſtoricę traditionis, quam dogmatum, rituumque Eccleſia cuſtos eſt.

Digitized by Google

Sed vt ritus, ac cæremoniæ aliæ diuinitus, aliæ à Sanctis viris ad diuini cultus amplitudinem, ac *decorem Domus Domini* inſtitutæ ſunt, quarum vtraſque ita cuſtodit Eccleſia, vt in alteris diuinam auctoritatem veneretur, alteras pias illas quidem,& vtiles,neque tamen cum prioribus vel veneratione,vel neceſsitate conferendas eſſe putet;ita ſacrarum hiſtoriarum alias,quod è cælo ſint traditæ,ita ſuſcipit,vt ſingulos earum apices ſacros eſſe non dubitet;alias quod vel à viris piis & grauibus prodierint,vel communi fidelium conſenſione indubitatæ habeantur,ſeruat illa quidem atque tranſmittit ad poſteros;ſed humanam tantum ijs auctoritatem tribuit: neque tamen ſine temeritate, atque flagitio,in dubium reuocari poſſe ducit: Quod quamuis humanæ fidei falſum ſubeſſe nonnunquam poſsit: eſt tamen humana etiam aliqua certitudo tanta, vt ſine vlla dubitatione à prudente & conſiderato homine aſſenſum eliciat.

Sed ne,receptis ſemel in re dogmatica, cæremonijſque ſacrorum traditionibus,Eccleſiæ deformatoribus incommodet:alteram eam traditionum conditionem addit Caſaubonus. *Neceſſe eſt vt traditiones,ad quarum confirmationem hoc axioma adhibetur, à principio naſcentis Eccleſiæ ipſi nota, atque vſurpata fuerint,cuiuſmodi erat illa conſuetudo, quam tuetur Auguſtinus libris de baptiſmo contra Donatiſtas,quas propterea conſuetudines originarias appellat initio lib.6.*

Enimvero, Caſaubone, ingenioſus admodum eras, qui tam acute perſpexeris traditiones eas,quæ re vera Apoſtolis acceptæ feruntur; iam inde à principio naſcentis Eccleſiæ cæptas eſſe oportere. Verendum opinor fuit, ne ſi id non moneres,vt nuper Luthero,eiuſque Symmyſtis auctoribus Euangelium ortum eſt:ita nudius tertius extitiſſe Apoſtoli crederentur, cum hæc in Britannia ruderes. Alioqui,quis ita hebes, planeque ſtipes eſſe poterat,cui veniret in mentem traditiones apoſtolicas Apoſtolis ipſis recentiores eſſe?Quid vero ſi quis de te quæreret in apoſtolicisne traditionibus numeraturus eſſes,ſi quid B.Ioannes, qui ad exactum fere primum Eccleſiæ ſæculum produxit ætatem,moriens tradidiſſet;Nonne, vt ijs de laqueis expedires,reſponſurus eſſes: à te principium naſcentis Eccleſiæ Apoſtolicum omne tempus appellari?vt eo demum tua iſta monitio recidat, apoſtolos, niſi cum viuerent;nihil Eccleſiæ tradere potuiſſe.rem plane mirabilem,atque ante hanc diem inauditam.

Nam ſi eo ſpectat admonitio tua, vt doceas traditiones apoſtolicas eas tantum cenſeri oportere, quas certo conſtet viuis etiam tum Apoſtolis viguiſſe in Eccleſiæ diſciplina: vide ne non modo verbis alia omnia ſignificantibus expoſuiſſe ſententiam tuam: Sed, qui Auguſtinum facias tam inepte diſputantem: ineptire ipſe non immerito videaris. Primum enim,quorſum tam multis inuolueret id, quod poſſet vno ver-

boaper-

Digitized by Google

bo apertiſsime diceret?nam profecto multo facilius intelligeretur, ſi diceret; *Quod ab apoſtolicis temporibus tota ſemper tenuit Eccleſia, non, niſi Apoſtolica auctoritate, traditum rectiſsime creditur*:quam intelligatur,cum dicit;*Quod vniuerſa tenet Eccleſia;nec Concilijs inſtitutum:ſed ſemper retentum eſt,non, niſi Apoſtolica auctoritate,traditum rectiſsime creditur*.Caſauboniano quidem iſto gloſſemate opus non fuiſſet,ſi,omiſsis ijs verborum ambagibus,ſimpliciter enunciaſſet id ad Apoſtolos eſſe referendum,quod ab Apoſtolicis vſque temporibus ſeruaſſet Eccleſia.

Iam ea verba,*Nec Concilijs inſtitutum;* non modo ſuperuacanea, ſed plane ridiculè addita, atque inepte fuiſſent. Quis enim eſt adeo in re eccleſiaſtica hoſpes, ac peregrinus,qui neſciat præter Ieroſolymitanum, Apoſtolorum æuo,nullum præterea Concilium, cuius quidem exſtet memoria, habitum eſſe in Eccleſia Catholica; vt qui morem ab Apoſtolis repetitum dixiſſet, niſi nugari,atque agere Caſaubonum vellet, addere nulla ratione potuerit,*à Concilijs non inſtitutum*; cum de eo ſeculo loqueretur,quo nondum vlla Concilia fuerant. Adde quod etiam ſi quippiam eſſet,viuis etiam tum Apoſtolis,à Conciliis inſtitutum,idque in morem atque conſuetudinem inductum totius Eccleſiæ;id ad Apoſtolos vel auctores, vel probatores quidem certe referendum neceſſario eſſet.Niſi forte paſſuros fuiſſe eos exiſtimamus,vt ſe inſpectãtibus,corrumperetur Eccleſia, ac mores & inſtituta à Chriſtiana diſciplina aliena in eam inueherentur. Ineptè igitur addidiſſet Auguſtinus:*Neque à Concilijs inſtitutum*:cum ad Apoſtolos vel auctores, vel probatores pertinere,ſine controuerſia,cenſerentur, quæcunque viuis iis tota Eccleſia ſuſcepiſſet.Accedit ad hæc quod cum ea tempeſtate præter Apoſtolos,& Apoſtolicos viros, nemo Eccleſiam rexerit, quod ab ijs ſimul omnibus traditum,atque inſtitutum eſſet, *qui aſſecuti erant eorum doctrinam, inſtitutionem propoſitum,fidem*:dubitari non poteſt, quin ab Apoſtolorum inſtitutione deſcendiſſet.Neque enim fieri potuiſſet,vt tam multi, in tam diuerſis,ac tanto locorum interuallo diſiunctis regionibus idem plane docerent,atque inſtituerent,niſi id prius ipſi ab Apoſtolis,quorum idem erat in tradenda fidei diſciplina Spiritus,didiciſſent.Satis igitur fuiſſet Auguſtino, ſi illud modo pronunciaſſet; *Quod ab Apoſtolicis temporibus tota ſemper tenuit Eccleſia,non niſi Apoſtolica auctoritate traditum rectiſsime creditur.*

At ne ea quidem verba:*ſed ſemper retentum eſt*:multo magis appoſite ſubieciſſet Auguſtinus,ſi iſthuc ſibi voluiſſet, quod videtur ſomniaſſe Caſaubonus.Nam ſiue id ſemper retentum,ſiue iuſtis deinde cauſis reiectum ſit: neceſſe eſt ad auctores, aut probatores Apoſtolos referatur, quicquid, iis inſpectantibus, in Eccleſiam vniuerſam inductum eſt. Dum conſtet igitur Apoſtolorũ ætate viguiſse aliquid in Eccleſiæ moribus: ſatis eſt vt credatur

ab eorum auctoritate deſcendere, quamuis vſurpari deinde deſierit. Neque enim dubitari poteſt, quin ſi quid ſcientibus, neque reclamantibus Apoſtolis totius Eccleſiæ more ſuſceptum eſt, id non abhorreat à Chriſtiana diſciplina. Quanquam enim eorum, quæ ab Apoſtolis inſtituta eſſe conſtat, nonnulla, quod minus deinde neceſſaria viderentur, poſterioribus Eccleſiæ ſæculis retenta non ſunt; ea tamen, vt tum primum coaleſcentis Eccleſiæ rudimenta, qua par eſt veneratione proſequimur. Quorſum autem hoc requireret Auguſtinus in traditionibus apoſtolicis, quo etiam ſublato, eæ conſtare poſſent?

Neque vero ita erant vel rerum ignari, vel hebetes Donatiſtæ, aut, ſi eos aſpernatur Caſaubonus, ita rudis & imperitus ſummo vir ingenio, ac ſingulari eloquentia Cyprianus, cum Africano toto Concilio, à quibus Donatiſtarum ſententia ante defenſa eſt, vt conſuetudinem non baptizandi iterum, quos baptizaſſent hæretici, quam pugnare cum diuinis literis, hoc eſt Apoſtolicæ doctrinæ aduerſari contenderent, eam inſpectãtibus, nec repugnantibus Apoſtolis, tota Eccleſia vulgo receptam fuiſſe concederent. Ineptiſſime igitur Auguſtinus pro conceſſo id acciperet, quod aduerſarij pernegabant; Et erat ille tamen non contemnendus dialecticus, ac Donatiſtis eo inprimis nomine formidatus. Ita enim, ni fallor, ratiocinatur. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia; nec Cõcilijs inſtitutum; ſed ſemper retentum eſt, id apoſtolica auctoritate traditum rectiſsime creditur. Eos autem, qui ab hæreticis rite baptizati ſunt, iterum luſtrari non oportere, vniuerſa tenet Eccleſia; idque neque Conſilijs inſtitutũ, ac ſemper retentum eſt: eos igitur iterum tingi non oportere, apoſtolica auctoritate traditum rectiſsime creditur.* Quæ ratiocinatio, ſemel recepta ea interpretatione Caſauboni, idem plane valet, ac ſi ita diceret; *Quod certum eſt apoſtolicis temporibus viguiſſe in Eccleſia diſciplina, id ab Apoſtolis traditum rectiſsime creditur: Baptizatos autem ab hæreticis iterum non luſtrari certum eſt Apoſtolicis temporibus viguiſſe in totius Eccleſiæ diſciplina: traditum igitur id ab Apoſtolis rectiſsime creditur.* Cuius ratiocinationis aſſumptum nihilo facilius Donatiſtarum quiſquam admiſerit, quam repudiarit anabaptiſmum ſuum. Quis enim qui apoſtolicam modo Eccleſiam æmulari ſe ſimulet, concedere vnquam poſsit, diſcedere ſe ab eius Eccleſiæ conſuetudine, moribuſque, quæ Apoſtolicis temporibus floruit. Principium igitur ineptè, ac ridiculè peteret Auguſtinus, ſi eo ſenſu axioma illud vſurparet, quem illic Caſaubonus ſubijcit.

Certe cum Donatiſtæ exemplum ſibi afferri è ſcripturis vellent, alicuius, quem ab hæreticis venientem, ſine nouo baptiſmo Apoſtolorum recepiſſet Eccleſia, vt conſtat ex lib. I. contra Creſcon. cap. XXXIII. facile eos refellere potuiſſet, ſi dixiſſet certum apud omnes eſſe, viguiſſe eum morem apoſtolicis temporibus in Eccleſia; neque opus eſſe ſcripturarum

teſtimo-

Digitized by Google

teſtimonijs ea probari, quæ in confeſſo ſunt apud omnes. qua ille adeo expedita ac facili ſoluendi nodi eius ratione omiſſa; cum ingenue cōfeſſus neutram in partem exemplum è ſcripturis afferri poſſe, longe alia ratione contra Donatiſtas diſputationem inſtituit; ſimul indicauit aſſumptum id à Donatiſtis negari. Adde quod lib. 1. contra Donatiſt. cap. 7. *Quæſtionis huius obſcuritas*, inquit, *compulit magnos viros diu fluctuare, donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrime ſentiendum erat, remotis dubitationibus, firmaretur.* Quæ autē apud cordatos homines ea de re dubitatio eſſe potuiſſet? ſi indubitatum fuiſſet quis apoſtolicorum temporum ſenſus, & cōſuetudo fuiſſet.

Denique quid eo axiomate ſibi voluerit Auguſtinus; ſatis conſtare poteſt ex ijs locis, vbi eodem verbis alijs vtitur. Nam lib. quidem 4. cap. 6. *Illa conſuetudo*, inquit, *quam & tunc homines ſurſum verſus aſpicientes, non videbant à poſterioribus inſtitutam; recte ab Apoſtolis tradita creditur.* Quo loco illud modo in traditione apoſtolica requirit *vt ſurſum verſus* (hoc eſt ſuperiora ſæcula) *reſpicientes non inueniant à poſterioribus* (hoc eſt ab ijs, qui poſt apoſtolica vixere tempora) *inſtitutam.* Duabus autem rationibus oſtendi poteſt conſuetudo aliqua à poſterioribus inſtituta; altero, ſi conſtet, quo tempore, & quibus auctoribus inuecta ſit in Eccleſiam; altero, ſi certum aliquod ſæculum deſignari poſſit, quo vel contraria conſuetudo viguerit, vel ſatis conſtet eam nondum cæptam vſurpari. Quanuis enim certum deinde tempus notari non poſſit, quo vſurpari cæpta ſit; certum tamen notari poteſt, quo nondum cæpta ſit. Ita cùm duos inceptionis modos philoſophi tradant; *intrinſecum alterum, cum aſſignari poteſt, quando res cæperit; alterum extrinſecum, cum aſſignari poteſt tempus, cum nondum cæpit, & poſt quod cæpit.* In ijs conſuetudinibus quarum neſcitur initium, neceſſe eſt neutrum inueniri inceptionis modum. Ea propter Auguſtinus, vt vtrumque complecteretur, inceptionis modum, lib. 4 contra Donatiſt. cap. 24. *Quod vniuerſa*, inquit, *tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt; non niſi auctoritate apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Nam quia non, niſi in Concilijs, ea conſtitui moris erat, quæ ad vniuerſam Eccleſiam pertinebant; intrinſecum inceptionis modum ijs verbis expreſſit; *Nec Concilijs inſtitutum.* Sciri enim neceſſe eſt quando cæperint, cùm ſciatur quo quodque Concilium tempore habitum ſit. Cæterum quia fieri nonnunquam poſſet, vt conſuetudinis alicuius auctor, ac tempus ignoraretur; & deſignari tamen poſſet tempus, quo nondum cæpta eſſet; vt alterum ſignificaret incipiendi modum addidit ea verba; *ſed ſemper retentum eſt.* Quocirca etiam lib. 2. cap. 7. *Quam conſuetudinem*, inquit, [non baptizandi, quos ſemel ritè baptizaſſent hæretici] *credo ex apoſtolica traditione venientem, ſicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Concilijs poſteriorum; & tamen*

quia cuſtodiuntur per vniuerſam Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur. Quo loco, ſi quid ab vniuerſa Eccleſia cuſtoditur, cuius ignoretur initium, ad apoſtolicam traditionem reuocari oportere apertè docet; cum eam vnam ob rem multa dicat ad Apoſtolorum traditionem reuocari: quod cum neque in ſacris literis, neq; in conſequentibus Eccleſiæ Concilijs eorum origo reperiatur, tamen ab vniuerſa Eccleſia cuſtodiuntur.

Quæ cum ita ſint, inanis eſt illa rerum ab Apoſtolis traditarum conditio, quam ſubijcit Caſaubonus; *Vt vbiq; in Eccleſia catholica obtinuerit; idq; ſemper, non interrupta ſerie temporum certa connexionis ſucceſsione, vt loquitur Auguſtinus contra Fauſt Manich. lib.* XXVIII. Quæ conditio, ſi nihil addit ad ea, quæ in pronunciato ſuo poſuit Auguſtinus, cum dixit; *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum ſed ſemper retentum eſt*; verborum multitudine lectorem necat. ſi velit *poſitiuè*, vt aiunt, probari ſemper ea in Eccleſia vniuerſa ſeruata eſſe; apertiſsime cum Auguſtino pugnat. Quanquã enim neceſſe eſt, ſi ab Apoſtolis ad nos vſq;, quaſi per manus tradita, peruenerunt, ſemper in Eccleſia Dei fuiſſe credita, nuſquã interrupta traditione: tamen neceſſe non eſt id alia ratione doceri poſſe, quàm ſi conſtet ea nunc ab vniuerſa Eccleſia teneri; neque vllum inueniri tempus, quo non fuerint in Eccleſia. Cum ergo *negatiuam* tantum probationem requirat Auguſtinus, *poſitiuam* Caſaubonus exigat; viri ſanctiſsimi pronunciatum non interpretatur, ſed gloſſemate ſuo corrumpit.

Auguſtini ex lib. XXIV. contra Fauſtum Manich. verba vtinam acciperent proteſtantes ita, vt ab eo dicta ſunt, nullæ nobis iam de fide controverſiæ ſupereſſent. Apoſtolicã enim traditionem vel eo vno indicio ſatis probari contendit, quod in ijs Eccleſijs cuſtoditur, in quibus ſuccedentium ſibi Epiſcoporum nuſquam interrupta ſeries ad Apoſtolos ducitur. Atque ita Euangelium, quo nunc S. Matthæi nomine vtitur Eccleſia, genuinum eius Apoſtoli ſcriptum eſſe contra Manichæos ex eo colligit, quod in Eccleſijs, quæ ab Apoſtolis conditæ ad nos Epiſcoporũ perpetua ſucceſsione deductæ ſunt, pro vero eius Apoſtoli Euãgelio habeatur, *Cõtinuo dices*, inquit, *illam narrationem* (de conceptu, atque ortu Chriſti ſaluatoris noſtri) *non eſſe Matthæi, quam Matthæi eſſe dicit vniuerſa Eccleſia ab Apoſtolicis ſedibus, vſq; ad præſentes Epiſcopos recta ſucceſsione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem forte librum Manichæi, vbi Ieſus negatur eſſe natus ex virgine? ſicut ergo ego credo illum librum eſſe Manichæi, quem ex ipſo tempore, quo Manichæus viuebat in carne per diſcipulos eius certa ſucceſsione præpoſitorum veſtrorum ad veſtra vſque tempora cuſtoditus, atq; perductus eſt; ſic & iſtum librum credo eſſe Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipſe in carne vixit, non interrupta ſerie temporum, Eccleſia certa connexionis ſucceſsione vſq; ad tempora iſta perduxit.* Quo loco, vt probet veras

ras traditiones, quibus vel Apoſtolicas ipſas literas cuſtodimus, rectam Epiſcoporum ſibi ſuccedentium ſeriem ab ijs qui nunc Eccleſiam adminiſtrãt, vſque ad Apoſtolos adhibet; quorum nullus vnquam aliter docuiſſe conuincatur, quam nunc ij doceant, qui præſunt Eccleſijs. Qua propter etiam illa ſubijcit; *Cui* (è duobus libris,) *nos potius cenſes fidem accommodare debere? ei ne, quẽ illa Eccleſia, ab ipſo Chriſto inchoata, & per Apoſtolos profecta, certa ſucceſſionum ſerie vſque ad hæc tempora toto terrarum orbe dilatata, ab initio traditũ & conſeruatum agnoſcit, & approbat? an ei, quem eadem Eccleſia cognitum reprobat?* Vbi vnum illud viget, quod Eccleſia, quæ longa Epiſcoporum ſucceſsione originem ſuam ad Apoſtolos deducit, ab Apoſtolis ſibi traditum, atque à ſe conſeruatum agnoſcit. Quod, modo vnum, in Apoſtolicis traditionibus ſi concedant proteſtantes, nihil præterea poſtulaturi ſumus: ſatis id erit, vt eos vel reuocemus ad Eccleſiam; vel apertiſsimè reuincamus. Neque magnopere veremur, ne quicquam nobis officiant; quod *præclare*, vt ait Caſaubonus, in doctorum hominum ſcriptis verba, non ſententias, perpendere ſolitus; *& vere Iulius Rogerius Papæ protonotarius in opuſculo de libris canonicis, & apocryphis pronunciat; Traditionem nullam vllius eſſe ponderis, niſi nullis temporum intercapedinibus interruptam, ab Apoſtolorũ vsq; temporibus. Inde enim neceſſum eſſe, traditionem manere.* Aliud eſt enim traditionem nunquam interruptam eſſe oportere, quod & nos ſupra docuimus, & Iulius Rogerius ſcribit; aliud exemplis, ac teſtimonijs ſingularum ætatum doceri poſſe, nunquam eam in Eccleſia non viguiſſe cum ſæpe quia nulla cogit neceſsitas dicere, ea in hiſtorijs, ac diſputationibus taceatur, quæ quanto certiora quãtoq; magis extra controuerſiam ſunt; tanto minus ſcriptorum teſtificationibus indigent. Quod aduerſus ſemipelagianos, de gratia diſputans lib. de prædeſt. cap. v. & xiv. notauit Auguſtinus.

Vbi duo illa interim animaduertenda ſunt; alterum fieri nonnunquam vt Apoſtolicæ aliquæ traditiones à viris magnis tanta probabilitate reuocentur in dubium; vt priuata auctoritate lis certo dijudicari non poſſit. quod & in Cypriani anabaptiſmo eueniſſe, lib. I. cap. VII. contra Donatiſt. teſtatur Auguſtinus; cum etiam lib. eius operis II. cap. IV. ingenue fateatur, *nec ſe quidem tale aliquid auſurum aſſerere, niſi vniuerſa Eccleſiæ auctoritate firmatum.* Ita de canonicorum etiam nonnullorum librorum auctoritate, vt de Epiſtola ad Hebræos, deque Apocalypſi B. Ioannis aliquãdo dubitatum eſt; quos tamen libros communis deinde Catholicorũ conſenſus recepit in canonem.

Alterum ea in re animaduertendum eſt; nullam vnquam Apoſtolicam revera traditionem communi totius Eccleſiæ conſenſione repudiatam.

diatam eſſe. Erraſſet enim Eccleſia, quam, quicquid obganniant hæretici, vt lib. de vnit. Eccl. cap. 19. ſcribit Auguſtinus, *veracem eſſe Chriſtus teſtatus eſt*, vt ſemel traditam ſibi fidem repudiare non poſsit. Ita quo tempore Cyprianus cum Carthaginienſi Concilio, ac multæ aliæ, quarum meminit Euſebius, Eccleſiæ anabaptiſmum docebant, Stephanus cum Romana Synodo, eumque ſequuta reliqua Eccleſiæ pars, eam ſententiam damnauit. Ita dum alij libros eos in ſuſpicionem reuocarent, aut etiam penitus expungerent è canone ſcripturarum; eos alij vt genuinos Scripturæ libros venerabantur: dum tandem aut Conciliorum auctoritate, aut conſequentium ſæculorum approbatione reciperentur. Quanquam enim Eccleſia neque de non canonico canonicum, neque de non reuelato reuelatum reddere quicquam poteſt; eo tamen ſpiritu duce, qui eam *in omnem veritatem inducturus* promiſſus illi cælitus, nec fallit, nec fallitur, genuinas à ſpuriis traditionibus dijudicare poteſt. neque, quia dubitatum de traditione aliqua ſit aliquando, & fuerint, qui negarint; eam ob rem interrupta vnquam traditio dici poteſt. Hinc ea ſunt Auguſtini de Donatiſtarum anabaptiſmo diſputantis contra Donatum lib. 1. cap. 7. *Quæſtionis huius obſcuritas compulit magnos viros diu fluctuare, donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrimè ſentiendum erat, remotis dubitationibus firmaretur.* Et lib. de vnit. Eccl. cap. 19. *Cum hoc nuſquam legatur, credendum eſſe teſtimonio Eccleſiæ, quam veracem eſſe Chriſtus teſtatus eſt.* Sed nos in præſentia non tam communem proteſtantium doctrinam confutamus; quam in Caſauboni priuatim Theologiam inquirimus.

De voto virginitatis à B. Virgine nuncupato inconſtantia, & prauaricatio Caſauboni cum pari mendacitate coniuncta.

CAPVT VII.

INTACTVM n. lvj. apparatus, ne excucullatis quinti Euangelij conditoribus, & Chriſtianæ, ſcilicet, eorum libertati officeret, relinquere non auſus, cum ex altera parte apertiſsima Patrum ratione, atque auctoritate conuinceretur; eam inijt diſputandi rationem cap. 24. 1. Exercitationis; Caſaubonus vt permiſcendis inter ſe quæſtionibus, mentiendo, calumniandoque, non Baronium modo, ſed etiam veterum pleroſque traduceret. Quatuor enim ea de re quæri poſſunt. primum, nuncuparitne virginitatis votum B. Maria prius, quàm ab Angelo futurus ei partus nunciaretur? tum, quo tempore nuncuparit? deinde, ſitne articulus fidei votum à beata Virgine

gine

Digitized by Google

Sine nuncupatum? denique, num fide conſtet, quo tempore nuncuparit? Et conſtat quidem apud veteres omnes, qui ea de re quicquam loquuti ſunt, votum à B. Virgine ante nuncupatum, quam ſalutaretur ab Angelo; de tempore controverſia eſt, quod alij antequam Ioſepho deſponſaretur, alij poſt deſponſationem, eo conſcio, factum id aſſerunt. Ad fidem autem Catholicam pertinere, non modo certum tempus, quo votum id nuncupatum ſit; cum ea de re Catholici, iique grauiſsimi ſcriptores diſſentiant; ſed ipſam omnino nuncupationem voti equidem qui doceret, neminem vidi. Scripſit quidem num. LVII. Baronius, Græcos, Latinosque quotquot ea de re egerunt, Auguſtino, atque Nyſſeno ſummis Theologis adſtipulari: *neque quenquam diſſentire, niſi ſtolidiſsimorum hæreticorum factionem, & ſatellitium,* qui in impugnandis ſacris votis virginitatis, & continentiæ egregiam Diabolo nauant operam. ſed is, hæreſeos eo nomine illos damnat, quod ſacris virginitatis, & continentiæ votis bellum indixerint; non quod emiſſum à B. Virgine votum id negent. Neque vero ita docet, ante, quam Ioſepho deſponſaretur votum ab ea virginitatis nuncupatum, vt aut pro indubitato habeat, aut eos, qui conſcio, nec diſſentiente Ioſepho, id actum exiſtimant, vlla ratione erroris arguat. Num. certe LVIII. Vbi ſententiam ſuam aperit; *Haud putamus,* inquit, *à veritatis via quenquem aberrare, ſi dixerit ſanctiſsimam Virginem ante, quam fuerit deſponſata Ioſeph, parentibus ſcientibus, nec diſſentientibus, votum virginitatis nuncupaſſe.* Vbi ita in eam ſententiam propendere ſe ſignificat, vt certi nihil pronunciet. Num. vero LX. *fuit,* inquit, *de Mariæ voto aliorum ſententia, nimirum Beatiſs. Virginem, poſt quam eſt deſponſata, votum virginitatis, quod animo diu conceperat, ſponſo aſſentiente, verbis expreſsiſſe. Horum auctor eſt Sanct. Thomas, quem complures ſunt ſequuti. Perfacile fuit id ſuaderi homini iuſto, ab ea præſertim, quæ & Deum ipſum (ſi ita licet dicere) in ſuum traxit obſequium.* Vbi cum nihil contra diſputet; fatetur complures in S. Thomæ ſententiam conceſsiſſe, & rationes innuit, cur ea ſententia probari non difficile poſsit.

Hunc diſputantem Caſaubonum audiamus. *Beatiſsimam Mariam,* inquit exercit. I. cap. XXIV. *Votum virginitatis feciſſe, prius etiam, quam Ioſepho deſponderetur, pro certo affirmat Baronius.* At id quidem, ſine controuerſia, mendacium eſt. Nam Baronius ea de re magnopere nihil affirmat. Pergit; *& cum eo multi.* Id quoque mendacium eſt. alioqui è multis illis vnum aliquem protuliſſet, qui pro certo id aſſerat: neque potius, vt fit in ſcholis, tanquam probabilius ſequatur. Sed leuiora ea mendacia viſa ſunt, quamque Caluiniani miniſtri filium decerent: Addendum igitur fuit

aliquid,quo quinti Euangelij maieſtate digna impoſtura videretur. *Neque magis*,inquit,*de eo* [virginitatis voto, antequam deſponſaretur, nuncupato] *dubitari ſinunt, quam de aliquo quouis Chriſtianæ religionis articulo.* Quibus autem verbis,aut quo tandem loco vel Baronius,vel Catholicus vllus ſcriptor id docuit? Baronius quidem ita ante nuptias votum emiſſum tuetur; ut ſententiam S.Thomæ non improbet. Bellarminus. lib. II. de Monac. cap.XXII. vtramque ſententiam probabiliter tuetur.Ac ne de emiſſo quidem abſolute voto ita loquuntur viri noſtræ memoriæ principes, rerumque Catholicarum,ac, ſi quis vnquam alius,peritiſsimi, vt hæreſeos potius damnēt, ſi quis negauerit,quam aut ſtuporis,aut periculoſæ temeritatis accuſent. Baronij verba iam ante protuli. Bellarminus poſtal-lata Caluini,Patres accuſantis,verba,quod ex eo B. Virginis reſponſo; *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* emiſsum ab ea votum virginitatis collegiſſent; *Hic etiam*,inquit,*deſideramus Caluini modeſtiam. Quale enim eſt,vt abſurdum,& ridiculum dicat,quod aſſeritur à Nyſſeno, Auguſtino, Beda, Bernardo, Anſelmo, Ruperto,& ab omni ſchola Theologorum*?Et infra, expoſita eius interpretatione.*ſi ſola coniectura*,inquit,*Caluinus nititur; cur deſerit Patrum, & Theologorum omnium auctoritatem? An tutum ſit ob coniecturam vnam repugnare omnibus Patribus,ipſe viderit*. Miſcet igitur Caſaubonus quæſtiones,atque vnam è pluribus conſtituit,vt calumniam ſtruat,neque leuiter mentiatur. ſed de impoſturis,ac mendacijs eius alio loco plenius; nunc theologica inſpiciamus.

Nemo,inquit,*verè Chriſtianos negabit, & ante partum, & in ipſo partu τὴν θεοτόκον virginem manſiſſe.* Vere,ille quidem, & ſi quid eſſe in hæretico pietatis poteſt,etiam piè:non impie quidem certè.Sed conſtantiam in Caſaubono hoc loco deſidero. Capite quidem XVII. ſignificat,nihil ea de re certi in Eccleſia ſciri poſſe.qui autem vere Chriſtianus eſſe deſinas, ſi id neges,de quo nihil in vtramlibet partem religio Chriſtiana doceat? Nam ſi Chriſtianus is eſt,qui Chriſti baptiſmo rite luſtratus,ita fidem eius profitetur; vt nihil eorum neget,quæ Chriſtiana religione continentur; neceſſe eſt aut articulum hunc in Chriſtianæ fidei capitibus contineri,aut qui eum negauerit,verè tamen eſſe Chriſtianum. Sed tanto poſt excidiſſe id homini minus recordanti,quæ ſupra ſcripſiſſet, minus mirum videri poteſt: illud plane incredibile,quod eo ipſo loco vtrumque docet. Cum enim apparatus num. XL. ſcripſiſſet Baronius; *Magna, & per omnia admiranda præceſsiſſe natalem Dei genitricis Mariæ, non putare ſe adeo anguſti pectoris, & emotæ mentis reperiri hominem,qui non intelligat: ſe vero neque affirmare id, neque negare velle*, reſpondet Caſaubonus cap. XVII.*quia,tacente ſcriptura*,inquit, *curioſum putamus,& periculoſum id velle inquirere. Quod autem putat Baronius neceſſarium eſſe*,

Digitized by Google

eſſe, ſi pij eſſe volumus, id credere; temere dictum putamus. At nulluſne relinquitur graui, ac ſolidæ coniecturæ locus? Minime, inquit. *Nam quis tu es homo, qui de Concilijs Dei tam audacter pronuncias? Quis tu es, qui neceſsitatem imponis credendi, quorum Spiritus Sanctus auctor, & fundus non eſt?* Nihil igitur credi pateris, certè nullius rei credendę neceſsitatem imponi, niſi *cuius Spiritus Sanctus in ſacris literis auctor, & fundus ſit?* ita opinor. Perge porro Caſaubone. *Ignoſcent mihi*, inquit, *Baroniani manes, ſi dixero pluris apud me eſſe vnum Baſilium magnum, quam multos Cardinales Baronios.* Vtinam vero nihil vnquam ſcripſiſſes infelix, quod viro optimo, atque doctiſsmo magis improbaretur. Ille quidem, quodcunque demum ſit aliorum iudicium, qua erat animi demiſsione, ne longo quidem interuallo conferri ſe cum magno Baſilio paſſus eſſet. Sed quid tum? *Baſilius*, inquit, *in ea de Chriſti natiuitate* (oratione) *dicit neceſſarium eſſe, ſi pij eſſe volumus, credere B. Mariam ante Domini partum manſiſſe virginem. Quid poſt partum? Id quoque dubio procul credidit Baſilius, & nos credimus firmiſsimè, cruciatus quoſuis parati perpeti, cum bono Deo, prius, quam aliud aliquid nobis perſuaderi ſinamus.* Laudo tuam iſtam fidei firmitudinem. Sed vide, ne te repente fides iſta deſtituat. Credis enim, & firmiter credis; & tamen id à Baſilio, quem iure miraris, cuiusque iudicio ſtare velle te clamas, in medio relictum id memoras. *Quoniam tamen*, inquis, *id ſcriptura non docet, vide quid diuinus ille doctor pronunciet.* Τὸ δ' ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον καταλείψωμεν τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου *quod ſupereſt, omittamus quæ rere & myſterio ſiue ſilentio relinquamus. Cauſam ibidem affert, quia* μηδὲν τῷ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεται λόγῳ *nihil ea res pietatem lædit.* Perperam tu quidem Baſilium interpretaris, vt mox oſtendam. Sed interim quæro de te acuto homine, ne dicam ſtolido, atque vecordi, ſi nihil eſt credendum, niſi quod Spiritus ſanctus in ſacris literis docuerit; cur tam firmiter credi poſtules à B. Maria poſt partũ etiam cultam virginitatem eſſe? quod neque ſcriptura loquitur, & Baſilius, vt tu quidem credis, relinquit in medio? ſi id modo auctore Baſilio ad pietatem neceſſarium eſt, vt ante partum, & in partu virginem eam fuiſſe credas, quod id, Spiritu auctore compertum eſt, ac de cætero ſuſtinendo aſſenſio eſt; cur tu tam firmiter credi iubes, vt neceſsitatem perferendæ etiam mortis imponas? Aut ſi pronuncianti hac de re Baſilio fidem non habes, ac lædi pietatem putas, ſi quis cum Heluidio doceat, Beatiſsimam Chriſti matrem eſſe aliquando virginem deſijſſe, quamuis eius rei nulla fiat in ſacris literis mentio; cur auctoritate Baſilij cogis alios ijs rebus pronunciatum illud ſuſcipere, de quibus ille nunquam loquutus eſt? Quibus autem te ita ſtolidè diſputantem myſterijs oneraſſet, ſi locum hunc in ſuis tabulis attigiſſet Roſuueydus.

Digitized by Google

Nunc ad Baſilium veniamus, quem per ſummam aut impudentiam ſciens detorquet, aut inſcitiam non intelligit Caſaubonus. Cuius enim vel impudentiæ vel ſtuporis fuit, cum Baſilius eo ipſo loco cauendum doceat, vt ne ad aures quidem vox vlla, quæ id innuat, ab ijs, qui Chriſtum amant, admittatur; neque contra ſentientium argumentum modo diluat; ſed etiam traditione probet; virginem eam permanſiſſe; tamen affinem eum tantæ impietati facere velle? Affert is eo loco ſuſpicionem eorum, qui perperam intellectis ijs Euangeliſtæ verbis; *Et non cognouit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum*; effici exiſtimabant, Dei genitricem eſſe aliquando virginem deſiiſſe: Ac reſpōdet primum etiam ſi ita eſſet, vt illi impiè ſuſpicati ſunt; non fore tamen, vt eam ob rem aut magnitudini miraculi, aut prolis ipſius ſanctitati, maieſtatique quidquam officeretur. Nam matris quidem integritatem tandiu neceſſariam fuiſſe, dum foetus ederetur in lucem. quæ deinde conſequuta ſunt, vt nihil habent cum prole, eiusque generatione commune; ita ne ad myſterium quidem ipſum pertinere. Tum reſponſionem alteram ſubijcit, neque ijs Euangelij verbis euinci, quod nonnulli ſuſpicabantur; & traditione ſatis conſtare Beatiſsimam Domini matrem ad extremum virginem permanſiſse Ἡμεῖς, inquit, *εἰ καὶ μηδὲν τῷ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεται λόγῳ (μέχρι γὰρ τῆς κατὰ τὴν οἰκονομίαν ὑπηρεσίας ἀναγκαία ἡ παρθενία: τὸ δ' ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου καταλείψωμεν) ὅμως διὰ τὸ μὴ καταδέχεσθαι τῶν φιλοχρίστων τὴν ἀκοήν, ὅτι ποτὲ ἐπαύσατο εἶναι παρθένος ἡ θεοτόκος, ἐκείνας ἡγύμεθα τὰς μαρτυρίας αὐτάρκεις.*

Quæ Ianus Cornerius, cuius, quia proteſtans fuit, eruditionem in omni ſermone celebrat Caſaubonus, ita vertit. *Nos, etiam ſi hoc nihil pietatis rationem vitiet, nam vſque ad diſpenſationis myſterium neceſſaria erat virginitas, quod vero deinceps conſequutum eſt, nullam curioſitatem rationi myſterij exhibet; tamen, vt ne eorum, qui Chriſtum amant, aures ſuſcipiant, quod Deipara aliquando virgo eſſe deſiit; illa teſtimonia ſufficientia eſſe putamus.* Nec diſſentit Antuerpienſis apud Philippum Notium editio. *Nos, licet hoc nihil doctrinæ pietatis officiat (nam donec diſpenſabatur Chriſti generatio, neceſſaria erat virginitas: quid vero poſtea ſit factum ad myſterij huius doctrinam non anxie coniungendum eſt) veruntamen, ne hoc eorum, qui Chriſtum amant, ferre cogantur aures, quod genitrix Dei aliquando deſierit eſſe virgo, has rationes ſufficere putamus.* Quid hæc habent commune cum Caſaubonianis ineptijs? aut qui venire ſano cuiquam in mentem poteſt, id ſibi eo loco velle Baſilium, quod ſomniauit Caſaubonus? cuius in reddendis latinè verbis viri ſanctiſsimi, Caluinianam fidem, quamuis alius mihi ſit ad agendum ea de re locus; non poſſum hic etiam non execrari. Nam ſi ſenten-

ſententiam ſequutus, in verbis ipſis hærere anxie noluit, præſertim quod minus commode exprimi latine poſſunt; ita vertere debuit, vt Cornerius, ac cæteri. Si ita vertere voluit, vt quantum lingua Latina patitur, ſingulis Græcis Latina ſingula reſponderent; ita reddenda fuerunt. *Quod deinde ſequutum eſt, ſine curioſa inquiſitione rationi myſterij relinquamus.* Sed Caſaubonus, vt peſsimum nobis repræſentaret interpretandi genus, neque ſententiam, neque verba retinuit, impoſtura modo contentus qua fucum multitudini faceret. Hæc obiter de eo Baſilij loco perperam expoſito. nunc ad I. Exercitationis cap. XXIV. redeamus.

Quibus adducti rationibus docuerint ſcriptores non pauci, Beatiſs. Virginem ante etiam, quam Ioſepho deſponderetur, virginitatis votum emiſiſſe, ſic exponit: *Ne videretur Maria ijs inferior, quæ virginitatem propoſito colunt; exiſtimarunt intereſſe gloriæ ipſius, vt dicerent, illam γάμον ἄγαμον contraxiſſe. Auxit eam opinionem ſententia Scholaſticorum docentium, bonum quod ſit ex voto, laudabilius eſſe, & magis meritorium, quam quod ſit ſine voto.*

Nihil minus. non ita erant hebetes vel Patres, vel Scholaſtici, auctores eius ſententiæ, vt id ijs rationibus effici exiſtimarent, quæ emiſſum ab ea virginitatis votum ſatis probant: quo tempore emiſſum ſit, probare nulla ratione poſſunt. Quid enim? Si poſt contractas cum Ioſepho nuptias eo ſe voto obſtrinxiſſet; ideone propoſito virginitatem non coluiſſet? Aut ſi laudabilius eſt bonum, quod ſit ex voto: eam ob rem liberorum procreatione laudabilior non fuit ea virginitas, quam Virgo iam nupta vouiſſet? Deliramenta iſta ſunt Grammatici male feriati, non argumenta grauium Theologorum. Huius notæ illud etiam eſt; *Et Nyſſenus, & Auguſtinus vrgent Deiparæ reſponſionem; Virum non cognoſco: quod argumentum mihi quidem non videtur adeo contemnendum.* Mihi vero etiam certiſsimam fidem videtur facere voti à B. Virgine emiſsi: ad docendum vero; quo tempore votum B. Virgo nuncuparit, niſi quid aliud addas, inane prorſus, ac futile: cum ea reſponſione vti potuerit, ſi vel non plus vna hora ante votum id emiſiſſe, quam ſermonem haberet cum Angelo. Neque vero ita inſaniebant duo illa Eccleſiæ lumina, vt quia tunc temporis virum noſſe non poterat; ne ante quidem, quam Ioſepho nuberet, liberum id ei fuiſſe concluderent. Suam igitur ſibi dialecticam, aut ſi mauult, cum Symmiſtris ſuis ſeorſim Caſaubonus habeat: Patres ea ſcilicet vtentur, quæ cordatos, ac doctos homines decet. Atque Nyſſenus quidem, cum ex veteri hiſtoria demonſtraſſet, prius ſacerdotes, dum B. Virgo etiam tum verſaretur in templo, cum comperiſſent dicatam ab ea Deo virginitatem ſuam, *deliberantes in hanc ſententiam conueniſſe; vt ea connubij nomine cuipiam deſponderetur: qui tamen ad cuſtodiam eius duntaxat eſſet idoneus:* Eius deinde ea verba perpendens; *Quomodò fiet iſtud, quoniam vi-*

diſpliceat;cum is ex veteri hiſtoria totidem pene verbis doceat, quod impium videretur corpus Deo dicatum violaturo cuiquam tradi, delectum à ſacerdotibus Ioſephum,qui cuſtos integritatis eius eſſet potius, quam maritus?

Porro Caſaubonus vt nihilo ſe magis in ſcriptoribus, quam in dialecticis verſatum oſtenderet,poſtquã dixit B.Mariam cum Ioſepho nupſit, vel voto adſtrictam non fuiſſe,vel Ioſephum habuiſſe conſentientem. *Quæ etiã*, inquit,*ſubtiliſſimi Thomæ fuit ſententia.* Quo autem loco, aut quibus verbis hoc ille docuit? 3.quidem p. q.28.a.4. in corp.negat eam *abſolute virginitatem vouiſſe antequam deſponſaretur Ioſeph. Sed licet eam in deſiderio habuerit;ſuper hoc tamen voluntatem ſuam diuino commiſiſſe arbitrio. Poſtmodum vero, accepto ſponſo, ſecundum quod mores illius temporis exigebant,ſimul cum eo votum virginitatis emiſiſſe.* Vbi autem patefactum Ioſepho colendæ virginitatis votum, cum ei nuberet?quod ea ſimul cum illo emiſiſſe poſt cõtractas nuptias dicitur. Iam in reſponſione ad 1. apertius exponit id, quod inuolutius ſupra ſcripſerat, virginitatem ab ea non ante abſolute fuiſſe votam,quam nuptui traderetur. *Non ſimpliciter*,inquit,*virginitatem vouit Dei genitrix, ſed ſub conditione, ſi Deo placeret. Poſtquam autem ei innotuit hoc eſſe Deo acceptum,abſolute vouit,antequam ab Angelo annunciaretur.* Atque hinc etiam in reſponſione ad 3. ſoluit dubitationem,quæ ex eo ducitur.*quod cum vouentibus caſtitatem, non ſolum nubere, ſed etiam velle nubere damnabile ſit:Beata autem Virgo Ioſepho nupſerit, non videtur fuiſſe voto virginitatis obſtricta.* Nam id *intelligendum* ait de ijs, *quæ abſolute caſtitatem vouent;quod quidem mater Dei non fecit antequam Ioſepho deſponſaretur: ſed poſt deſponſationem*, inquit, *ex communi voluntate ſimul cum ſponſo ſuo votum virginitatis emiſit.* Quæ cum ita ſint,duo virginitatis vota ponit in B.Virgine S.Thomas;alterum ea conditione, ſi Deo cordi eſſet, idque nuncupatum ab ea eſse putat ante quam nuberet;alterum poſtquam Ioſepho in matrimonium tradita,ad conſilium colendæ ſecum virginitatis eum induxit, cum de diuina voluntate iam certior,nulla adiecta conditione cum eo ſimul virginitatem vouit.Siue ergo votum iam ante emiſsum Ioſepho, cum ei deſponſaretur,detexerit:ſiue vt S.Thomas mauult,virginitatem ea conditione vouerit,ſi Deo id cordi foret,potuit cum Ioſepho nuptias nullo pietatis diſpendio inire. Nam ſi cum eo ſe voto iam ante obſtrinxiſset: diuinitus monita eſt,vti ne eius coniugium refugeret, quem in ſuam ſententiam perductura,ac virginitatis cuſtodem habitura eſset;ne ſic quidem in ijs nuptiis quicquam eſset repræhenſione dignum. Nuptiis enim non aliam ob cauſam interdicitur ei,qui caſtimoniæ voto obſtrictus eſt,niſi quod vel violãdi voti periculo ſeſe obijcit;vel iniuriam facit coniugi, ſi debitum ei beneuolentiæ deneget,quod præſtare,ſalua voti religione,non poteſt.qui autem

Digitized by Google

certo ſit fore vt conſentientem habeat in ſeruanda caſtimonia coniugem; neque iniuriam illi facit;& ſacrilegij periculo eſt immunis.

Neque vero coniugium eſſe non poteſt eorum, qui ea lege nuptias ineant, vt ipſo coniugij vſu, ac liberorum procreatione prorſus abſtineant: Conſtat enim coniugium traditione, atque acceptione mutua corporum, qua ius ita in alterius corpus alteri quæritur, vt neque cum alio eſſe, ſine coniugis iniuria, atq; adulterio mulier poſsit,& ad ſuſcipiẽdos liberos iure ſuo vti poſsit coniugis corpore. Sed prior illa poteſtas in corpus cõiugis ita ſeiungi à coniugio non poteſt,vt neque eſſe matrimonium, neque cogitari ſine illa poſsit,cum poteſtas vtendi corpore coniugis ad liberos ſuſcipiendos,quamuis matrimoniũ natura ſua comitetur, aut tolli caſu aliquo, ſepararique ab eo,aut impediri quidem certe non raro poſsit.quod in ijs apertiſsimum eſt, qui continentiam poſt coniugium cõmuni conſenſu vouent: quibus ita interdictum eſt vſu coniugij: vt tamen alter in alterius corpus poteſtatem retineat,vt neque illegitimi ſint filij,ſi quos deinde violata voti religione ſuſcipiant; neque ſi cum altero miſceantur, immunes adulterio ſint.

Ergo cum natura ipſa,ac forma coniugij poſita ſit in ea, quam lib. 1. de nupt.& concupiſc.cap.xi.*primam deſponſationis fidem* appellat Auguſtinus,qua ita, vt expoſitum eſt, ius coniugum alteri in alterius corpus quæritur:eaque non modo ab ipſo vſu coniugij ſeiungi; ſed etiam eſſe cum coniugalis conſuetudinis impedimento poſsit: potuit B. Virgo quamuis virginitatem ſuam vouiſſet Deo, (non vt Caſaubonus è lexico vocat γάμον ἄγαμον ſed veras ſine vlla reprehenſione nuptias cum Ioſepho contrahere, modo certo ſciuerit fore,vt eum in ſententiam colendæ ſecum virginitatis pertraheret; Cum neque voto coniugalis nexus, ſed conſuetudo tantum tolleretur: neque illi iniuria fieret,qui debitum repetiturus non eſſet.*Coniux enim*, inquit B. Auguſtinus lib.1.de nupt.& cõcupiſc. cap.xi.Ioſeph B.Virginis) *vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus:nec perierat,nec mendax manſerat coniugis appellatio,vbi nec fuerat,nec futura erat vlla carnis commixtio.*

Caſauboni de ſacris literis Theologia.

CAPVT VIII.

DIVINARVM maieſtas literarum, cuius in primis patrocinium defectioni ſuæ prætexunt ſectarij,quam iis cordi ſit;cum multa alia, tum ea,quæ de iis recens hic ex aula Britannica Theologus diſputat,ſatis in-

diatam eſſe. Erraſſet enim Eccleſia, quam, quicquid obganniant hæretici, vt lib. de vnit. Eccl. cap.19. ſcribit Auguſtinus, *veracem eſſe Chriſtus teſtatus eſt*, vt ſemel traditam ſibi fidem repudiare non poſsit. Ita quo tempore Cyprianus cum Carthaginienſi Concilio, ac multæ aliæ, quarum meminit Euſebius, Eccleſiæ anabaptiſmum docebant, Stephanus cum Romana Synodo, eumque ſequuta reliqua Eccleſiæ pars, eam ſententiam damnauit. Ita dum alij libros eos in ſuſpicionem reuocarent, aut etiam penitus expungerent è canone ſcripturarum; eos alij vt genuinos Scripturæ libros venerabantur: dum tandem aut Conciliorum auctoritate, aut conſequentium ſæculorum approbatione reciperentur. Quanquam enim Eccleſia neque de non canonico canonicum, neque de non reuelato reuelatum reddere quicquam poteſt; eo tamen ſpiritu duce, qui eam *in omnem veritatem inducturus* promiſſus illi cælitus, nec fallit, nec fallitur, genuinas à ſpuriis traditionibus dijudicare poteſt. neque, quia dubitatum de traditione aliqua ſit aliquando, & fuerint, qui negarint; eam ob rem interrupta vnquam traditio dici poteſt. Hinc ea ſunt Auguſtini de Donatiſtarum anabaptiſmo diſputantis contra Donatum lib.1. cap.7. *Quæſtionis huius obſcuritas compulit magnos viros diu fluctuare, donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrimè ſentiendum erat, remotis dubitationibus firmaretur.* Et lib. de vnit. Eccl. cap. 19. *Cum hoc nuſquam legatur, credendum eſſe teſtimonio Eccleſiæ, quam veracem eſſe Chriſtus teſtatus eſt.* Sed nos in præſentia non tam communem proteſtantium doctrinam confutamus; quam in Caſauboni priuatim Theologiam inquirimus.

De voto virginitatis à B. Virgine nuncupato inconſtantia, & prauaricatio Caſauboni cum pari mendacitate coniuncta.

CAPVT VII.

INTACTVM n. lvj. apparatus, ne excucullatis quinti Euangelij conditoribus, & Chriſtianæ, ſcilicet, eorum libertati officeret, relinquere non auſus, cum ex altera parte apertiſsima Patrum ratione, atque auctoritate conuinceretur; eam inijt diſputandi rationem cap.24. 1. Exercitationis; Caſaubonus vt permiſcendis inter ſe quæſtionibus, mentiendo, calumniandoque, non Baronium modo, ſed etiam veterum pleroſque traduceret. Quatuor enim ea de re quæri poſſunt. primum, nuncuparitne virginitatis votum B. Maria prius, quàm ab Angelo futurus ei partus nunciaretur? tum, quo tempore nuncuparit? deinde, ſitne articulus fidei votum à beata Virgine

gine

Digitized by Google

ſine nuncupatum? denique, num fide conſtet, quo tempore nuncuparit? Et conſtat quidem apud veteres omnes, qui ea de re quicquam loquuti ſunt, votum à B. Virgine ante nuncupatum, quam ſalutaretur ab Angelo; de tempore controverſia eſt, quod alij antequam Ioſepho deſponſaretur, alij poſt deſponſationem, eo conſcio, factum id aſſerunt. Ad fidem autem Catholicam pertinere, non modo certum tempus, quo votum id nuncupatum ſit; cum ea de re Catholici, ijque grauiſsimi ſcriptores diſſentiant; ſed ipſam omnino nuncupationem voti equidem qui doceret, neminem vidi. Scripſit quidem num. LVII. Baronius, Græcos, Latinosque quotquot ea de re egerunt, Auguſtino, atque Nyſſeno ſummis Theologis adſtipulari: *neque quenquam diſſentire, niſi ſtolidiſsimorum hæreticorum factionem, & ſatellitium,* qui in impugnandis ſacris votis virginitatis, & continentiæ egregiam Diabolo nauant operam. ſed is, hæreſeos eo nomine illos damnat, quod ſacris virginitatis, & continentiæ votis bellum indixerint; non quod emiſſum à B. Virgine votum id negent. Neque vero ita docet, ante, quam Ioſepho deſponſaretur votum ab ea virginitatis nuncupatum, vt aut pro indubitato habeat, aut eos, qui conſcio, nec diſſentiente Ioſepho, id actum exiſtimant, vlla ratione erroris arguat. Num. certe LVIII. Vbi ſententiam ſuam aperit; *Haud putamus,* inquit, *à veritatis via quenquem aberrare, ſi dixerit ſanctiſsimam Virginem ante, quam fuerit deſponſata Ioſeph, parentibus ſcientibus, nec diſſentientibus, votum virginitatis nuncupaſſe.* Vbi ita in eam ſententiam propendere ſe ſignificat, vt certi nihil pronunciet. Num. vero LX. *fuit,* inquit, *de Maria voto aliorum ſententia, nimirum Beatiſ. Virginem, poſt quam eſt deſponſata, votum virginitatis, quod animo diu conceperat, ſponſo aſſentiente, verbis expreſsiſſe. Horum auctor eſt Sanct. Thomas, quem complures ſunt ſequuti. Perfacile fuit id ſuaderi homini iuſto, ab ea præſertim, quæ & Deum ipſum (ſi ita licet dicere) in ſuum traxit obſequium.* Vbi cum nihil contra diſputet; fatetur complures in S. Thomæ ſententiam conceſsiſſe, & rationes innuit, cur ea ſententia probari non difficile poſsit.

Hunc diſputantem Caſaubonum audiamus. *Beatiſsimam Mariam,* inquit exercit. I. cap. XXIV. *Votum virginitatis feciſſe, prius etiam, quam Ioſepho deſponderetur, pro certo affirmat Baronius.* At id quidem, ſine controuerſia, mendacium eſt. Nam Baronius ea de re magnopere nihil affirmat. Pergit; *& cum eo multi.* Id quoque mendacium eſt. alioqui è multis illis vnum aliquem protuliſſet, qui pro certo id aſſerat: neque potius, vt fit in ſcholis, tanquam probabilius ſequatur. Sed leuiora ea mendacia viſa ſunt, quamque Caluiniani miniſtri filium decerent: Addendum igitur fuit

Digitized by Google

aliquid,quo quinti Euangelij maieſtate digna impoſtura videretur. *Neque magis*,inquit,*de eo* [virginitatis voto, antequam deſponſaretur, nuncupato] *dubitari ſinunt, quam de aliquo quouis Chriſtianæ religionis articulo.* Quibus autem verbis,aut quo tandem loco vel Baronius,vel Catholicus vllus ſcriptor id docuit? Baronius quidem ita ante nuptias votum emiſſum tuetur; ut ſententiam S.Thomæ non improbet. Bellarminus. lib. II. de Monac. cap.XXII. vtramque ſententiam probabiliter tuetur. Ac ne de emiſſo quidem abſolute voto ita loquuntur viri noſtræ memoriæ principes, rerumque Catholicarum,ac, ſi quis vnquam alius,peritiſsimi, vt hæreſeos potius damnēt, ſi quis negauerit,quam aut ſtuporis,aut periculoſæ temeritatis accuſent. Baronij verba iam ante protuli. Bellarminus poſtal-lata Caluini,Patres accuſantis,verba,quod ex eo B. Virginis reſponſo; *Quomodo fiet iſtud,quoniam virum non cognoſco?* emiſsum ab ea votum virginitatis collegiſſent; *Hic etiam*,inquit,*deſideramus Caluini modeſtiam. Quale enim eſt,vt abſurdum,& ridiculum dicat,quod aſſeritur à Nyſſeno, Auguſtino, Beda, Bernardo, Anſelmo, Ruperto,& ab omni ſchola Theologorum?* Et infra, expoſita eius interpretatione. *ſi ſola coniectura*,inquit,*Caluinus nititur; cur deſerit Patrum, & Theologorum omnium auctoritatem? An tutum ſit ob coniecturam vnam repugnare omnibus Patribus,ipſe viderit.* Miſcet igitur Caſaubonus quæſtiones,atque vnam è pluribus conſtituit,vt calumniam ſtruat,neque leuiter mentiatur. ſed de impoſturis,ac mendacijs eius alio loco plenius; nunc theologica inſpiciamus.

Nemo,inquit,*verè Chriſtianos negabit, & ante partum, & in ipſo partu τὴν θεοτόκον virginem manſiſſe.* Vere,ille quidem, & ſi quid eſſe in hæretico pietatis poteſt,etiam piè:non impie quidem certè.Sed conſtantiam in Caſaubono hoc loco deſidero. Capite quidem XVII. ſignificat,nihil ea de re certi in Eccleſia ſciri poſſe.qui autem vere Chriſtianus eſſe deſinas, ſi id neges,de quo nihil in vtramlibet partem religio Chriſtiana doceat?. Nam ſi Chriſtianus is eſt,qui Chriſti baptiſmo rite luſtratus,ita fidem eius profitetur; vt nihil eorum neget,quæ Chriſtiana religione continentur; neceſſe eſt aut articulum hunc in Chriſtianæ fidei capitibus contineri,aut qui eum negauerit,verè tamen eſſe Chriſtianum. Sed tanto poſt excidiſſe id homini minus recordanti,quæ ſupra ſcripſiſſet, minus mirum videri poteſt: illud plane incredibile,quod eo ipſo loco vtrumque docet. Cum enim apparatus num. XL. ſcripſiſſet Baronius; *Magna, & per omnia admiranda præceſsiſſe natalem Dei genitricis Mariæ, non putare ſe adeo anguſti pectoris, & emotæ mentis reperiri hominem,qui non intelligat: ſe vero neque affirmare id, neque negare velle*, reſpondet Caſaubonus cap. XVII. *quia,tacente ſcriptura*,inquit, *curioſum putamus,& periculoſum id velle inquirere. Quod autem putat Baronius neceſſarium eſſe,*

eſſe, ſi pij eſſe volumus, id credere; temere dictum putamus. At nullusne relinquitur graui, ac ſolidæ coniecturæ locus? Minime, inquit. *Nam quis tu es homo, qui de Concilijs Dei tam audacter pronuncias? Quis tu es, qui neceſsitatem imponis credendi, quorum Spiritus Sanctus auctor, & fundus non eſt?* Nihil igitur credi pateris, certè nullius rei credendę neceſsitatem imponi, niſi *cuius Spiritus Sanctus in ſacris literis auctor, & fundus ſit?* ita opinor. Perge porro Caſaubone. *Ignoſcent mihi*, inquit, *Baronïani manes, ſi dixero pluris apud me eſſe vnum Baſilium magnum, quam multos Cardinales Baronios.* Vtinam vero nihil vnquam ſcripſiſſes infelix, quod viro optimo, atque doctiſsmo magis improbaretur. Ille quidem, quodcunque demum ſit aliorum iudicium, qua erat animi demiſsione, ne longo quidem interuallo conferri ſe cum magno Baſilio paſſus eſſet. Sed quid tum? *Baſilius*, inquit, *in ea de Chriſti natiuitate* (oratione) *dicit neceſſarium eſſe, ſi pij eſſe volumus, credere B. Mariam ante Domini partum manſiſſe virginem. Quid poſt partum? Id quoque dubio procul credidit Baſilius, & nos credimus firmiſsimè, cruciatus quosuis parati perpeti, cum bono Deo, prius, quam aliud aliquid nobis perſuaderi ſinamus.* Laudo tuam iſtam fidei firmitudinem. Sed vide, ne te repente fides iſta deſtituat. Credis enim, & firmiter credis; & tamen id à Baſilio, quem iure miraris, cuiusque iudicio ſtare velle te clamas, in medio relictum id memoras. *Quoniam tamen*, inquis, *id ſcriptura non docet, vide quid diuinus ille doctor pronunciet.* Τὸ δ' ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον καταλείψωμεν τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου *quod ſupereſt, omittamus quæ rere & myſterio ſiue ſilentio relinquamus. Cauſam ibidem affert, quia* μηδὲν τῷ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεται λόγῳ *nihil ea res pietatem lædit.* Perperam tu quidem Baſilium interpretaris, vt mox oſtendam. Sed interim quæro de te acuto homine, ne dicam ſtolido, atque vecordi, ſi nihil eſt credendum, niſi quod Spiritus ſanctus in ſacris literis docuerit; cur tam firmiter credi poſtules à B. Maria poſt partũ etiam cultam virginitatem eſſe? quod neque ſcriptura loquitur, & Baſilius, vt tu quidem credis, relinquit in medio? ſi id modo auctore Baſilio ad pietatem neceſſarium eſt, vt ante partum, & in partu virginem eam fuiſſe credas, quod id, Spiritu auctore compertum eſt, ac de cætero ſuſtinendo aſſenſio eſt; cur tu tam firmiter credi iubes, vt neceſsitatem perferendæ etiam mortis imponas? Aut ſi pronuncianti hac de re Baſilio fidem non habes, ac lædi pietatem putas, ſi quis cum Heluidio doceat, Beatiſsimam Chriſti matrem eſſe aliquando virginem deſijſſe, quamuis eius rei nulla fiat in ſacris literis mentio; cur auctoritate Baſilij cogis alios ijs rebus pronunciatum illud ſuſcipere, de quibus ille nunquam loquutus eſt? Quibus autem te ita ſtolidè diſputantem myſterijs oneraſſet, ſi locum hunc in ſuis tabulis attigiſſet Roſuueydus.

Nunc

Digitized by Google

Nunc ad Baſilium veniamus, quem per ſummam aut impudentiam ſciens detorquet, aut inſcitiam non intelligit Caſaubonus. Cuius enim vel impudentiæ vel ſtuporis fuit, cum Baſilius eo ipſo loco cauendum doceat, vt ne ad aures quidem vox vlla, quæ id innuat, ab ijs, qui Chriſtum amant, admittatur; neque contra ſentientium argumentum modo diluat; ſed etiam traditione probet, virginem eam permanſiſſe; tamen affinem eum tantæ impietati facere velle? Affert is eo loco ſuſpicionem eorum, qui perperam intellectis ijs Euangeliſtæ verbis; *Et non cognouit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum*; effici exiſtimabant, Dei genitricem eſſe aliquando virginem deſiiſſe: Ac reſpõdet primum etiam ſi ita eſſet, vt illi impiè ſuſpicati ſunt; non fore tamen, vt eam ob rem aut magnitudini miraculi, aut prolis ipſius ſanctitati, maieſtatique quidquam officeretur. Nam matris quidem integritatem tandiu neceſſariam fuiſſe, dum foetus ederetur in lucem. quæ deinde conſequuta ſunt, vt nihil habent cum prole, eiusque generatione commune; ita ne ad myſterium quidem ipſum pertinere. Tum reſponſionem alteram ſubijcit, neque ijs Euangelij verbis euinci, quod nonnulli ſuſpicabantur, & traditione ſatis conſtare Beatiſsimam Domini matrem ad extremum virginem permanſiſse Ἡμεῖς, inquit, *εἰ καὶ μηδὲν τῷ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεται λόγῳ (μέχρι γὰρ τῆς κατὰ τὴν οἰκονομίαν ὑπηρεσίας ἀναγκαία ἡ παρθενία: τὸ δ' ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου καταλείψωμεν) ὅμως διὰ τὸ μὴ καταδέχεσθαι τῶν φιλοχρίστων τὴν ἀκοήν, ὅτι ποτε ἐπαύσατο εἶναι παρθένος ἡ θεοτόκος, ἐκείνας ἡγούμεθα τὰς μαρτυρίας αὐτάρκεις.*

Quæ Ianus Cornerius, cuius, quia proteſtans fuit, eruditionem in omni ſermone celebrat Caſaubonus, ita vertit. *Nos, etiam ſi hoc nihil pietatis rationem vitiet, nam vſque ad diſpenſationis myſterium neceſſaria erat virginitas, quod vero deinceps conſequutum eſt, nullam curioſitatem rationi myſterij exhibet: tamen, vt ne eorum, qui Chriſtum amant, aures ſuſcipiant, quod Deipara aliquando virgo eſſe deſiit; illa teſtimonia ſufficientia eſſe putamus.* Nec diſſentit Antuerpienſis apud Philippum Notium editio. *Nos, licet hoc nihil doctrina pietatis officiat (nam donec diſpenſabatur Chriſti generatio, neceſſaria erat virginitas: quid vero poſtea ſit factum ad myſterij huius doctrinam non anxie coniungendum eſt) veruntamen, ne hoc eorum, qui Chriſtum amant, ferre cogantur aures, quod genitrix Dei aliquando deſierit eſſe virgo, has rationes ſufficere putamus.* Quid hæc habent commune cum Caſaubonianis ineptijs? aut qui venire ſano cuiquam in mentem poteſt, id ſibi eo loco velle Baſilium, quod ſomniauit Caſaubonus? cuius in reddendis latinè verbis viri ſanctiſsimi, Caluinianam fidem, quamuis alius mihi ſit ad agendum ea de re locus; non poſſum hic etiam non execrari. Nam ſi ſenten-

ſententiam ſequutus, in verbis ipſis hærere anxie noluit, præſertim quod minus commode exprimi latine poſſunt; ita vertere debuit, vt Cornerius, ac cæteri. Si ita vertere voluit, vt quantum lingua Latina patitur, ſingulis Græcis Latina ſingula reſponderent; ita reddenda fuerunt. *Quod deinde ſequutum eſt, ſine curioſa inquiſitione rationi myſterij relinquamus.* Sed Caſaubonus, vt peſsimum nobis repræſentaret interpretandi genus, neque ſententiam, neque verba retinuit, impoſtura modo contentus qua fucum multitudini faceret. Hæc obiter de eo Baſilij loco perperam expoſito. nunc ad I. Exercitationis cap. XXIV. redeamus.

Quibus adducti rationibus docuerint ſcriptores non pauci, Beatiſs. Virginem ante etiam, quam Ioſepho deſponderetur, virginitatis votum emiſiſſe, ſic exponit: *Ne videretur Maria ijs inferior, quæ virginitatem propoſito colunt; exiſtimarunt intereſſe gloriæ ipſius, vt dicerent, illam γάμον ἄγαμον contraxiſſe. Auxit eam opinionem ſententia Scholaſticorum docentium, bonum quod ſit ex voto, laudabilius eſſe, & magis meritorium, quam quod ſit ſine voto.*

Nihil minus. non ita erant hebetes vel Patres, vel Scholaſtici, auctores eius ſententiæ, vt id ijs rationibus effici exiſtimarent, quæ emiſſum ab ea virginitatis votum ſatis probant: quo tempore emiſſum ſit, probare nulla ratione poſſunt. Quid enim? Si poſt contractas cum Ioſepho nuptias eo ſe voto obſtrinxiſſet; ideone propoſito virginitatem non coluiſſet? Aut ſi laudabilius eſt bonum, quod ſit ex voto: eam ob rem liberorum procreatione laudabilior non fuit ea virginitas, quam Virgo iam nupta vouiſſet? Deliramenta iſta ſunt Grammatici male feriati, non argumenta grauium Theologorum. Huius notæ illud etiam eſt; *Et Nyſſenus, & Auguſtinus vrgent Deiparæ reſponſionem; Virum non cognoſco: quod argumentum mihi quidem non videtur adeo contemnendum.* Mihi vero etiam certiſsimam fidem videtur facere voti à B. Virgine emiſsi: ad docendum vero; quo tempore votum B. Virgo nuncuparit, niſi quid aliud addas, inane prorſus, ac futile: cum ea reſponſione vti potuerit, ſi vel non plus vna hora ante votum id emiſiſſe, quam ſermonem haberet cum Angelo. Neque vero ita inſaniebant duo illa Eccleſiæ lumina, vt quia tunc temporis virum noſſe non poterat; ne ante quidem, quam Ioſepho nuberet, liberum id ei fuiſſe concluderent. Suam igitur ſibi dialecticam, aut ſi mauult, cum Symmiſtris ſuis ſeorſim Caſaubonus habeat: Patres ea ſcilicet vtentur, quæ cordatos, ac doctos homines decet. Atque Nyſſenus quidem, cum ex veteri hiſtoria demonſtraſſet, prius ſacerdotes, dum B. Virgo etiam tum verſaretur in templo, cum comperiſſent dicatam: ab ea Deo virginitatem ſuam, *deliberantes in hanc ſententiam conueniſſe; vt ea connubij nomine cuipiam deſponderetur: qui tamen ad cuſtodiam eius duntaxat eſſet idoneus:* Eius deinde ea verba perpendens; *Quomodo fiet iſtud, quoniam vi-*

rum non cognoſco? Nonnullam exiſtimat fidem ijs verbis huic hiſtoriæ conciliari, quod probabile non videatur puellam, quæ ſe voto virginitatis obſtrinxiſſet, viro eius rei neſcio, velut ad procreandos liberos eſſe deſponſatam: Sed aliud eſt, eam ſi virginitatem ſuam Deo iam ante dicauerat, hac lege Ioſepho traditam, ne eam cognoſceret: aliud aſſerere, votum iam ante ab ea nuncupatum. *Angelus*, inquit, *partum nunciat: at illa virginitati inhaeret; & integritatem angelicæ demonſtrationi anteponendam indicat. Nec Angelo fidem non habet; nec à propoſito recedit ſuo. Interdixi inquit, mihi conſuetudine viri: quomodo erit iſtud, quoniam virum non cognoſco? Hæc Mariæ vox declarat ea, quæ ex hiſtoria incerti auctoris commemoraui non eſſe penitus abſurda. Si enim liberorum cauſa ducta fuiſſet à Ioſepho; quomodo parituram ſe Angelo prænuncianti, ſe rem nouam & alienam audire præ ſe tuliſſet? cum ipſa quoque ſe obſtrinxiſſet, vt aliquando mater eſſet;* Vbi ex ijs verbis alterum pro indubitato colligit; integrum iam amplius B. Virgini non fuiſſe, quo tempore cum Angelo ſermonem habuit, operam coniugio dare; alterum probabiliter putat effici, eam incerti auctoris narrationem à vero non abhorrere.

Iam in eo, ſine controuerſia, præuaricatur Caſaubonus, quod poteſtantum, in primiſque Lutheri, quem auctorem ſuum Britanniæ Rex appellat, patrocinium profeſſus, omnem eorum de Chriſtiana libertate, deque votis monaſticis diſciplinam conuellit: cum diſputans de voto virginitatis, quo ſe Deo B. Domini mater obſtrinxit, aperte fateatur, *vere, ac pie dici, ſanctiſſimam Virginem gratia quadam ſingulari à Deo ornatam, eius, quam Patres vocant ὑψηλὴν πολιτείαν ſublime propoſitum iamiam inſtante tempore gratiæ, poſt venturis hominib. exemplum præbuiſſe.* Nam ſi ſingulari Dei gratia, ac peculiari numinis inſtinctu votum virginitatis concepit; humanum inuentum non magis hoc dici poteſt, quam aut ſacræ literæ humanum verbum ſint, aut quicquid per homines operatur Deus, ad eos tanquam auctores referri poſsit. Si autem id etiam ſpectabat, cum eam ad virginitatem voto conſecrandã Spiritus Magiſter impelleret, vt exemplo poſteritati eſſet; dum imitandam eam propoſuit, continentiæ votum ipſe ſuaſit. Iam ſi voti nulla neque vis, neque religio eſt, ac perinde eſt voto, an ſimplici animi inductione virginitatẽ colas; quid opus fuit ad eam rem plane futilem, & inanem impulſore Spiritu ſancto? Aut quorſum ad eam rem, quæ ſolo nomine conſtaret, quaque nullo modo teneretur, qui vouiſſet, mortales exemplo, Virginis prouocaret Deus? Quod ſi non inanis eſt, atq; ad auctorem Deum refertur voti religio, vt teneri ſe Deo merito credat quiſquis ei voto fidem ſuam obſtrinxerit: ſi caſtimoniam non ſolum verbo, atque exemplo ſuo ſuaſit Dei filius, ſed ad eam religioſius etiam voto colendam inuitauit exemplo matris; impie profecto diſputant, qui quod legis iugo Chriſtus nos liberauerit, præter inanem

Digitized by Google

anem ſuperſtitionem, qua ipſi ſe mortales irretiant, in voto nihil agnoſcũt; quiq; ab ijs, qui caſtimoniã vouẽt, *immolari corpora ſua* dictitant, *idolo Moloch*.

Sed Caſaubonus vel ne videretur in re tanta Catholicis cauſam adiudicare, vel quod qua erat tarditate, non ſatis diſtingueret quæſtiones, & ſi verè ac pie dici fatetur virginitatis votum à B. Virgine emiſſum: *de voto tamen*, inquit, *virginitatis ante nuptias à Maria facto, temere veteribus, qui iſta prodiderunt, nõ auſim equidem aſſentiri*. At nobis cum proteſtantibus de voto ipſo controuerſia eſt; quod quocunque demum tempore ſit emiſſum; ad eos aperte reuincendos eandem plane vim habet. Iam quod negat veteribus temere aſſentiri ſe audere, *quod paucorũ tantum ea coniectura fuerit, multo poſt nata*: ignoſco homini Grammatico, qui cũ Theologiã è crumena Britanni Regis hauſerit, ne conſentientibus quidem omnibus, fidẽ habiturus ſit, ſi Domino ſecus videatur. Cæterum cum ſententiæ eius auctores Nyſſenum & Auguſtinum faciat, adeone exiguum ac plane nullum eſt eorum pondus auctoritatis, vt ſi Caſaubonus, hoc eſt triobolaris Grammaticus ſine vlla ratione ijs aſſentiatur, temere feciſſe cuiquam videri poſsit? Aut cum hiſtoriam teſtẽ eius rei Nyſſenus citet, qui potuit, niſi Caſauboniana, planeque peſsima fide, dicere paucorum tantum eam coniecturam eſſe multo poſt natam?

Sed niſi tantos viros contemneret, planeque proculcaret, parum ſibi appoſitè Caluinianum egiſſe in ſcena viſus eſſet. nimirum, vt erant exiguo iudicio, neque admodũ eruditi, inconſulto neſcio quo in laudes B. Virg. ardore animi longius progreſsi, id illi tribuunt, quod nulla ratione poſsit cum Chriſti doctrina conſentire, *Honorare*, inquit, *illi Virginem voluerunt: ſed poteſt ne maior honor illi tribui, quam ſi vita ipſius demonſtretur, cum doctrina filij, penitus conſenſiſſe*? Sunt iſta, Caſaubone. Sed quorſum ſpectat oratio tua? Parumne conſentire cum Chriſti diſciplina putas ea, quæ Nyſſenus, & Auguſtinus de voto B. Virginis prodiderunt? Parum omnino. Quid ita vero? Quia *non conſentit*, inquit, *cum doctrina Chriſti, vt qua vouerit virginitatem, viro nubat, qui voti non ſit conſcius, & approbator*, 1. Cor. 7. 4. & 5. Si quid igitur concludit ita ratiocinatur: *Alienum eſt à Chriſti diſciplina, vt qua virginitatem vouerit, nuptias contrahat cum eo, qui voti non ſit conſcius, & approbator: volunt autem veteres illi inſcio rei totius Ioſepho Virginem eſſe deſponſatam: volunt igitur rem ab ea admiſſam cum Chriſti diſciplina minime conſentientem.* Sed his Sophiſtarum in ratiocinando legibus coquina Britannica non tenetur: aliud quiddam colligit, quo ſeque, & cauſam ſuam iugulet. *Quare*, inquit, *Maria cum Ioſepho nupſit, vel voto adſtricta non erat, vel Ioſephum habuit conſentientem.* Quid ſi autem Ioſephus voti conſcius fuit, & approbator? Eſt ne quicquam, quod in eorum ſententia reprehendas, qui votum ante nuncupatum ab ea dicunt, quam nuberet? Nihil opinor. Quid igitur eſt, quod tibi in Nyſſeni oratione

diſpliceat

diſpliceat;cum is ex veteri hiſtoria totidem pene verbis doceat, quod impium videretur corpus Deo dicatum violaturo cuiquam tradi, delectum à ſacerdotibus Ioſephum,qui cuſtos integritatis eius eſſet potius, quam maritus?

Porro Caſaubonus vt nihilo ſe magis in ſcriptoribus, quam in dialecticis verſatum oſtenderet,poſtquã dixit B.Mariam cum Ioſepho nupſit, vel voto adſtrictam non fuiſſe,vel Ioſephum habuiſſe conſentientem. *Quæ etiã*, inquit,*ſubtiliſſimi Thomæ fuit ſententia.* Quo autem loco, aut quibus verbis hoc ille docuit? 3.quidem p. q.28.a.4. in corp.negat eam *abſolute virginitatem vouiſſe antequam deſponſaretur Ioſeph. Sed licet eam in deſiderio habuerit;ſuper hoc tamen voluntatem ſuam diuino commiſiſſe arbitrio. Poſtmodum vero,accepto ſponſo, ſecundum quod mores illius temporis exigebant,ſimul cum eo votum virginitatis emiſiſſe.* Vbi autem patefactum Ioſepho colendæ virginitatis votum, cum ei nuberet?quod ea ſimul cum illo emiſiſſe poſt cõtractas nuptias dicitur. Iam in reſponſione ad 1. apertius exponit id, quod inuolutius ſupra ſcripſerat, virginitatem ab ea non ante abſolute fuiſſe votam,quam nuptui traderetur. *Non ſimpliciter*,inquit,*virginitatem vouit Dei genitrix, ſed ſub conditione, ſi Deo placeret. Poſtquam autem ei innotuit hoc eſſe Deo acceptum,abſolute vouit,antequam ab Angelo annunciaretur.* Atque hinc etiam in reſponſione ad 3. ſoluit dubitationem,quæ ex eo ducitur.*quod cum vouentibus caſtitatem, non ſolum nubere, ſed etiam velle nubere damnabile ſit:Beata autem Virgo Ioſepho nupſerit, non videtur fuiſſe voto virginitatis obſtricta.* Nam id *intelligendum* ait de ijs, *quæ abſolute caſtitatem vouent;quod quidem mater Dei non fecit antequam Ioſepho deſponſaretur: ſed poſt deſponſationem*, inquit, *ex communi voluntate ſimul cum ſponſo ſuo votum virginitatis emiſit.* Quæ cum ita ſint,duo virginitatis vota ponit in B.Virgine S.Thomas;alterum ea conditione, ſi Deo cordi eſſet, idque nuncupatum ab ea eſſe putat ante quam nuberet;alterum poſtquam Ioſepho in matrimonium tradita,ad conſilium colendæ ſecum virginitatis eum induxit, cum de diuina voluntate iam certior,nulla adiecta conditione cum eo ſimul virginitatem vouit.Siue ergo votum iam ante emiſſum Ioſepho, cum ei deſponſaretur,detexerit:ſiue vt S.Thomas mauult,virginitatem ea conditione vouerit,ſi Deo id cordi foret,potuit cum Ioſepho nuptias nullo pietatis diſpendio inire. Nam ſi cum eo ſe voto iam ante obſtrinxiſſet : diuinitus monita eſt,vti ne eius coniugium refugeret, quem in ſuam ſententiam perductura,ac virginitatis cuſtodem habitura eſſet;ne ſic quidem in ijs nuptiis quicquam eſſet repræhenſione dignum. Nuptiis enim non aliam ob cauſam interdicitur ei,qui caſtimoniæ voto obſtrictus eſt,niſi quod vel violãdi voti periculo ſeſe obijcit;vel iniuriam facit coniugi, ſi debitum ei beneuolentiæ deneget,quod præſtare,ſalua voti religione,non poteſt.qui autem

certo

certo ſit fore vt conſentientem habeat in ſeruanda caſtimonia coniugem; neque iniuriam illi facit;& ſacrilegij periculo eſt immunis.

Neque vero coniugium eſſe non poteſt eorum, qui ea lege nuptias ineant, vt ipſo coniugij vſu, ac liberorum procreatione prorſus abſtineant: Conſtat enim coniugium traditione, atque acceptione mutua corporum, qua ius ita in alterius corpus alteri quæritur, vt neque cum alio eſſe, ſine coniugis iniuria, atq; adulterio mulier poſsit,& ad ſuſcipiẽdos liberos iure ſuo vti poſsit coniugis corpore. Sed prior illa poteſtas in corpus cõiugis ita ſeiungi à coniugio non poteſt, vt neque eſſe matrimonium, neque cogitari ſine illa poſsit, cum poteſtas vtendi corpore coniugis ad liberos ſuſcipiendos, quamuis matrimoniũ natura ſua comitetur, aut tolli caſu aliquo, ſepararique ab eo, aut impediri quidem certe non raro poſsit. quod in ijs apertiſsimum eſt, qui continentiam poſt coniugium cõmuni conſenſu vouent: quibus ita interdictum eſt vſu coniugij: vt tamen alter in alterius corpus poteſtatem retineat, vt neque illegitimi ſint filij, ſi quos deinde violata voti religione ſuſcipiant; neque ſi cum altero miſceantur, immunes adulterio ſint.

Ergo cum natura ipſa, ac forma coniugij poſita ſit in ea, quam lib. 1. de nupt.& concupiſc. cap. XI. *primam deſponſationis fidem* appellat Auguſtinus, qua ita, vt expoſitum eſt, ius coniugum alteri in alterius corpus quæritur: eaque non modo ab ipſo vſu coniugij ſeiungi; ſed etiam eſſe cum coniugalis conſuetudinis impedimento poſsit: potuit B. Virgo quamuis virginitatem ſuam vouiſſet Deo, (non vt Caſaubonus è lexico vocat γάμον ἄγαμον ſed veras ſine vlla reprehenſione nuptias cum Ioſepho contrahere, modo certo ſciuerit fore, vt eum in ſententiam colendæ ſecum virginitatis pertraheret; Cum neque voto coniugalis nexus, ſed conſuetudo tantum tolleretur: neque illi iniuria fieret, qui debitum repetiturus non eſſet. *Coniux enim*, inquit B. Auguſtinus lib. 1. de nupt.& cõcupiſc. cap. XI. Ioſeph B. Virginis) *vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manſerat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnis commixtio.*

Caſauboni de ſacris literis Theologia.

Capvt VIII.

Divinarvm maieſtas literarum, cuius in primis patrocinium defectioni ſuæ prætexunt ſectarij, quam iis cordi ſit; cum multa alia, tum ea, quæ de iis recens hic ex aula Britannica Theologus diſputat, ſatis in-

Digitized by Google

dicant. Notat exercit. XIII. cap. I. cum de Sanctorum Euangeliſtarum conſenſu ſermo eſt; *diſtinguendũ eſſe diligentiſſime inter conſenſum in re, & conſenſum in circũſtantiis. In re conſentire ſemper Euangeliſtas; in circumſtantiis non ſemper.* Nec miror equidem ita Caluiniano, eique Grammatico viſum Scio quam vel confidens, ac præceps in iudicando ſit grammaticorum natio; vel ab omni religione abhorreant ij, qui niſi malorum auctorem, ac miſerorum carnificem, Deum nullum agnoſcunt. Certe non ita multo ante perlatum eſt ad nos, non defuiſſe ſummæ fortunæ virum in Britannia, qui inter pocula teſtaretur, ſe nihilo plus ſacris voluminibus tribuere, quam quantum diſputationis, ac fallendi temporis ratio poſtularet. Nec ignoramus ſuperiore ſæculo idem alteri cuidam Grammatico placuiſſe, quod nunc Caſaubono, cũ ſatis eſſe diceret ſi moderatorem Spiritum ſanctum ad res modo grauiores literis conſignandas canonicis ſcriptoribus adderemus: cętera humanæ eorũ diligentiæ fideique permitteremus. Sed eam impietatem ante prope; quam exiſteret, exploſit genus humanum: quod, vt ad B. Hieronymum ep. 8. ſcribit Auguſtinus, *exitioſiſſime credatur aliquod in libris ſacris eſſe mendacium*: quod ſi ſemel falſa in diuinis literis veris admixta eſſe conceſſeris; omnem eorum auctoritatem, ac fidem labare neceſſe ſit; cùm certò ſciri nunquam poſsit, quid à priuato ſcriptoris Spiritu, quid à Deo auctore deſcenderit. ac iure dubitari poſsit, ſitne omnino quicquam in toto volumine, quod Spiritus Dei dictauerit. Neque minus verum eſt, quod eo loco ſubiicit Auguſtinus: ſiue errore ſiue conſilio ſcriptoris quicquam in ſcripturis falſum eſſe conceſſeris. *Admiſſo ſemel in tantum auctoritatis faſtigium aliquo mendacio, nullam illorum librorum particulam remanſuram; quæ, non vtcunque videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eademque pernicioſiſſima regula ad mentientis auctoris* ſi minus *conſilium* at errorem atque imprudentiam *referatur*. Si enim re vera diſſentiunt Euangeliſtæ: falſa ab eorum aliquo narrari neceſſe eſt: qui ſi deſertus à Spiritu, falli potuit in ea narratione; quidni idem in cæteris euenire potuerit: vt humano ſenſu in ſcribendo Euangelio duceretur? Si ne tum quidem, cũ falſa ſcriberet, niſi impellente Dei Spiritu, loquutus eſt: quid eſt, quod affirmanti Deo credi amplius poſsit, qui per præcones ſuos ſciens, volenſque nos fallat? Sed quid mirum, ſi mendax apud eos Deus eſſe poſsit, apud quos malorum omnium humano generi inuentor, atque auctor eſt?

Id vero, inquit Caſaubonus, *ſummam rei adeo non lædit, vt fidẽ etiam maiorem vniuerſæ narrationi conciliet, vt ait Chryſoſtomus.* Qui poteſt Euangeliſtarum vera diſſenſio ſummam rei non lædere? cum, quod modo dicebam, alterum concedi neceſſe ſit; vt aut mentiatur Deus, aut ſuo, non diuino Spiritu afflati ſcripſerint Euãgeliſtæ. quorum vt neutrum Caluinianis diſpliceat; Chry-

ſoſtomo

ſoſtomo tamen placere nulla ratione poteſt: quem aut perperam intellexit, aut in alienam plane ſententiam de induſtria traxit Caſaubonus. Neque enim ille inſigni adeo doctrina ac pietate vir, conceſsit vnquã vlla in re Euangeliſtas re vera diſſentire: ſed eam ipſam, quæ in eorum ſcriptis videtur, eſſe diſſenſionem, integerrimæ eorum in ſcribendo fidei argumento eſſe docuit. Cum enim ita ſcripſerint, vt nonnunquam in adiunctis hiſtoriæ diſcrepare videantur; ſatis ex eo conſtat nullo humano conſilio, aut conſpiratione factum, vt tam exquiſite in ſumma hiſtoriæ conuenirent. Cum vero & in ipſa hiſtoriæ ſumma, ſine controuerſia, mira ſit eorum conſenſio; & in adiunctis ita diſcrepare videantur, vt tamen cõciliari poſsint; id vero apertiſsimum eſt, Spiritus ſancti, qui eorũ mentem ac ſtylum rexit indiciũ. *Omnia*, inquit, (vtar enim ipſa Caſauboni verſione) *cũ loquãtur velut ab vno ore veritatis id maximum eſt argumentum. Obijcitur contrarium huius euenire, quoniam: arguantur Euangeliſtæ inuicem diſſentire. quin potius veritatis iſtud maximum eſt indicium: nam ſi per omnia conſentirent exacta diligentia, etiam in tempore, etiam in loco, etiam in verbis ipſis, nemo hoſtium Chriſti fuiſſet, quin crederet conueniſſe vna Euangeliſtas, & humana quadam conſpiratione ſcripſiſſe, quæ ſcripſerunt. Nunc etiam illa, QVAE VIDETVR ESSE inter illos diſſenſio in paruis, ab omni illos liberat ſuſpicione.* Ergo Chryſoſtomus cum omnia Euangeliſtas, velut vno ore loquutos docet, nihil in illis re vera diſcrepans agnoſcit: & diſſenſionem eã quam hoſtes obiiciunt; videri quidem illam, ſed nullã re vera eſſe cõtendit.

Sed Caſaubonus Philoſophus etiam videri vult, ac blaſphemiam ſuam *confirmari poſſe* ait, *ratione haud leui, quam ſuggerit obſeruatio Ariſtotelis Metaph. primo minore.* Quanto hæc conſultius omiſiſſet, ne inſcitiam ſuam hic quoque proderet! Nihil enim minus, quam quod Caſaubonus ſomniat, eo loco tradit Ariſtoteles. Pergit. *nimis exactam diligentiam neque probari omnibus, neque ſuſpicione carere. διὰ τὴν μικρολογίαν propter minutias, quas nihil morantur liberalia ingenia.* Caſauboni videlicet alicuius, aut alterius cuiuſpiam è vulgo grammatici, qui ſupra linguarum notitiam, aut prophanam hiſtoriam nihil admodũ docti, quæ in grauioribus diſciplinis aut ſubtilius diſputantur, aut concluduntur acutius, cũ aſſequi non poſſint, ne culpa ingenij nõ ſatis capere videantur, velut minuta nimis, atque futilia aſpernantur. Reprehẽdit eo loco Philoſophus eos, qui dialecticis non ſatis eruditi, ad grauiorum diſciplinarũ ſtudia ſe conferũt: quo fit, vt nõ reſpiciant quod genus probationis rei, de qua eſt diſputatio, natura poſtulet: ſed vno ordine omnia ad earum rerum normam exigant, quibus aſſueuerint. Ita nonnulli in omni diſputatione Mathematicas adhibent rationes, alij exemplis omnia confici, explicarique volunt, quidam poëtarum vbique teſtimonia deſiderant καὶ οἱ μὲν πάντα ἀκριβῶς, τοὺς δὲ λυπεῖ τὸ ἀκριβές: ἢ διὰ τὸ μὴ δύνασθαι

συνερεῖν, ἢ διὰ τὴν μικρολογίαν. ἔχει γάρ τι τὸ ἀκριβὲς τοιοῦτον. ὥστε καθάπερ ἐπὶ τῶν συμβολαίων, καὶ ἐπὶ τῶν λόγων ἀνελεύθερον εἶναι τισὶ δοκεῖ, *& quidam certa omnia volunt:* (vtar enim Beſſarionis ſummi viri verſione, ne ad rē meam accommodaſſe vertendo videar). *quoſdam vero tædet certitudinis, aut propterea, quod non poſſunt ſequi, aut propter curioſitatem: Habet enim certitudo tale aliquid; quare vt in contractibus, ita & in orationibus illiberale eſſe quibuſdam apparet.* Hæc eo loco Philoſophus, qui etiam ſubijcit eam obrem addiſcendum eſſe, quo in vna quaque diſciplina vtendum ſit demonſtrationis genere, quod Mathematica certitudo et in ijs, quæ materia carent, merito requiratur, ne in Phyſicis, cum in ijs inueniri non poſsit, quærenda ſit: πεπαιδευμένου μὲν γάρ ἐστι hac ipſa de re diſputans, inquit idem, 1. Ethic. cap. 3. ἐπὶ τοσοῦτον τ' ἀκριβὲς ἐπιζητεῖν καθ' ἕκαστον γένος, ἐφ' ὅσον ἡ τοῦ πράγματος φύσις ἐνδέχεται. παραπλήσιον γὰρ φαίνεται μαθηματικοῦ τε πιθανολογοῦντος ἀποδέχεσθαι, καὶ ῥητορικὸν ἀπόδειξιν ἀπαιτεῖν. *Periti enim eſt certitudinem in vnoquoque genere tantam requirere, quantam argumenti natura patitur. perinde enim conſtat eſſe; mathematicum rationibus ad perſuadendum appoſitis probabiliter diſputantem admittere, ac demonſtrationes ab rhetore poſtulare.* Ergo neque exquiſitam diſputandi diligentiam veluti minutam, ac putidam eo loco abſolute reiicit Ariſtoteles quamuis propter affinitatem minus exercitatis quibuſdam ita videatur, neque ſuſpectam eſſe ſapienti cuiquam docet: quam ijs moleſtam eſſe ait, qui vel quod deſtituuntur ingenio, damnant quod non aſſequuntur; vel non intelligunt quid inter exquiſitam rerum ſcientiam, & ea quæ in actione quotidiana, vſuque ſunt poſita, diſcriminis ſit: in quibus eſſe ſe diſputatione hac ſua Caſaubonus ſatis oſtendit.

Exercitationis eiuſdem cap. XVIII. *Inter Latinam verſionem,* inquit, *omneſque alias, & Hebraicum V.T. Græcum N.T. textum hoc diſcriminis, opinor ſtatuendum eſt; quod in his. & res, & verba immediate à Spiritu ſancto ſunt profecta, qui prophetis, & Apoſtolis, atque Euangeliſtis, & quæ ſcriberent; & quo modo ſcriberent, ſuggerebat: In verſionibus fidelibus doctrina eſt à Spiritu ſancto, verba ab hominibus: qui & ſi Spiritus ſancti auxilio vſi; non tamen eodem pacto, neque eadem menſura cum Prophetis, & Apoſtolis.*

Vellem apertius ediſſeruiſſet Caſaubonus quo diſcrimine ſcriptores canonicos, ac fideles eorum interpretes vſos putet auxilio Dei. quanquā hoc illi quidē familiare eſt, vt cum ducto à pari argumēto vrgeri ſe ſenſerit, neget parem eſſe rationem, quid ſit diſcriminis non doceat. Docuerat in fidelibus ſacrorum voluminum verſionibus doctrinam à Deo eſſe, verba non item: ac ne quis obiiceret verba etiā à S.S. eſſe ſi fidus interpres fuerit; quod ſine Dei auxilio id præſtari nequaquam poſsit. Neq; vero aliam ob cauſam verba etiā ipſa canonicis ſcriptoribus à Deo dictata credi, niſi quod Spiritus

ſancti.

Sãncti auxilio,dum ſcriberent vſi ſunt: ita occurrit;vt & ſi Spiritus ſancti auxilio vſos eos concedit; negat tamen eodem pacto,atque eadem menſura cum Apoſtolis & Euangeliſtis Spiritus vſos auxilio. Qua ratione ſi licet agere,nulla erit tam inuicta à pari argumentatio,quæ nullo negotio nõ diſſoluatur. Quanquam ne ſic quidem nodus ille ſatis apte ſolutus eſt. Neque enim neceſſe eſt Prophetas atque Apoſtolos omnes eodem pacto,atque eadem menſura Spiritum accepiſſe,cum ſcriberent;& tamen quia,Deo impellente,ſcripſerunt,& res,& verba ipſa à Deo deſcendiſſe creduntur.quidni igitur etiam ſi alio modo interpretes,atque alia menſura,quam Apoſtolos,& Euangeliſtas Spiritus ſanctus impleuerit; tamen & ſententiæ, & verba ipſa auctori Deo tribuantur?

Sed hoc in præſentia non vrgeo. illud quæro, cum tam diſerte fateatur in fidelibus verſionibus à Spiritu ſancto doctrinam eſſe, cum hoc eodem capite,*verſionem Latinam librorum ſacrorum eſſe diuinam ſcripturam agnoſcat;& de hoc vel dubitare, inexpiabile nefas cenſeat*; cur tandem Concilio Tridentino tantopere ſuccenſeat,quod ſtatuerit,vt ea verſio,quam longo tot ſæculorũ vſu in Eccleſia probatam,fidelem reperit,*in publicis lectionibus,diſputationibus, prædicationib.& expoſitionibus pro authentica habeatur: & vt nemo eam reijcere quouis prætextu audeat,vel præſumat*? Quid enim fecit aliud Concilium, niſi vt fidelem eam verſionem pronunciaret? de cuius doctrina eam ob rem dubitari nefas eſſet: qui non ita rexit manũ interpretis,vt ſuas ipſe reuelationes mandaret literis;ſed quæ ab alijs,Deo àfflante,ſunt ſcripta,ea & perciperet ipſe,& fideliter redderet? ſi enim fidelis verſionis doctrina à Spiritu ſancto eſt,quam mentiri non poteſt Spiritus ſanctus,tam vera eſt doctrina, quæ ea verſione continetur;neque poteſt,ſine ſacrilegio,doctrina illa reijci.quam à Spiritu ſancto traditam eſſe conſtiterit?*Nam in diſputationibus* quidem,*expoſitionibus,lectionib. prædicationibus* doctrina,ni fallor attenditur,verborum,niſi,ſi quid ad doctrinæ intelligentiam faciunt, haberi ratio nulla ſolet Et tamen non ita multo poſt eodem illo capite & *Baronio*, ait, *& alijs hodie multis,perturbato veræ Theologiæ,atque adeo ipſius naturæ ordine, authentica eſſe deſijſſe, quæ olim erant; facta eſſe,quæ olim non erant*. Quaſi aut Concilium Græcos,& Hebraicos fontes reiecerit,aut decreto ſuo fidelem eam verſionem reddiderit,quæ fidelis ante non eſſet;cum id modo egerit,vt quam fidelem verſionem diuturno tot ſæculorum vſu Eccleſia comperit, fidelem eſſe pronunciaret. fidelem porro ſacrorum voluminum verſionem reijci non oportere,ne Caſaubonus quidem ipſe negauerit. Apoſtolicæ vero,ac Propheticæ veritati neq; detraxit quicquam, neq; ; niſi impie, detrahere potuit: ſed quia vel hoſtium fraude,vel librariorum incuria corrumpi nõnunquam Hebræi, Græcique codices potuerunt,neque dubium eſt, quin

religioſius ſacrorum librorum fides in Eccleſia, quam apud infideles ſeruata ſit; multo æquius eſt, ſi quando ij in re aliqua magni momenti à Latina verſione diſſentiunt, Eccleſiæ Catholicæ, quæ, Paulo Apoſtolo teſte, *colūna veritatis eſt*, quam Chriſti hoſtibus cauſam adiudicari. Quam tamen ipſam verſionem, ſi quando iuſta eſt aliqua mendæ ſuſpicio, ad Hebræos, Græcosque libros inter ſe conſentientes exigimus. Inanis igitur eſt, ac plena calumniæ exercit. II. cap. XIX. querela Caſauboni. *Inter noua Theologis paradoxa iſtud etiam eſſe, quod Hebraica veritas ius ſuū & auctoritatē dudum amiſit; vt multi iam ne meminiſſe quidem illius putent eſſe tanti: poſtquam Tridenti facta ſunt authentica Græca, & Latina verſiones: quo nihil magis portentoſum ætas noſtra vidit*: nam neq; quidquam Hebraicæ veritati eo decreto deceſsit; neq;, niſi vetus, Latina editio authentica habita eſt. Sed Caſaubonus, Græca etiam verſione addita, veterem ſectariorum calumniam mendacio ſuo reddidit illuſtriorem.

Ad verba porro quod attinet, ſi fideliter adeo ſententiam interpres expreſſerit, vt exæquet; neque plus quidquam, minusue Hebræis, Græcisque vocibus per ſcriptorem canonicū ſignificare voluerit Spiritus ſanctus, quam verſionis verbis ſignificetur; equidem non video quid impediat, quominus ad Spiritum ſanctum ipſa etiam verba interpretis referantur. Alioqui neque Deum, neque Patrem, filium, ac Spiritum ſanctum, neq; creationem, aut lucem, aut tenebras, aut hominem, aut animal, aut paradiſum, aut ſacerdotes, aut tabernaculum, aut victimas in veteri, ac ne in nouo quidem teſtamento, niſi ſi B. Marcus Latinè ſcripſit, vſpiam inueniemus. Quemadmodum autem cum quærimus an hæc verba in diuinis literis legantur, non quærimus an Latinæ voces in Hebræis, Græcisq; codicibus legantur; (quis enim ita inſaniat, vt hoc in controuerſiam reuocet?) Sed illud potius, verbisne idem plane ſignificantibus, vſi ſint ſcriptores canonici, cum Græcè vel Hebraice ſcriberent; ita ſi diceremus ipſa fide interpretis verba à Deo deſcendere, id ſignificaremus; ita Hebraici, Græcique ſermonis vim omnem expreſsiſſe Latina loquutione, vt idem prorſus, atq; eadem ratione Latinæ eius voces ſignificent, quod Græcis, aut Hebraicis per canonicum ſcriptorem Spiritus ſanctus ſignificarat. Quare puerilis, planeq; ridicula eſt Caſauboni diſtinctio exercit. XIII. cap. XVIII. *Si quis roget an Spiritus ſanctus Arcturi, Orionis, ac Pleiadum meminerit? reſponſurum ſe verum id eſſe, ſiderum illorum exſtare in ſcripturis mentionem; at nominum ipſorum non meminiſſe.* Sed Caſaubonus non, niſi ex Diomede, ac Priſciano, de nominibus philoſophari aſſuetus, ſonos reſpexit, qui ſubiectæ, in vocibus materiæ inſtar ſunt, non ſignificationem, quæ formæ locum in ijs obtinet. Et philoſophicis tamen, ac dialecticis videri volebat eruditus; quæ

ſi

ſi vel leuiter attigiſſet; ſatis vidiſſet, opinor, voces, *cum ſint earum, quæ in animo ſunt paſſionum notæ*; ita ſignificatione conſtitui, vt ea modo vna retenta, variatis etiam ſonis, verba eadem cenſeantur. Ita cum Latinè citamus Ariſtotelem; ipſa tamen eius verba proferre nos dicimus; ita nemo eſt, qui non ipſa Domini verba vſurpare ſe dicat, cum *baptizat, In nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti,* quamuis Syriacè non loquatur.

Ergo vt ſubiectam vocibus ſententiam in fideli verſione à Spiritu ſancto eſſe non negat Caſaubonus, quod & ſi interpretem per ſe Deus ipſe non impleat; ſcriptorem tamen eum impleuit, cuius ille literas interpretatur; ita ſi fideliter verba canonici ſcriptoris verbis ſuis interpres expreſſerit, ipſa etiam verba à Deo dictata dicerentur: quia ſignificatio à Spiritu ſancto eſt, licet ſoni, quibus ea defertur, diuerſi ſint. Sed difficillimum eſt, ac fortaſſe fieri nulla ratione poteſt, vt ſemper omni ex parte canonici ſcriptoris verbis interpretis verba reſpondeant, vel quod ſuam quandam vim, ac proprietatem nonnunquam habent verba, loquutionesq; gentis vnius, quæ quod apud alios nulla eſt, reddi eorũ lingua non poteſt; vel quod quæ apud Hebræos ambigua ſæpe ſunt, ea apud Græcos, Latinosue ambiguitatem nullam habent: quo fit, vt ſemper æque certa, incertaue apud ſcriptorem ipſum, atque apud interpretem ſententia eſſe non poſſit; vel quod non eadem eſt apud omnes earundem Etymologia vocum, qua tamen in ſcripturarum expoſitione nonnunquam vtimur. Atque hinc eſt, quod quæ ex gentis vnius idiomate propriè petuntur, niſi ex ipſis ſcripturarum fontibus deriuentur, ad probationem, confirmationemq; dogmatũ vim nullam habent. Qua ratione merito negari poſſunt interpretum verba à Spiritu ſancto eſſe profecta, quod aut ſingula per ſe, aut etiã coniuncta ab ijs nonnihil ſignificatione differant, quibus per ſcriptorẽ canonicũ vſus eſt Deus. Quo in genere hoc Latinæ verſioni tribuimus, vt quæ in Hebræis, Græcisue codicibus ambigua linguarum illarum conſuetudo reddit; eorũ eam non dubitemus eſſe genuinã interpretationẽ, quam Latinus interpres, ſine ambiguitate reddiderit. quod idem Hebraicæ, Græcæq; veritati tanto æquius tribuendum eſt, ſi quando è Latina loquutione ambiguitas oriatur; quanto certius eſt canonici ſcriptoris, quam interpretis mentem, ſtylumque à Deo rectum, ac temperatum eſſe. Iam vero, ſi quando cum Græcus, aut Hebraicus ſermo plures ſenſus admittat, vnum modo Latinus expreſſerit; ita eum accipimus, vt, niſi alioqui alienos à veritate eſſe conſtet, cæteros non repudiemus: quod fieri potuerit, vt omnes Spiritus ſanctus ſignificare voluerit. At ſi Hebræi, Græciq; ſermonis vſus non niſi vnam interpretationem ferant, vtcunque Latina verſio in plures intelleu

ctu

ctus deduci poſsit; cum vnum genuinum agnoſcimus, qui è fontibus hauritur. Interpretis igitur verba, ſi exquiſitè, atque omni ex parte eandem cum Hebraicis, Græcisq; vocibus ſignificationem retineant, à Spiritu ſancto ſunt: ſi qua in re differant, eà ex parte à Spiritu ſancto non ſunt.

Sed Caſaubonus qui verba interpretis nulla ratione ad Spiritum ſanctũ referenda putat, quod alio idiomate dictata ſunt, exercit. XIV. cap. VIII. diſputans de loco è Matth. VI. ver. 7. προσευχόμενοι μὴ βαττολογήσηται, quod Latinus vertit; *Orantes nolite multum loqui. Dominum noſtrum*, inquit, *qui Syriace loquebatur, non eſſe vſum voce βαττολογεῖν ſcimus; ſed non dubitamus tantundem ipſum Syriacè dixiſſe quantum Gracè Spiritus ſanctus eo verbo expreſsit. Quod autem è duobus vitijs, quæ battologiæ ineſſe diximus, leuius hic ponatur à Spiritu ſancto priora verba illuſtrante, &c.* Quo ego loco, ſi de eo quæſiero Græcene, an Hebraicè ſcriptum à B. Matthæo Euangelium ſuum putet, nimirum hærere ei aquam neceſſe erit. Nam ſi Hebraicè dixerit, neque interpretis verba proficiſcuntur à Spiritu ſancto; non expreſsit Spiritus ſanctus Græce quod Syriace à Domino dictum, Hebraicè B. Matthæus reddidit. Græce autem ſcriptum Matthæi Euangelium, niſi exquiſite inſanire velit, qui poteſt dicere?

Sed paratum habet effugium, quo ſe recipiat. *Græcum ex Hebraico B. Matthæi textum ſancti Spiritus auſpicijs eſſe confectum. & conſtare Eccleſiam Dei hunc ipſum textum inter libros canonis ſacri relatum, pari cum cæteris libris veneratione eſſe proſequutum; quod neque in Syriaca verſione, quam tamen antiquiſsimam eſſe non dubitatur, neque in vlla alia reperitur factum.* Ita exercit XV. pag. 384. vbi etiam *verum textum Hebraicum*, inquit, *Thomas fortaſſe & alij Apoſtoli in Orientu regiones vlteriores detulerunt. Is certe, quem vidiſſe ait Hieronymus, cuiusque meminit Epiphanius, non fuit ille γνήσιος textus Hebraicus quem ſcripſerat Matthæus, ſed apographum quoddam illius miris modis corruptum.* Ex quo demum colligit *errorem eſſe periculoſiſsimum, ne dicat hæreſim obtentu Hebraici contextus, qui iam inde à principio reperiri deſijt in orbis noſtri notis Eccleſijs, Græci auctoritatem velle eleuare.*

Non quæro quo tandem auctore compererit, iam inde ab initio reperiri Hebraicum Matthæi Euangelium deſijſſe in orbis noſtri notis Eccleſijs, atq; ab ijs Apoſtolis, quibus eæ prouinciæ obtigerũt, ita in vlteriorē Oriētem delatum, vt nullum eius ne apud eos quidem, qui Ieroſolymis, atque in Iudæa ex circumciſione crediderant, exemplum relictum ſit præſertim cum in Romano Martyrologio die XXI. Septembris hæc legantur: Huius (S. Matthæi) Euangelium hebræo ſermone conſcriptum, ipſo reuelante, inuentum eſt, vna cum corpore B. Barnabæ Apoſtoli, tempore Zeno

ni

nis Imperatoris. Ago etiam gratias, quod *errorem periculoſiſsimum, ac tantum non hæreſim* eſſe contendat verſionem eam, quam veteris Eccleſiæ calculus approbarit, non modo reijcere, ſed *eius auctoritatem obtentu etiam Hebraicorũ fontium eleuare*. Conſtantiam modo hominis in re tanta deſidero. Si enim Spiritus ſancti librũ nõ de nouo dictantis, ſed interpretis ſtylum regentis, vt iam antè à B. Matthæo ſcripta fideliter Græce redderet, auſpicijs verſio illa confecta eſt; ſi Eccleſiæ approbatione verſio recipi in canonem potuit; ſi ad Hebraicam veritatem à probata Eccleſiæ verſione prouocare, ſacrilegio proximũ eſt; cur præfractè adeo negat interpretis verba à Spiritu ſancto proficiſci? Cur quod Græco Euangelij eius interpreti tribuit idem, ac minus etiam multo, Latino interpreti tribui nefas exiſtimat? cum etiam adſcitis in auctoritatem canonicam interpretibus, Hebraicis, Græcisq; fontibus ius ſuum adeptum queratur. Cur identidem declamat in Baronium, quod fidem ſeptuaginta interpretibus habeat? quorum editionem ipſa vſurpatione ab Apoſtolis probatam eſſe certo certius eſt. Sed hæc omnis de ſcripturarũ, ac verſionũ auctoritate theologia regula leſbia ſectarijs eſt, quã ad rem ſuam ac tempus accommodant. Nam quia in ijs verbis; *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; eam Petri, & Petræ diuerſitatẽ, quam præ ſe Græci, Latinique codices ferunt, Hebraicum B. Matthæi Euãgeliũ nõ ferebat. Græce vero πέτρος ac πέτρα idẽ planè ſignificare poſſunt: ex eoq; Catholici colligunt inanẽ eorũ obſeruationẽ eſſe, qui quod priore loco; Petrus; poſteriore; Petra; apud Græcũ, ac Latinũ interpretẽ habeatur; putant aliã, atq; aliam earũ vocũ ſignificationẽ apud Euangeliſtã eſſe. Quia igitur Hebraica veritas hanc eorũ obſeruationẽ euertit, furunt ſectarij, atq; eleuari *ab Hildebrandinorum ſacrorũ myſtis*, nõ ſine ſacrilegio Græcę verſionis auctoritatẽ criminantur. Vt etiã exercit. xv. pag. 396. defendat Caſaubonus nõ male à Caluino ſcriptum eſſe; *Non ſine cauſa Euangeliſtam orationẽ variaſſe; cumque dixiſſet; Tu es Petrus; ſecundo loco non dixiſſe; ſuper Petrum; ſed ſuper hanc petram; vt aliam Petram, quam Petrum ſignificaret.* quod, quaſi puerile, ac ridiculum ad eum locum Maldonatus exagitat, quod Matthæus nõ Græca, ſed Hebraica, aut Chaldaica, vel Syriaca lingua ſcripſerit; quibus linguis iſta generis differentia, quæ Græce & Latinè eſt, inter Petrum, & Petram, non reperitur. *Ac ſine cauſa,* inquit, *Caſaubonus Maldonatus Caluini obſeruationẽ veriſsimam, vt puerilem, ac ridiculam traducit. Non ignorabat vir doctiſsimus (quod vult iſte exiſtimari) Hebraicè ſcriptũ eſſe à Matthæo ſuum Euangeliũ: ſed qui perſuaſum haberet cum tota vetere Eccleſia, vt ante probauimus, Græcum textum a Spiritu ſancto eſſe profectum, diuerſitatem, quæ in Græco textu reperitur, Euangeliſtæ attribuere non dubitauit: Si peccauit in eo Caluinus imitatione veterum peccauit; Chryſoſtomi, Cyrilli, Auguſtini, & aliorum interpretum, qui nunquam nõ ſacris ipſis aucto-*

ribus attribuunt, quæ in verſionibus leguntur ſeptuaginta ſeniorum vel Latinis.

Ad Maldonatum quod attinet; illud in præſentia dixiſſe ſatis ſit; linguarũ ab eo nõ hiſtoriæ inſcitiã obijci Caluino, qui quod in Græco Matthæi Euangelio illam generũ differentiã deprehendiſſet, Hebraicæ linguæ ignoratione exiſtimarit eam ab Euangeliſta, non ab interprete profectam eſſe.

Quod ſcribit, *Caluinum, qui perſuaſum haberet Græcum textum à Spiritu ſancto eſſe profectum, diuerſitatem, quæ in Græco textu erat, Euangeliſtæ attribuere non dubitaſſe*; eo nimirũ ſpectat vt canonicorum omnium ſcriptorum, atque interpretum ſcripturæ omnes appellationes communes ſint, & Matthæus Euangelium Græce reddidiſſe; interpres Hebraicè ſcripſiſſe, & Ioannes nõ ſui magis, quam alieni Euangelij auctor dici vere poſsit, cum eidem omnes Spiritui in ſcribendo, vertendoque operam ſuam accommodarint. At hæc quidẽ recens quædam eſt, neque vnquam aliàs audita idiomatum communicatio, qua inſtrumentorum alteri, quod alterius eſt proprium, nullo diſcrimine tribuitur, dum eidem opifici vſui ſint. Sed neque Caluinum alia ratione defendi decuit, neq; quicquam aliud à iurulento, ac præpingui Theologo expectari.

At Chryſoſtomus, Cyrillus, & Auguſtinus, relliquique interpretes nunquam non ſacris ſcriptoribus attribuunt, quæ in verſionibus leguntur ſeptuaginta ſeniorum, & Latinis. Addidiſſet vero etiam, quamuis & diuerſitatem noſſent, neq; eam ex propria interpretis dialecto profectam dubitarent. Alioqui aliorum exemplo quid tandem effecturus eſt? cum id defendat recte à Caluino prudente, atque ſciente factum, quod ijs viris literarum Hebraicarum non peritiſsimis excidere per imprudentiã potuit. Interim accipimꝰ quod in præſentia dat; Latinam, ac Græcam verſionem optimis, ac florentiſsimis Eccleſiæ ſæculis ſummo ingenio, doctrina, ſanctitate viris Auguſtino, Chryſoſtomo; Cyrillo, reliquis interpretibus, Spiritu ſancto auctore exaratas, atque authenticas fuiſſe; vt eam ob rem non dubitarint ſacris ipſis ſcriptoribus tribuere quæ aliter in verſionibus, quam in fontibus legerẽtur. Sed quorſũ ea tandem ſpectant, quæ exercit. XIII. cap. 18. *Si quid in Latina interpretatione inueniatur à veritate Hebraica, vel Græca alienum, id diuinam ſcripturam eſſe dicendum nõ exiſtimare ſeſe* cur pueriles hallucinationes vocat, *ſi etymon verſionis in vocis alienius interpretatione ſecteris?* Cur excandeſcit in eos, qui cum diſertæ doceant Cepha Syriacam eſſe vocem, ac Petram ſignificare, animaduertunt tamen diuino conſilio factum, vt ad Græcam vocem κεφαλή proxime accederet; *atque ita vna eademque voce duabus linguis Petri primatus exprimeretur?* Cur non potuit à Baronio ad annum XXXI. num. XXVII. ſcribi: *eiuſmodi interpretandi modum à nonnullis, quorum eſt in Eccleſia memoria celebris, vſurpatum, dum Hebraicam vocem in Græcam tranſire fecerunt?* Cur deni-

nique

Digitized by Google

nique exercit. II. cap.XIX. *Contemni à Baronio veritatem Hebraicam*, *atque ea de cauſa anno Chriſti* I. *num.* LIX. *craſſum ab eo peccatum*, *& eo viro indignum comiſſum criminatur*? quod locum è Deuteron.cap. xxiij num. 18. Græcę editionis citauerit, qui *in Hebræorum codicibus totus*, inquit, *prætermiſſus eſt*? Quaſi non conceſsiſſet ipſe exercitationis ſecundæ 2. capite *permulta* eſſe *apud ſeptuaginta ſeniores*, *quæ in fonte non reperiuntur*, *quæque an pro diuinis oraculis ſint habendæ*, *magnam quæſtionem eſſe propter quorundam veterum Patrum ſententiam*, *qui exiſtimarunt*, *ſeniores illos*, *in eo negotio*, *non interpretationis ſeruitute*, *ſed Prophetiæ auctoritate eſſe verſatos*, vt loquitur Auguſtinus quæſt.ſuper Gen.lib.1. quorum ſententiam vſque adeo non repudiat Caſaubonus, vt cum neget locum eum eſſe *arduam illam quæſtionem pluribus tractandi*; pronunciet interim *ſi eiuſmodi vaticinia*, *quæ quidem occurrunt plurima in Græca verſione*, *pro diuinis oraculis ſunt habenda*; *non tamen veteribus illis Prophetis videri adſcribenda*, *quoties textus Hebraicus nihil eiuſmodi ipſos euincit cogitaſſe.* Ac *ſunto*, inquit, *ſi lubet prophetiæ eiuſmodi ſeptuaginta interpretum Spiritu Prophetico afflatorum*, *& Prophetas non interpretes agentium*, *veteribus quidem Prophetis*, *niſi cum exceptione tribui non videntur poſſe.*

At permittit potius ijs verbis Patribus vti Prophetas eos exiſtiment, quam ita eſſe concedit Caſaubonus: neque vero tam grande illud Baronij peccatum in eo reponit, quod ſeptuaginta interpretum auctoritati ipſe conceſſerit: Sed quod Galilæum Judam petito ex ea verſione teſtimonio vſum dixerit, quod nullum exſtaret in Hebraicis codicibus.

Mirarer, ſi quicquam Patribus, ac veteri Eccleſiæ homo Caluinianus concederet. Nam, Irenæo quidem teſte lib.iij. contra hæres.cap.XXV. *Apoſtoli conſonant ei interpretationi*, *& interpretatio conſonat Apoſtolorum traditioni: Et enim Petrus*, *& Ioannes*, *& Mattheus*, *& Paulus*, *& reliqui deinceps*, *& horum ſectatores*, *Prophetica omnia ita annunciauerunt*, *quemadmodum ſeniorum interpretatio continet. Vnus enim*, *& idem Spiritus Dei*, *qui in Prophetis quidem præconauit*, *quis*, *& qualis eſſet aduentus Domini*, *in ſenioribus autem interpretatus eſt*, *quæ bene Prophetata fuerant.* Neque diſſentit Hieronymus, qui, vnus ex omnibus, minus propenſus in ſeptuaginta interpretes viſus eſt. Præfationis quidem ad Domnionem, & Rogatianum in librum Paralipomenon ea clauſula eſt; *Vbi transverſa virgula præpoſita eſt*, *illic ſignatur quid ſeptuaginta interpretes addiderint vel ob decoris gratiam*, *vel ob Spiritus ſancti auctoritatem*, *licet in Hebræis voluminibus non legatur.* Qui in Præfatione etiam in quatuor Euangelia ad Damaſum de ſeptuaginta ſeniorum translatione; *ſit*, inquit, *illa vera interpretatio*, *quam Apoſtoli probauerunt.* Quapropter etiam in Præfatione in Paralipomenon ad Cromatium

 naſcentis

Digitized by Google

naſcentis Eccleſiæ fidem ea ſacrorum librorum editione, roboratam fatetur; ac tanti facit, vt libere dicat; *ſi eorum pura, & vt ab eis in Græcum verſa eſt, editio permaneret; fore, vt ſuperflue ſe* Cromatius *impelleret, vt Hebræa volumina Latino ſermone transferret.* Qui deniq; reprehenſus à Rufino, quod *in ſeptuaginta condemnationem ſcripturas ſanctas interpretatus eſſet*; adeo vehementer excanduit, ac longa diſputatione probauit falſo ſe eius criminis accuſari. Nam Iuſtinum, Euſebium, Clementem Alexandr. Epiphanium, Chryſoſtomũ, Cyrillũ, Tertullianum, Auguſtinũ, Hilariũ quid attinet recenſere? qui nõ tam ſua, quã totius Eccleſiæ ſenſu editionẽ eam ad auctorẽ Dei Spiritũ referunt. Cũ etiã Irenæus eo, quẽ citaui loco; *Vere impudoratos, & audaces oſtẽdi eos hæreticos confirmet, qui tunc vellent alias interpretationes facere, quando ex ipſis ſcripturis arguerentur à Catholicis, & in fidem aduentus filij Dei concluderẽtur. firma enim,* inquit. *eſt & nõ ficta. & ſola vera, quæ ſecundũ nos eſt fides, manifeſtã oſtenſionẽ habens ex ijs ſcripturis, quæ interpretatæ ſunt illo modo, quem prædiximus.* Demus igitur hoc Caluiniano Spiritui, vt Apoſtolorum, ac veteris totius Eccleſiæ Spiritui, quaſi iure, ſuo aduerſetur: & quicquid ipſa Eccleſiæ cunabula cum doctrina fidei de ſeptuaginta interpretum editione ab Apoſtolis hauſerint; eam tamen libere repudiare, & contemnere ei liceat.

Quod vero Iudam Galilæum negat eo teſtimonio vſurum fuiſſe Caſaubonus; quodq; *Putare Germanos Iudæos in Iudæa commorantes, verſione Græca vſos eſſe; nihil eſſe aliud,* ſcribit, *quam ſuam rerum Iudaicarum craſſam imperitiam palam facere*: id vero magnopere vereor, ne ineptiſsimæ leuitatis hominem arguat. Quid enim *ſi pleni ſunt libri Rabbinorum deteſtatione illius facti, et verſionis. quam vt infament, nihil non comminiſcuntur plerique illorum?* ideone efficiet Caſaubonus veteris etiam Synagogæ ſenſum eundem fuiſſe? Aut quia *in eo libello, quo ieiuniorum apud Iudæos ſolemnium ratio explicatur, in menſe Thebeth ieiunium adnotatur ex ea cauſa. quod diebus Ptolemæi Regis lex Moſis ſit Græce ſcripta; atque illud inſuper adijcitur ſpacio trium dierum tenebras tunc fuiſſe ſuper vniuerſum orbem.* eam ob rem quemquam futurum exiſtimat, qui veteribus etiam Iudæis, quorum ætate Iudas Galilæus extitit, ea Rabbinorũ & Thalmudicorum deliria tribuat? Aliquot illi poſt Chriſtum exorti ſæculis, dum Chriſtianæ religionis odio peruertunt omnia; non à vetere tantum illa necdum impia ſynagoga, ſed à maioribus etiam ſuis ita degenerarunt, vt Caſaubonus ipſe exercit. I. cap. II. pag. 4. ſcripſerit; *Rabbinis in hiſtoria etiam ſacra. (Nam in omni alia talpis vt plurimũ cæciores eos eſſe) quam parum fidei ſit tribuendũ, ignorare eruditorum neminem.* Et exercit. x v i. cap. v i i i. pag. 455. *Rabbinis, vbi de lingua Hebraica agitur, vel Thalmudico aliquo inſtituto, merito à Chriſtianis tribui non parum: vbi vero à verbis venitur ad res, aut ad hiſtoriam, vel rerũ antiquarũ*

veteris.

veteris populi explicationem,niſi falli & decipi volumus,nihil admodum eſſe illis fidei habendum. Et hos ille tam locupletes,tamque omni exceptione maiores teſtes adhibet,vt perſuadeat Chriſti ſaluatoris ætate nullo in pretio apud Hebræos ea volumina fuiſſe,quæ ex Eleazari Pontificis ad Ptolemæum literis ſatis conſtat,publica ſynagogæ auctoritate conſcripta eſſe. Auctor eſt enim Ioſephus lib.xII. antiq. cap.II. hæc inter alia à Pontifice ſcripta ad Ptolemæum eſſe; *Recitatis in concione Regis literis populum vota feciſſe;vt ea legis verſio tam fœlix Regi eſſet quam cuperet maxime: delectos 72. ſenos per tribus,qui ad eum cũ lege mitterentur*. Ex ea porro Ioſephi narratione,qui rem totam vt genti ſuæ fauſtam, atque honorificam memorat; compertum eſt integro fere poſt Chriſtum natum ſæculo nondum inuiſam Iudæis eam verſionem fuiſſe. Quam ijs odioſam deinde reddidit,vel quod vſurpari eam ab Eccleſia viderent;vel quod teſtimonia nonnunquã apertiora de Chriſto ex ea depromi moleſte ferrent,quam in Hebræis codicibus legerentur. Iudæos quidem ſi quando petitis ex ea verſione teſtimonijs vrgerentur,ad Hebraicos fontes prouocare ſolitos,vel id,quod Hieronymus lib. ij.aduers. Rufin. ex Præfatione ſua in Pſalterium ſcribit,argumento eſſe poteſt. Quia, inquit, *nuper cum Hebræo diſputans,quædam pro Domino ſaluatore de Pſalmis teſtimonia protuliſti;volenſque ille te illudere,per ſermones pæne ſingulos aſſerebat non ita haberi in Hebræo,vt tu de ſeptuaginta interpretibus apponebas: ſtudioſiſsimè poſtulaſti, vt nouam editionem Latino ſermone transferrem.* Denique qui improbari Iudæis ea translatio potuit,quam tanto aſſenſu comprobaſſent,quotquot tunc temporis Alexandriæ inuenti ſunt Hebræi? *Verſione enim legis*, inquit Ioſephus eo loco,*intra ſeptuaginta duos dies abſoluta. Demetrius*(Phaleræus, qui Regi rei eius auctor fuerat) *aduocatis omnibus Iudæis in locum vbi verſa fuerat, præſentibus interpretibus perlegit codicem. Concio vero & ſeniorum interpretationem approbauit, & Demetriũ ipſum collaudauit,cuius ſuggeſtionis occaſione maxima bona percepiſſent: rogaueruntque,vt etiam optimatibus eorum copia legendi fieret. Deinde & ſacerdos, & ſeniores interpretum,& magiſtratus populi poſtulauerunt: quandoquidem feliciter abſoluta eſſet hæc interpretatio,vt rata permaneat, nihilque ex ea mutari liceat. quæ ſententia cùm omnibus placuiſſet,iuſſerunt,vt prius, ſi quis aliquid deprehenderet, vel ſupereſſe legi, vel deeſſe,diligentius inſpectum,& iudicatum corrigeret, quando conſultum eſſet,vt res ſemel approbata rata eſſet in perpetuum.* Qui autem potuit non maximum apud Hebræos omnes eorum eſſe pondus auctoritatis, quos vt Regi optime de gente ac religione ſua merito gratificaretur ſapientiæ opinione nobiles,atque vt Ptolemæus in Epiſtola ſua poſtularat,*viros bonos, quique per ætatem legum periti,poſſent præſtare bonos interpretes,* ex omni delectos populo Pontifex Eleazarus miſerat? Aut quid Ieroſolymitanorum animos in ea translatione offendere tandem potuit,in qua delecti ex omni

Alexandriæ commorantium Iudæorũ numero viri, nihil inueniſſent, quod minus cuiquam probaretur? Neque vero dubium eſſe poteſt, quin, niſi luſiſſe in re tanta dicendi ſint tum interpretes, tum Phaleræus, quibus eius rei iudicium commiſerunt, ij & Græcæ, Hebraicæque linguæ periti, & in lege verſati non mediocriter fuerint; in quibus multas fuiſſe neceſſe eſt nõ religione tantum, ac ſanguine, ſed etiam patria Iudæos. Nam Alexandriæ eorum permulti verſabantur, qui vt in edicto ſuo apud Ioſephũ eodem capite auctor eſt Ptolemæus; *ſubacta ab eius patre Iudæa, inde in Aegyptum abducti, ac diuenditi fuerant. ex quibus in libertatem ære ſuo vindicatis* ad Eleazarum ſcribit idem *per ætatem idoneos in militiam adlegiſſe ſeſe, alios inter aulicos ſuos accenſuiſſe.*

Quid porro magis obuium hominibus, minus etiam intelligentibus, ac propè idiotis eſſe potuit, quam nõ modo verba aliqua, ſed integras ſententias aut additas, aut detractas exemplarium collatione deprehendere? Qui igitur tanta omnium approbatione excepta ea translatio eſt, cautumque, ne quis in poſterum ex ea quicquam immutaret? præſertim cum *iuſſiſſet, vt prius, quam res ſciſceretur, ſi quis aliquid deprehenderet, vel ſupereſſe legi, vel deeſſe, diligentius inſpectum, & indicatum corrigeret.* Nimirum aut omnem illam concionem eodem, quo interpretes ipſos afflatam Spiritu propheta ſſe dicendum eſt; aut, quod multo videtur veriſimilius, ea omnia, quæ addita, atque immutata ex ea verſione videntur, è veteri Synagogæ traditione fluxiſſe, quæ ita, vt interpretes expoſuerant, diuina oracula iam inde ab initio intellexiſſet. atque ita factum eſſe, vt nihil in ea interpretatione concionem offenderet, in qua permulta nec leuiter quidem, ſi litera præcisè ſpectetur, immutata deprehendiſſet. Atque ſeniores quidem diuino afflatos Spiritu & genuinas à ſpurijs traditionibus dignouiſſe, *& quadam velut Prophetiæ auctoritate* in ipſum ſcripturæ textum inſeruiſſe, quæ ad ſcripturarum intelligentiam facerent; cæteros ea comprobaſſe, quæ in ſacrorum voluminũ expoſitione à maioribus ſuis vſurpata non ignorarent. Quo reſpexiſſe videtur extrema in Pentateuchum Præfatione Hieronymus, dum ſeptuaginta interpretes *Apoſtolis poſteriores* habere ſe dicit, *quia per iſtorum os,* inquit, *Chriſtus mihi ſonat, quos ante Prophetas inter Spiritualia charismata poſitos lego, in quibus vltimum pæne gradum interpretes tenent.* Alludit enim ad id quod I. Cor. XII. 28. ſcriptum eſt; *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationũ, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.* Satis autem exploratum eſt *interpretationem ſermonum,* quam in Spiritus chariſmatis eo loco recenſet Apoſtolus, nõ eam eſſe, qua quod vna lingua ſcriptum eſt, transfertur in aliam; quodque *ad genera linguarum* potius ſpectat;

ſed

ſed qua inuolutus ſcripturarũ ſenſus, Spiritu ſancto doctore percipitur, atq; ad Eccleſiæ vtilitatem exponitur.

Sed vtrumlibet dicatur illud pro certo haberi neceſſe eſt, quicquid ſeptuaginta interpretes veteris teſtamenti voluminibus addiderunt, ſi modo id auctore Deo factum eſt, ad eorum Prophetarũ vaticinia pertinere, quorum libris inſertum eſt. Neq; enim mentiri poteſt Spiritus Sanctus, vt verba Iſaiæ dicat eſſe, quæ Iſaiæ non ſunt. Eos quidem certe, qui alienis ſcriptis vel addunt, vel demunt aliquid, falſarios eam ob rem, ſine hæſitatione dicimus, quod ijs ſcriptoribus non ſua tribuant. Neque verò cum libro ſcriptoris nomen præſcribimus, quidquam aliud ſignificamus, niſi quæcunq; eo volumine continentur, ad eũ, cui liber adſcribitur, pertinere. Qui potuit igitur, auctore Dei Spiritu, quicquã Prophetarũ vaticinijs inſeri, quod ijs, niſi falsò, non poſſet adſcribi? Ergo, ſi oracula ea ſunt, eorum ipſorũ oracula ſunt, quibus in diuinis literis adſcribuntur. Sed cũ inuolutius à ſcriptoribus canonicis ea ſcripta eſſent, quã vt deprehendi à nobis poſſent, patefacere ea per interpretes ſuos humano generi Spiritus Dei voluit; quem Caſaubonus, ne meliorem ſe Deum habeat, impoſtorem videlicet, & falſarium pronunciato ſuo facit.

Sed hæc per occaſionem Alexandrinæ cócionis, in qua cum pleriq; fuerint genuini Iudæi, eamque ſacrorum voluminum translationem ita probauerint, vt etiam ratam eam in poſterũ eſſe iuſſerint; ad libidinẽ potius, quam probabili vlla ratione ſcribit Caſaubonus *ſolos fuiſſe Alexandrinos, & ſimiles hybridas Helleniſtas verius, quam γνησίους Iudæos, qui Græcam verſionem ſeptuaginta interpretum in vſu communi habuerint.* Quanquam enim non dubito, quin apud omnes omnium gentiũ Iudæos maiore ſemper in veneratione Hebraici ipſi ſacrorum librorum fontes, quam interpretum riui fuerint: tamen ne dubitari quidem poteſt, quin ſummo in honore verſionem eam omnes habuerint, tum vt ait Chryſoſtomus hom. v. in Matth. *ob interpretum numerum, tum ex ipſo, quod ſuper omnia valere debet, conſenſu*, vt ſicubi res poſceret, teſtimonia ex illa deprompta oraculorum inſtar ab ijs ſuſciperentur. Minimeq; mirum videri debeat, ſi vſum, petito ex ea translatione teſtimonio, Galilęũ Iudam ſuſpicatus ſit Baronius. Apoſtoli quidem omnes, ſi Paulum, ac Barnabam excipias, in Iudæa nati, neq; vnquam, quod ſciatur, antequam ad prædicandum Chriſti Euangelium proficiſcerentur, Syriæ fines egreſſi Paulus ipſe *ad pedes Gamalielis ſacris literis eruditus, quique ſupra omnes coætaneos ſuos in Iudaiſmo profecerat*, neque hybridæ Helleniſtæ vocari poſſunt, neque quid haberet Iudæorum vſus, ignorare poterant: at eos vix vnquam alia, quam ſeptuaginta interpretum editione vſos, non modo ex Irenæo, & Hieronymo, ſed ex ipſis etiam eorum literis ſatis cóſtat. Qui autem eam editio-

editionem vſurparent qua non modo Iudæi reuocarentur ab Euangelio; ſed quod calumnijs opportuna eſſet, ipſis etiam Ethnicis offenſioni eſſe poſſet. Niſi forte futurum putamus, vt cum diuina oracula ex ea proferrentur, non continuo quod aliquot poſt ſæculis eorum poſteri fecerunt, ad Hebraicos ipſos fontes prouocarent, eique translationi exceptione minus ſinceræ fidei fidem omnem abrogarent Iudæi, quibus nihil erat antiquius, quam vt Euangelij curſum retardarent. Iam cui tandem ſobrio perſuaderi vnquam poterit, fieri potuiſſe, vt quam editionem Ieroſolymis improbatam, atque abominatam ſcirent, eam reliqui Iudæi, quamuis, vt Caſaubonus loquitur, *hybridæ Helleniſtæ*, ſuſciperent, apud quos tanto ſemper in honore Ieroſolymitanos ſacrorum antiſtites fuiſſe certiſsimum eſt?

Quam accuratus ſcripturarum interpres fuerit Caſaubonus colligitur, ex ijs, quæ in Baronium de Iacobi vaticinio ſcribit.

CAPVT IX.

NEQVE multo religioſior diuinorum oraculorum interpres, quam aſſertor cenſeri debet Caſaubonus. Omittam ea, quæ cum reliquis ſectarijs communia illi ſunt. Sit illi operæpretium ineptiſſe cum multis. Ac ne ea quidem perſequar ſingillatim, quæ obiter dicta, excidiſſe per imprudentiam videri poſſunt. Ex ijs etiam pauciſsima ſeligam, quæ per otium, atq; accurate tractat, vt Caſaubonianæ Theologiæ ſpecimen lectoribus dem potius, quam quod libeat in hac re diutius immorari.

Exercit. I. cap. II. Iacobi Patriarchæ vaticinium, *fore vt non auferatur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus eſt:* vt Baronio incommodet, è Scaligeri, quàm è Patrum ſententia mauult interpretari. Ac Patres quidem quod reijcit, nihil facit à maiorum ſuorum conſuetudine, & moribus alienum: quod Scaligerum ſequitur, indulget genio. Nam pro veteri neceſsitudine ab eo permulta mutuatur. Quod antiquiſsimum Baronianæ interpretationis auctorem inter Chriſtianos facit Origenem; lapſus memoria videtur. Nam & Irenæus lib. IV. cap. XXIV. *eundem*, inquit Sirmondus noſter, *fuiſſe ſenſum ſuum indicat: & Tertullianus multo apertius lib. III. carm. aduerſus Marcion.*

Iudas iſte pater, Regalis ſtirpis origo,
Vnde duces geniti, cuius de ſemine Reges
Nunquam defuerunt; donec ventura poteſtas
Gentibus exoptata diu, promiſſa veniret.

Quod

Quod vnum Theodoretum,preterea nullum è Græcis patrib.memorat,qui in eandem ſententiam abierint: ne id quidem ſuſpicione vel inſcitiæ vel fraudis vacare viro doctiſſimo videtur: *Poſt Origenem enim*,inquit, *ante Cyrillum Alexandr. Athanaſius ſer.de cruce,Cyrillus Ieroſolym catech.* XII. *Epiphanius contra Herodian. & alij plurimi idem ſenſêre.* Sed hæc obiter. Ad interpretationem ipſam veniamus.

Regnum eo vaticinio Iudæ,eiusque poſteris promitti, quod perpetua ſucceſsione in ea tribu permaneret; neque ante plane deficeret, quam Chriſtus veniret in carne,& veterum Iudæorum, & Patrum deinde ſententia fuit tanto maiore noſtrorum aſſenſione comprobata,quod tum primum Chriſtus apparuit,cum Herodes Idumæus genere Romanorum beneficio,pulſis Aſſamonæis,regnum accepit. Sed officere interpretationi, alioqui maxime appoſitę illud videbatur,quod Hebræorū Remp. poſt Babylonicam ſeruitutem ſummi ſacerdotes,hoc eſt,Leuitici ſanguinis principes ad Herodis ſeculum tenuere. Quem nodum vt ſoluerent viri erudiſsimi, ad maternum Aſſamonęorum,penes quos ſumma poteſtas per ea tempora fere fuit,genus confugerunt: quod conſtat eos paternum ab Aarone,maternum ab Dauide traxiſſe. Quocirca ab Iuda regnum ablatum nō eſſe,quod Aſſamonęi,quamuis Leuitici generis,tamen ab Iuda quoque originem ducerent. Eam ſententiam,quod multis, inprimiſque Cyrillo, atque Hieronymo probari cerneret Cardinalis Baronius,amplexus eſt: cuius ea verba citat Caſaubonus. *Opportunum ſane tempus*: [quo Chriſtus naſceretur] *defecerat enim,quod erat in ſacris oraculis de tribu Iuda, & domo Dauid regium ſceptrum,atque ducatus. Non in Sedechia,quod Iulianus dicebat;ſed in Aſſamonæis poſtquam ſumma rerum apud Hebræos redacta ad Herodem.*

Eam interpretationem mirum in modum exagitat,ea maxime ratione Caſaubonus,quod neque ab Iacobi morte ad Dauidem, hoc eſt, annis ſexcentis,& eo amplius: neque à populo Babylonem abducto;aut certè ab extincto Zorobabelle ad Herodem rerum Hebraicarum ſumma penes Iudæ poſteros fuit:nō poteſt ergo vaticinium hoc de perpetua Regum ſucceſsione intelligi in tribu Iuda duratura. Nam antequam ad Dauidem regnum deferretur,præter Othonielem,& Abeſanem populi iudices,nemo inuenietur,qui eius Reip.gubernacula tractarit. Ab Zorobabelle porro,ac,ſi Rabbinis aliquid concedendum ſit, Meſula, Hanania, Barachia,& Haſadia eius nepotibus quod reliquum fuit ad Herodem ſpatij Remp.ſummi ſacerdotes habuere.Neq; verò veriſimile eſt toto eo tēpore Pontifices Maximos è tribu ſua vxores nunquam duxiſſe;neque,niſi temere affirmari in tanto ſcriptorum ſilentio res tanta poteſt. *Nam Apoſtolo*,inquit Caſaubonus, *quid reſpondebit Baronius,claris verbis neganti, accidiſſe vnquam,aut etiam potuiſſe accide*

re, vt qui è tribu Iuda eſſet, aut alia, quam Leuitica miniſtraret altari? Accedit denique Iudaici iuris regula, quæ in Thalmud Iacaſi, & alijs Rabinorum libris frequenter occurrit; & vel ſola huic figmento refellendo ſit ſatis; familia matris non vocatur familia, hoc eſt genus maternum habetur pro nullo. Hæc eſt tota, niſi fallor, Caſauboni aduerſus Baronium diſputatio, quam tanti facit, vt veluti parta iam victoria, triumphum canens, *tandem explodi iubeat vaticinij Iacobæi interpretationem quæcum ſacræ hiſtoriæ manifeſtò repugnet, defendi*, inquit, *omnino haud poteſt.* In qua tamen eius diſputatione præter manifeſtas ineptias, & calumnias, nihil inuenias.

Quid enim ſi Iacobo demortuo, non continuò *regnum Iudas obtinuit*? Ideone fidem vaticinij labare neceſſe eſt? Regnum certè, remque publicam in Aegypto nullam habuerunt filij Iſrael, vbi quadringentos ipſos annos ſeruitutem ſeruierunt, Ex. xxII. 40. Gen. xv. 13. & Act. vII. 7. Qui igitur vaticinij huius euentum defenſurus eſt Caſaubonus, qui ideo portendi contendit, fore vt regnum, reſque publica Iudæorum ad Chriſti aduentū nunquam deficiat. Dabit igitur Baronio, ac Patribus veniam: vt quemadmodū, niſi furere velit, reſponſurus eſt ipſe, non promitti à Spiritu ſancto fore, vt continuo rem vllam publicam haberent paucæ *illæ animæ, quæ egreſſæ erant è femore Iſraël:* Sed poſtquam in gentem magnam excreuiſſent, ſemel conſtitutam eorum Remp. non ante finem habituram, quam Chriſtus veniret in carne: ita etiam ipſi interpretentur, non permitti Iudæ, fore, vt regnum, quod nondum vllum erat, ſtatim obtineret; ſed vt in conſtituta iam, pacataque Republica, ſummum imperium acciperet. Quod ita euaſiſſe; è ſacra hiſtoria notiſſimum eſt.

Nam ij quidem, qui ab excuſſo Aegyptiorum iugo, ad Regum dominationem, ei genti præfuerunt, eius reip. cōditores potius, quam principes fuêre. Moyſes enim populum nondum vllis adſtrictum legibus, magiſtratibusque, ad ciuilis vitæ vſum, & conſuetudinem conformauit. Ioſue deletis habitatoribus Palæſtinæ, proprias ei ſedes attribuit. Sed cum morte ſublatus, rem conficere non potuiſſet, toto ferè eo tempore, quo in iudicum poteſtate gens ea fuit, eorum armis exerciti ſunt filij Iſrael; quorum regiones, niſi ſceleribus ſuis vltorem in ſe Deum irritaſſent, occupaturi fuerant. Samſone certe iudice, vt eſt in libri Iudicum c. xvIII. tribus Dan *poſſeſsionē quærebat, vt habitaret in ea; quod ad illum diem inter cæteras tribus ſortem non accepiſſet.* Ergo quæſitis iam genti vniuerſæ certis ſedibus, in eam Remp. regia poteſtas inuecta eſt: quæ penes Saulem tandiu fuit, dum ad Dauidem, conſtituto iam imperio transferretur. Is partim ſubactis, partim deletis Iſraelis hoſtibus pacem ſibi, & poſteris comparauit. Interim dignitatis prærogatiua cæteris excelluiſſe Iudam, vel ipſo teſte Caſaubono pag. 17. ſatis conſtat

ſtat

ſtat: qui etiã hæc eius rei argumenta ex Euſebio VIII. demonſt.lib. colligit. *quod Num XI.3.& X.14. in caſtris ponendis cæteris anteponitur: quod ibidem XII.17. in ordine efferentium reliquis præfertur: quod Ioſue cap. XIV. non expectato ſortis euentu, partem ante alias tribus capit: quod Iudic. I. belli ducatus diuino ore huic tribui defertur: quod quamuis è diuerſis tribubus Iudices fuerint, generaliter tamen tribus Iuda genti uniuerſæ præerat.*

Neque vero plus habet difficultatis, quod ex Apoſtolo obijcit Caſaubonus, *ſolam tribũ Leuiticam altari miniſtraſſe. Nam quid habent iſta repugnantiæ,* inquit Sermondus *ſolam tribum Leuiticam altari miniſtraſſe, quod Paulus ad Hebræos teſtatur; & Aſſamonæos è tribu Leui Pontifices, è tribu Iuda maternũ genus duxiſſe, quod obſeruat Baronius? An quia maternam illis dat tribum; idcirco paternã, & propriam negat fuiſſe Leuiticã?* Ad Thalmudicos, ac Rabbinos quod prouocat, qui negant maternũ genus vllo loco haberi; antiquũ obtinet; vt eos adhibeat ſcripturarũ interpretes, quibus, præter quã in grammaticis, fidẽ ipſe omnẽ ademerit. Chriſtus quidẽ Dominus *Dauidis filius, factus ex ſemine Dauid, atq; ex tribu Iuda ortus eſt*, ſi diuinis oraculis credimus, ex qua cum paterno in terris careat, niſi maternũ, genus nullũ ducere potuit. Vtrum igitur malet Caſaubonus, quicquid ipſo Euangelij ſui initio Matthæus reclamet, è Dauidis, atq; Abrahæ poſteris Chriſtũ eximere, atq; omnes Patrũ promiſsiones inanes, atq; irritas reddere: an matre virgine natum negare? vt Thalmudicis ſuis obſequatur, quibus auctoribus didicerit *matris nullam eſſe familiam.* Nec ſum equidẽ ignarus eam ſententiam ex hac parte nonnihil incommodi habere quod propter maternũ Aſſamonæorum genus perpetuũ Dauidici ſanguinis regnum ad ſæculũ Herodis deducat: quod è tribu Iuda ad Leuitas translatum potius videatur; in qua illi tribu propter paternũ ſanguinem cenſebantur. Sed quis negare tamen poſsit, Henrici VII. poſteros in Angliæ priſcum Caſtellanorũ, Luſitanorũ, Aragonũ Regum ſanguinẽ in Hiſpania dominari, quamuis maternæ ſucceſsionis iure ad eos regna peruenerint, qui nunc rerũ apud eas gentes potiuntur? Iacobus quidem Britanniæ Rex quãuis non niſi auiæ maternæ genus ab Henrico VII. ducat, nuquã ille negaturus eſt ſe Angelorũ Regum ſanguine prognatum; neque Angli, niſi Regum ſuorũ ſanguini parere ſe, vnquam dicturi ſunt. Ergo quamuis in maribus, vt nomen gentis, ita etiã ſanguis, ac genus præcipue ſeruetur: in fœminis tamen etiã ſeruari poſſe vel illud argumento eſt, quod apud plerasq; gentes paterna iura, ſi mares defuerint, ad fæminas tranſeunt. Quod in ijs ſuperare etiã tum, ac viuere patres videatur.

Neque vero aut Baronius vnquam dixit, aut ad tuendam eius ſententiam affirmari neceſſe eſt, quod Caſaubonus illi tribuit *Pontifices eorum temporum è tribu ſua vxores nunquam duxiſſe, verum ex aliena ſemper: & quide*

demſemper ex eadem,nempe Iuda. Nam quod Lyranum,aut Alenſem commenti eius facit auctores;aperte vel fallitur,vel mentitur. Lyrani ea verba ſunt in caput XLIX. Gen.hoc ipſum de quo agimus, Iacobi vaticinium exponentis. *Poſtea* (ab Zorobabelle) *ſacerdotes gubernabant populum,vt patet tempore Machabæorum,qui erant de tribu Iuda,quia tribus ſacerdotalis,& tribus regia erant commixtæ,vt patet* IV. *Reg.* XI. *vbi dicitur quod Ioſabath ſoror Ochoziæ Regis Iuda,tulit Ioas, & erat cum ea ſex annis in domo Domini:quia ipſa erat vxor Ioada Pontificis.* Nec diſsimilia ſunt quæ ſcribit Abulenſis in eum locum. *Iſti,*inquit,(Machabæi)*de tribu Iuda erant,quia ſummi ſacerdotes ducebant vxores de tribu regia,de filiabus Regũ, vel de cognatione regali,vt patet in Aarone,qui accepit in vxorem Elizabeth filiam Aminadab ſororem Naaſon ; erat autem Aminadab princeps in tribu Iuda & poſt eum Naaſon filius eius,vt patet Num.*II.*cap.& tempore Regum Iuda hoc fiebat,vt patet* IV.XI.*cap.vbi dicitur quod Ioſabath ſoror Ochozia Regis Iuda abſcondit Ioas: erat autem ipſa vxor Ioiada principis ſacerdotum.* Quibus verbis non affirmat vir doctiſsimus nunquam è ſua tribu ſummos ſacerdotes vxores duxiſſe : ſed probat ſummos ſacerdotes ad tribum Iuda pertinuiſſe,quia cum Num.vlt.cautum eſſet, lege diuina,nequis ex aliena tribu vxorem duceret;tamen è ſacra hiſtoria conſtat ſummos ſacerdotes ex Iuda vxores etiam ducere conſueviſſe.quod argumento eſt cõmune quoddam ius earum tribuum fuiſſe. Id quod Lyranus ijs verbis expreſsit;*Tribus ſacerdotalis , & tribus regia erant commixtæ.* Quanquam autem ea lex in inferioribus ſacerdotibus,teſte Philone lib.II. de monarch.non ita religioſe ſeruabatur,*ſiue quod*,vt ille ſcribit,*leue eſſet hoc piaculum ſiue quod non expediret plebem in totum ſubmoueri à ſacerdotum affinitatib.* ſiue quod, vt ego exiſtimo, cum bona immobilia peruenire ad Leuitas non poſſent; metus non erat,ne vnius tribus hæreditas tranſiret in aliam : cuius incommodi euitandi cauſa lex ea ſancita fuerat;tamen quod de Pontificib.nominatim Leu.XX.14. & 15. Id ipſum alia de cauſa cautum eſſet,in eorum connubijs diligenter ſeruari ſolitum,auctor eſt Philo eo,quem citaui,libro ij.de Monarch. *De genere,*inquit,*futurarum vxorum diligenter praſcribitur,vt Pontifici ſpondeatur non ſolum virgo,ſed ſacerdotalis generis,vt ſponſus , ſponſaque gentiles ſint, & quodam modo conſanguinei.* Ergo cum ex aliena tribu vxorem ſummis Pontificibus ducere nefas eſſet;conſtetq; è ſacra hiſtoria vxores ab ijs de tribu Iuda non ſemel ductas;apertum indicium eſt,communia earum tribuum iura fuiſſe, vt non cenſeretur Pontifex *commiſcuiſſe ſtirpem generis ſui vulgo gentis ſua,ſi è Iuda*,atq; ex ea gente vxorem duceret; quam *Dominus, qui ſanctificabat eos* , ſibi ipſe aliquando iuncturus eſſet. Quod ergo ſcripſit Abulenſis *quod ſummi ſacerdotes ducebant vxores de filiabus Regum*;id modo ſignificat,ius fuiſſe Pontifici vxoris è principibus Iuda ducendæ : ſemper autem, duxiſſe nec aliter

vnquam

vnquam feciſſe;nec ille docet,nec quicquam eſt,quod cogat dicere. Huc igitur tota demum recidit horum virorum ſententia. Aſſamonços, quamuis paterno iure ſacerdotio fungerentur; Iudæ tamen ac Dauidis poſteros materna ſtirpe fuiſſe;atque ita vere dici potuiſſe Dauidis,ac Iudæ iura in ijs ſeruata eſſe, quemadmodum apud Romanos olim in Caligula,Claudio, ac Nerone,quod materno ſanguine ad Auguſtum pertinerent, iura Cæſarum viguerunt:ac noſtra etiam tempeſtate Anglorum Scotorumque iure materno genere ad Iacobum deducta ſunt: ad Auſtriacos Belgica, Burgundica,Hiſpanica peruenere. Sed operæ pretium eſt Caſaubonum ipſum oraculum hoc interpretantem audire.

Caſauboniana vaticinij eius interpretatio refellitur:

CAPVT X.

VVLT pag.14.idque Iuſtino etiam,ſi Deo placet, auctore, ac *recepta primis illis Chriſtianiſmi temporibus interpretatione ita oraculum exponi; vt licet ſoli Iudæ id videatur dici; euentus tamen oraculi ad fratres omnes,& vniuerſum populum è duodecim tribubus exoriturum pertineat. Nam quis non videt*,inquit,*eá, quæ admirabili hac Prophetia prædicuntur,non ad Iudam propriè omnia; ſed ad cunctas tribus pleraque ex æquo ſpectare?* Patres videlicet,ac tam multi deinde ſummo ingenio,ac doctrina viri,qui eos ſequuti ſunt,talpæ omnes,aut talpis etiam cæciores fuere: qui,quod nemo non videt,ipſi non viderint.Sed pergat porro,ac vaticinium hoc,qua eſt ingenij fælicitate,ad duodecim tribus accommodet. Nam eo vaticinio prædici fore vt non ante populi Iſraelitici,qui tribus duodecim amplexurus eſſet reſp.euertatur, quam Meſsias exoriatur: quod euerſa ab Tito vrbe factum ſit.Interitum porro reip. Iudaicæ,*quem ante tot ſecula*,inquit,*Iacobus prædixerat, alio tempore cæpiſſe, alio eſſe permotum, alio denique eſſe conſummatum. Cæpiſſe calamitatem Iudæorum anno ante ſeruatorem ſexageſimo, quando populus,ante ſui iuris,ſeruitutis iugum ſubire coactus eſt à Pompeio. Auxiſſe vero, ac gradum velut vnum ad perniciem vltimam eſſe factum anno poſt natum Dominum circiter decimo,cùm Archelao Viennam religato, Iudæa in formulam prouinciæ eſt redacta. Nam ab eo tempore nullum vnquam poſtea Iudeæ neque Regem fuiſſe,neque Ethnarcham. Vltimam fuiſſe cladem,vrbe dirutâ,& deſtructo templo ab incarnatione filij Dei anno Dionyſiano ſeptuageſimo.* Eius porro interpretationis auctorem habere ſe Iuſtinum Martyrem gloriatur.

Neque vero melius,quam intellecta viri eius ſententia, *intelligi poſſe quæ fuerit primis illis Chriſtianiſmi temporib. inter doctas recepta vaticinij, eius interpretatio.* Sed quam appoſitè ſingulas vaticinij eius particulas ad rem ſuam accommodet,videamus.

Prædicit Iacob Spiritu Dei plenus aduentum Meſsiæ, donec veniat Silo. Vere iſta quidem, atque ex communi omnium interpretatione. Sed ſi originem ſpectes, id eſt Iudæ proprium; ſi ſalutem ad vniuerſum genus hominũ, qui non modo poſt futuri erant, ſed etiam ſæculis ſuperioribus fuerant, æque pertinet. Pergit.

Vocationem gentium. Et ipſe erit expectatio gentium. Id etiam quam vere, tam inepte recenſet Caſaubonus. Quid enim habet gentium ad fidem vocatio cum tribubus duodecim commune? niſi quod *deciſis ramis inutilibus in bonam radicem inſertæ ex naturali oleaſtro, participes factæ ſunt pinguedinis oliuæ.* quanquam ne reprobationis quidem Iudæorum ibi veſtigium vllum eſt, vt vel ſic ad tribus omnes vaticinium referri poſſe videatur.

Iudaicam politiam, cuius tunc fundamenta iaciebantur, olim finem habituram: recedet ſceptrum & dux. Hic vero plura fere ſunt errata, quam verba. Primum enim communis tribuum duodecim politia in Salomone finẽ habuit, cùm decem integræ tribus, ſeceſsione ab Roboamo facta, ſuum ipſæ per ſe Regem, remque publicam conſtituerunt: falsò igitur prædixiſſet Iacob, fore, vt duodecim tribuũ politia non ante finem acciperet, quã veniret Chriſtus. Deinde illa ipſa decem tribuũ Reſp. ab Salmanaſſare Aſſyriorum rege euerſa funditus, nunquã amplius reſtituta eſt. Nã & ſi Xerxes Darij filius, vt è lib. I. Eſd. cap. VII. conſtat edicto ſuo omnibus Iſraelitici nominis hominib. poteſtatẽ fecit redeundi in patriã; tamen præter Iudæos, & Beniamitas, reliqua multitudo ſolo, cui iam dudum aſſueuerat, delectata, hæſit trans Euphratem. *Quapropter*, inquit Ioſephus lib. XI. antiquit cap. V. *duæ tantum tribus per Aſiam & Europam ſub Romano degunt imperio: decem autẽ tribus nunc quoq; vltra Euphratẽ ſunt; infinita hominũ millia, quæ vix eſt numero comprehendere.* Qui potuit igitur de communi duodecim tribuũ politia hæc vere Iacobus vaticinari; quæ tam multis ante natum Chriſtum ſeculis nulla fuit; ac ne eſſe quidem vlla potuit?

Iam quod *ſceptrum de Iuda*, idem apud eum eſt, atque communis duodecim tribuum politia. Id vero Caluiniano pædotriba dignum eſt. Quis enim eſt adeo nominum ignarus, vt non intelligat ſceptri nomine regiam poteſtatẽ deſignari? Quam quia neq; ante inunctum Saulem, neq; ab Sedechia ad Ioannẽ Simonis Machabæi filium, neq; à Pompeio ad exciſa Ieroſolyma quo vſq; vaticinium hoc pertinere putat Caſaubonus vllã agnoſcit, ad ſignificandam ipſam tribuũ duodecim politiam; transfert ſceptrum regiæ poteſtatis inſigne. Neq; vero minus inauditũ eſt, quod Iudæ, vnius è duodecim patriarchis, vocabulo tribus oẽs Iſraeliticas cenſeri vult. & quidẽ tum, cum nominatim, ac ſeorſim per ſe ſinguli compellantur; & quæ nepotibus olim ſuis euẽtura ſunt, diuino oraculo diſcũt. Quod vero *Dux de femore Iudæ*

iſti

iſti homini futuram duodecim tribuum politiā deſignat;plane ſimili monſtri eſſet,niſi è Caſauboni cerebro prodijſſet. Diuinæ quidem literæ nullo magis appoſito,atq;ad ſignificandā eam,quæ ſecundū carnē eſt,vnius ex altero originē,magis accōmodato vocabulo denotare ſolent,quam cū eū dixerint;*de famore,de lumbis,de ventre eius prodijſſe.* Qua igitur ratione *Dux de famore Iuda*,deſignare aut regnū Iſraelis ab Iuda,ac Beniamin ſeparatum, aut duces,reges,iudices eos poteſt,qui quod ex alijs tribub' orti ſunt,nihil habuerunt commune cū Iudæ ſanguine? Sed interpretari ſane illi ita liceat;vt cum Iudæ nomine duodecim tribus expreſſas velit,*ducem de famore Iuda* eū intelligat,qui ex aliqua duodecim tribuum ortus ſit. Quid de Herode dicturus eſt,quem conſtat maternum ex Arabia,paternū ex Iudumæa genus duxiſſe? vt non ex Iudæ modo,ſed ne ex Iacobi quidē fæmore egreſſus ſit. At eum quod Iudaicā religionem amplexus,atq; ad vnam aliquam è tribubus Iſrael adlectus ſit, *de famore Iuda ducem* fuiſſe contendit Caſaubonus. Perinde quaſi nihil interſit religione an genere;adoptionis,an ſanguinis iure Iudæum dixeris.aut quiſquam negare poſſit Chriſtianos fide ac religione Iſraelis hæredes,eos,qui repudiata Chriſti gratia,perſtiterunt in incredulitate,carnis,ac ſanguinis eius filios eſſe. Egregie Sermondus. *Vt ſuas habeat difficultates Baronij expoſitio: an non maiores habet altera, qua Caſaubono placuit? Vt nomine Iuda non ſola tribus Iuda;ſed reliqua omnes intelligantur, cum incredibile videatur Patriarcham vno in ſermone , eoq; perbreui,Iuda vocem ambigue nunc ſua , nunc aliena ſignificatione vſurpaſſe. Et eum reliquis filiis, qua cuique propria erant pradicere ; Iuda ſoli non propria.ſed omnium communia pronunciaſſe.*

Audi vero quam acutè probet ad omnes omnino tribus,eas,quas enumerauit,oraculi particulas pertinere. *Eo namque*,inquit,*fine pradicuntur,nō vt vna aliqua tribus tantorū myſteriorū cognitione gaudeat;ſed vt fideles omnes , qui in ſingulis tribubus erant naſcituri,aut in eaſdē à gentibus tranſituri, ſpe,& fide Chriſtum,Chriſtiq; bona,pro vt ferebat temporū ratio,apprehenderent.* Ita vero etiam ſi iſta ratione argumētari liceat,quia eodē fine dictū eſt *Abrahe,fore,vt in ſemine eius benedicerētur oēs gentes*;ac Dauidi,fore *vt de fructu ventris eius poneret Dominus ſuper ſedē eius*;argumētari licebit nō ad eas promiſſiones;ſed ad omnes omnino fideles pertinuiſſe. quocirca colligi ex ijs locis nullo modo potuiſſe, fore,vt ex Abrahamo atq; Dauide Chriſtus carnē aſſumeret.Iam ne ad beatam quidē Virginem ſpectauit,quod ſcriptū eſt *virginem aliquando concepturam,& parituram filium*.Ac neq; ad Chriſtum ipſum referri poterunt ea,quæ de ortu,vita,& cruciatibus eius in ſcripturis ſanctis per Prophetas prædixit Spiritus ſanctus; cum ea non ad Chriſti , ac parentis eius;aut etiam tribus vnius,ſed ad totius humani generis inſtitutionem, ſalutemque ſcribi voluerit

luerit Deus; vt & ante Chriſti ſaluatoris aduentum tantarum rerum ſpe, atque expectatione animi fidelium erigerentur: & poſt ipſo oraculorum euentu confirmarentur in fide. Sit igitur ſane verum quod, ne oblitus theſauri videatur, non ſine Græca vocula dicit; *Quatuor illas quas ſubijcit, admirandas & vere θεοπνεύστους prophetias, non in vnius Iudæ, aut tribus Iudæ gratiam à Spiritu ſancto per Iacobum eſſe editas; ſed in commune bonum omnium tribuum, & vniuerſi populi Iudaici aliquando futuri*; quid aliud ex eo, quam exquiſita hominis amentia concludi poteſt? Certe fatetur ipſe pag. 15. non obſcure eo vaticinio ſignificari id, quod ait; *poſtea ſemper Iudæis eſſe creditum: ex Iuda oriturum Meſsiam; atque id in hac prædictione,* Iudæ *fuiſſe proprium.* Quidni igitur, quod in commune omnium bonum ex Iuda futurum reuelabatur, Iudæ ita dici potuerit, vt ad omnium ſolatium pertineret? Quanquam optandum fuit, vt ſignificaret ipſe, quibus tandem oraculi eius verbis ſignificatum nō obſcure putaret; *Ex Iuda oriturum Meſsiam.* Nam in eo vaticinio, ita quidem intellecto, nullum non modo verbum, ſed ne ſyllaba quidem, aut apex inuenietur, qui hoc, vel obſcure, ſignificet. Hic eſt enim, ſi Caſaubonus vera vaticinatur, vaticinij eius ſenſus. *Non ante deſinet tribuum duodecim politia, ſiue ea ſui ſanguinis ſiue exteris Principibus adminiſtretur, quā Meſsias veniat, in quem gentes ſunt creditura.* Vbi nihil profecto eſt, quod Chriſtum ex Iuda proditurum ſignificet. Porro quod ab eo tempore ſemper id Iudæis eſſe creditum memorat, vellem adſcripſiſſet etiam quibus id teſtibus comperiſſet. Nam è diuinis quidem literis, neque quid ea de re quadringentis ipſis annis in Aegypto crediderint; neque quis ante inſtitutos Reges ſenſus eorum fuerit, magnopere vereor vt colligi quicquam poſsit. Sed Caſaubono ad Britannicæ culinæ nidorem nonnihil de præteritis etiam vaticinari fas fuit.

Ad Iuſtinum vero quod interpretationem ſuam refert; iniuriā tanto viro non leuem facit: qui, vt cætera taceam, de duodecim tribuum politia, hoc Iacobi oraculum nunquam interpretatus eſt: quæ ſi propriè loqui velimus, poſt abductas à Salmanaſſare decem tribus ad Aſſyrios, nulla vnquam fuit. Sed ad politiam eam retulit, quam *regnum Iudæ* ſacra hiſtoria proprie nominat: quæ Iudæ, ac Beniamini tribubus continetur; quæque à Nabuchodonoſore euerſa, ab Cyro deinde eiusque ſucceſſoribus Dario, & Artaxerxe reſtituta deſcribitur apud Eſdram. Quæ politia Dauidico addicta ſanguini, ac multo maxima, eaque præſtantiſsima ex parte, Iudæ nepotibus conſtans, ad eum pertinere merito dici potuit, quamuis ab alterius tribus hominibus regeretur. Quo reſpiciens etiam Euſebius lib. VIII. demonſtr. oraculum ita interpretatus eſt; vt quemadmodum Romani imperare dicebantur; quamuis qui rerum potiebantur Romani plerunque non eſſent,

quod

Digitized by Google

quod populi Romani iure,ac viribus imperarent; ita ſceptrum nunquam ablatum de Iuda,quod incolumi etiam tum eius tribus politia, quicunque demum in ea Republica dominarentur:non alio,quam Iudæ, ac nepotum eius iure regnum obtinerent. Accedit,quod oraculi huius ſummam in eo repoſitam Iuſtinus putat,quod ab inſtituta Iudæorum Rep.ad Chriſti Domini mortem,nunquam in ea gente Prophetæ deſiderati ſint;qui dum adeſſent,nunquam principe,duce,ac domino deſtitueretur: ſi deeſſent, orbatus iam duce ſuo Iudas merito diceretur. Quocirca cum Iudæi ex eo de aduentu Chriſti Domini noſtri vaticinium illud intelligi non poſſe contenderent,quod ante ad Herodem Aſcalonitam regnum tranſlatum eſſet, quam is naſceretur; vrget Iuſtinus fuiſſe tum in populo principem, quod non modo pontificem,ſed etiam Prophetas haberent: in quibus vnis principatus eius gentis propriè reſideret. Nam ne Babylone quidem alios fuiſſe populi principes,quam Prophetas neque vero ius ipſum Regium, niſi à Prophetarum Spiritu promanaſſe; neque dum illi adeſſent, princeps defuiſſe;neque ſine illis principes eſſe vllos potuiſſe. Quibus euinci putat id, quod probandum ſuſceperat Ieſum Dominum noſtrum eum ipſum eſſe Meſsiam,quem ſacra oracula tam magnifice pollicentur.quod Ioannes Baptiſta Prophetarum poſtremus fuerit;ob eamque rem, eo demortuo, princeps in ea gente nullus propriè fuerit.

Quanquam notat eo loco vir egregius diuino conſilio factum,vt per idem tempus,non modo ſui ſanguinis,ſed proprijs omnino regibus orbaretur Iudæorum Reſp.vt vel ſic vaticinio cedere, & Chriſtum ſaluatorem ſuum agnoſcere cogeretur. Nam Herode non ita multo poſt Chriſtũ natum è viuis ſublato,eiusq; ditione in tres eius diuiſa filios,diſcerpta eſt Iudaica politia;tum vero etiam funditus euerſa,cum Archelao in Galliam relegato,prouinciæ Syriæ Iudæam Cæſar attribuit: eique Copponium procuratorem præfecit. Ex illo,ſi triennium Agrippæ ſenioris excipias, procuratores Cæſarum ad Ieroſolymitanum excidium Iudæam tenuêre. Vt ſi ad euerſam Iudaicã Remp. regnumq; Iuda ſublatum oraculi interpretationem referre libeat; ne ſic quidem Caſaubono cum Iuſtino conueniat; cum alter ab euerſa Reip.forma,alter ab exciſis Ieroſolymis euentum oraculi repetat. Denique Iuſtinus euentum oraculi non vltra id tempus præfert,quo Dominus cruci ſuffixus eſt. Caſaubonus quadraginta ipſos annos addit cum ad deleta Ieroſolyma protrahat. Id ita eſſe adſcriptis Iuſtini verbis planum faciam;nec vrgebo hoc loco quæ de perperam vel emendato à Caſaubono vel Latinè reddito eo tanti ſcriptoris loco Careophilus vir doctiſsimus adnotauit: ipſa Caſauboni etiam peruerſa interpretatione contentus. Iuſtinum hic ita proferam, vt is eum Latinè loquentem facit;neque

M tamen

tamen vereor,ne quiſquam non eam ſcriptoris eius ſententiam eſſe dicat, quam nos expreſsimus. *Deſiiſſe vnquam Prophetam aut principem in genere veſtro ab ipſo illius principio, ad illud vſque tempus, quo eſt natus, & paſſus eſt hic Ieſus Chriſtus: neque vos ea eſtis impudentia, vt dicere audeatis, neque poſſetis demonſtrare. Nam etſi Herodem quo regnante natus eſt Chriſtus, Aſcalonitem fuiſſe dicitis; tamen ipſi hoc quoque dicitis fuiſſe tunc in genere veſtro Pontificem maximum, adeo vt fuerit in genere veſtro ſecundum legem Moſis Pontifex maximus, qui oblationes afferret, & reliqua inſtituta legalia ſeruaret; manente etiam vobis ſucceſsione Prophetarum ad Ioannem vſque. Similiter, vt cum populus veſter in Babyloniam eſt captiuus abductus, terra bello occupata, ac vaſis ſacris ſublatis, negatis deſiiſſe de genere veſtro (vel inter vos) Prophetam, qui dominus, dux, & princeps populi veſtri eſſet. Nam Spiritus, qui erat in Prophetis, reges vobis vngebat, & conſtituebat. At poſtquam Ieſus Chriſtus noſter in genere veſtro apparuit (extitit, natus eſt) & mortuus eſt, Prophetam neque habuiſtis amplius, neque habetis; quin etiam, cum proprio Regi prius pareretis, id quoque ceſſauit.* Quib. in Iuſtini verbis Latine ita redditis, vt Caſaubono libuit, vellem ſignificaſſet nobis magnus hic oraculorum interpres, vbi tandem inuenerit id, quod pag. 13. ſcribit *ad impletum id vaticinium, cum vrbe capta, ac ſolo æquata ſecunda domo omnis ſimul eſt deleta Reip. Iudæorum forma, ac ſpecies.* Nam Iuſtinus quidem id modo vrget, quod Iudæi poſt natum, ac mortuum Chriſtum, neque Prophetam amplius, neque proprium Regem habuerint.

Atque hæc quidem ad illuſtrandum vetuſtiſsimi ſcriptoris locum, refellendamque ineptiſsimam interpretationem Caſauboni. Cæterum, ſi in re obſcuriſsima mihi quoque ſuſpicari nonnihil liceat: (nam affirmare equidem in tanta ſummorum virorum diſſenſione magnopere nihil auſim) duo illa pro compertis habenda puto, de quibus ſumma eſt conſpiratio totius antiquitatis, & euentum oraculi ad Herodis magni tempora pertinere; neque niſi de Regia Iudaicæ tribus dignitate vaticinium intelligi oportere. Quæ quanquam poſt euerſa ab Aſsyrijs Ieroſolyma Regnum re ipſa nunquam obtinuit: quod abrogato Sedechiæ, eiusque poſteris diuinitus regnandi iure, non ſatis conſtabat quem potiſsimum è Dauidica domo ad Regnũ deſignaſſet Deus; tamen quod certiſsimum apud eam gentem eſſet Regnũ Dauidi in perpetuum attributum eſſe: ita qui deinde conſequuti ſunt, eam Remp. adminiſtrarunt, vt ſe pro Regib. interim gererent, dum diuino oraculo conſtaret quem è Dauidico ſanguine præfici oporteret. Ad eum modum, quo Poloniæ Rege demortuo, ſumma rerum penes Gneſnenſem Antiſtitem eſſe dicitur, dum publicis Regni comitijs alter ſubſtituatur: quaq; vacante ſede, Vicarius Epiſcopali poteſtate à Capitulo creatur, qui Eccleſiã interim adminiſtret, dum nouus Epiſcopus à ſede Apoſtolica deſignetur. Atque à ſoluta Babylonica ſeruitute ad Machabæorum ætatem nullum, ne-

Zoro-

Digitized by Google

Zorobabellem quidem ipſum, Iudæorum Regem fuiſſe notiſsimum eſt. De Aſſamonæis nonnulla dubitatio eſſe poteſt, quod ij appellatione, atque inſignibus Regijs vſi, Reges re vera fuiſſe videri poſſunt: ſed ij ipſi, re penitus inſpecta, Interreges potius, quam Reges dicendi ſunt. Nam Simon quidem Mathathiæ filius, qui mortuis fratribus ſummum ſacerdotium, atque Imperium gentis eius obtinuit, ac transmiſit in poſteros, ea conditione accepit à populo, vt rerum interim potiretur, dum certi aliquid ſuper ea re conſtitueret Deus. Conſtat id è Machabæorũ lib. I. cap. XIV. 41. *Iudæi, & ſacerdotes eorum conſenſerunt eum (Simonem ex quo Aſſamonæi ſunt orti) eſſe ducem ſuum, & ſummum ſacerdotem in æternum, donec ſurgat Propheta fidelis; & vt ſit ſuper eos dux, & vt eſſet illi cura de ſanctis, &c.* Manſit igitur interim ius Regium Dauidico ſanguini, cui adminiſtrando regno fidei ſuæ credito, vicariam operã Aſſamonæi nauauerunt: cuſtodes verius, quam Domini Reip. Nunquã igitur ablatum eſt ſceptrum de Iuda, dum ij Rempubl. tenuêre. Poſtquam autem, extincto Antigono, ac pulſis Aſſamonæis, Herodes ab ſenatu Romano Rex appellatus eſt, tunc demum Iudæorum Regnum ab Dauidico ſanguine, atque ab Iuda translatum eſt. Nam neque ſenatus ea conditione dedit, vt Regiæ ſtirpi ſua iura ſeruarentur: neque Herodes alienum regnũ adminiſtrare, non ſuum tenere ſe credidit. Certe audito à Magis Regis Iudæorum ortu, veritus ne Meſsias is eſſet, cui Regnum diuinis oraculis portendi non dubitabat; eum vixdum etiam natum opprimere conatus eſt.

Locus ex Matth. vj. & alter ex Luca vj. perperam à Caſaubono explicatus expenditur.

CAP. XI.

IGNOSCENDVM non nemo Caſaubono fortaſſe cenſuerit; quod in vaticinij tam multis inuoluti difficultatibus, vt ſummis etiam ingenijs negotium faceſſat, expoſitione non ita feliciter ſit verſatus. quid ſi locum è nouo teſtamento planum admodum, apertumque protulero, in quo exponendo tres amplius paginas ineptierit; etiamne rei obſcuritati condonandum aliquid, non infelicitati ingenij, inſcitiæque confidentiſsimi Grammatici tribuendum dicemus?

Matth. vj. verba Domini ſunt προσευχόμενοι μὴ βαττολογήσητε ὥσπερ οἱ ἐθνικοὶ quæ Latinus interpres ita reddidit; *Orantes, nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciunt.* Quæ, quia ita reddita, ambiguitatis nonnihil habent, ne prolixas preces damnatas à Domino, qui paucis orandum docuiſſet, ſciolus aliquis è Lutheri officina ſectarius diceret, anno XXXII num. XIV. monet Baronius, *Non ex eo inferendum, vel exiſtimandum quod reprehenderit Dominus*

 proli-

prolixum pſalmorum cantum. Nam & in templo, inquit. *frequens, multiplexque erat pſalmorum cantus. Sed dum ait: Quod Ethnici faciunt; ad ſuperſtitioſam illorum obſeruationem alludit. vnde textus Euangeliſtæ non habet πολυλογίαν* ſed *βαττολογίαν quod non ſimpliciter multiloquium, ſed inanem ſermonem demonſtrat.*

Hic ſummi viri per calumniam traducendi oblatam ſibi occaſionem ratus Caſaubonus; *Negat,* inquit, [Baronius] *prohiberi à Domino prolixũ pſalmorum cantum, quo vetus Eccleſia plurimum vtebatur.* Veteris Eccleſiæ, nulla apud Baronium mentio, cum in templo frequentem, ac multiplicem fuiſſe pſalmorum cantum memorat; de Ieroſolymitano Iudæorum templo loquitur; in quo viguiſſe canendorum pſalmorum vſum, ſine cuiuſquam reprehenſione, certiſsimum eſt. Sed quid tandem reprehendat audiamus.

Hoc etſi verum eſt; ratio tamen, quam affert, magnam ipſius incogitantiam arguit. Quid ita vero Vir bone? *Sic enim,* ait, *vnde textus Euangeliſtæ non habet πολυλογίαν, ſed βαττολογίαν. quod non ſimpliciter multiloquium, ſed inanem ſermonem demonſtrat.* Quid? negare ne potes aut Græcè ita apud Euangeliſtam legi; aut percepta vocabuli eius vi, dubitari nulla ratione poſſe, quin prolixas precationes non vituperet Dominus, dum eæ offerantur *corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta?*

Hoc, inquit, *quid ad rem? Cantus enim pſalmorum, & ſi vaticinijs, doctrina & δοξολογίᾳ habet preces permixtas non raras; proprie tamen ad prædicationem laudũ Dei ſpectat: Deum autem laudare, & quidem formulis è ſacra pagina depromptis nemo queat nimis, vel ſi dies totos, noctes totas illi officio pietatis impendat. Chriſtus vero non de prædicatione laudum Dei agit; ſed de modo concipiendi preces priuatas, quoties piorum aliquis opem, atque auxilium Dei, aut delictorum veniam vult impetrare.*

In quibus videlicet impetrandis, Caſaubone, etiam *formulis è Diuina pagina depromptis nimius eſſe quis queat, ſi vel dies totos; noctes totas illi officio pietatis impendat.* Iam Dauidis miſereor, cui peccatum ſuum ſemper obuerſabatur ob oculos, *vt dies totos noctes totas* plorando, implorandaq; diuina clementia tranſigeret. Nam quod in Pſal. CXVIII. verſus CLXXVI. in petendâ diuina gratia, ad intelligendâ, implẽdaq; Dei mandata poſuerit; cum id neq; neceſſarium, neq; vtile foret; excuſatione profecto dignus non eſt. At ille vt erat vel natura contumax, vel parum exercitatus in Spiritu, Iſraelem etiam docuit tam multis diuinam miſericordiam, non tam demereri, quam fatigare. Quanquam ne Chriſtus quidem ipſe Dominus Caſaubonianum hoc orandi præceptum ſatis intellexiſſe uiſus eſt: qui & ipſe ter ad orationem continenter redijt, *eundem ſermonem dicens; cum factus in agonia prolixius oraret; & pernoctauit in oratione Dei:* & parabolis etiam adhibitis, docuit *oportere ſemper orare, & nunquam deficere,* vt ea orandi, atq; implorandæ diuinæ benigni-

tatis

tatis conſtantia, velut importunitate id impetremus à Deo, quod volumus. Qua Chriſti præceptione inductus ſcilicet in fraudem Paulus Apoſtolus, *orationi inſtantes eſſe, ac ſine intermiſsione orare nos iubet.* Quod ſi ne ſatis quidem, pacem, ac veniam ſiue publicis, ſiue priuatis precibus à Deo petere poſſumus: quod iſtud diſcrimen inter diuinarum laudum cantus, ac preces infelix grammatice ſomnias? Neque vero tolerabilius diſputat, cum diuinarum prædicationem laudum negat ad orationem pertinere, quam in nuda petitione poſitam eſſe putat. Nam vt lib. III. cap. XXIV. orthod. fid. præclare diſputat Damaſcenus, oratio duabus veluti partibus continetur; *aſcenſione animæ in Deum, ac petitione dicentium.* Quæ cùm ita ſint, etiam ſi concederem maximam pſalmorum partem *doctrina, vaticinijs* δοξολογία conſtare, quod ſine controuerſia falſum eſt, cum vix vllus pſalmus petitione aliqua careat; non pauci in petenda ope, implorandaq; Dei clementia toti ſint. Sed ſi ita eſſe concederem, tamen pſalmorum cantus cùm *ad aſcenſionem animæ in Deum* faceret, ad orationem neceſſario referretur. Neque vero dubium eſſe poteſt, quin ea, quam *aſcenſionem animæ in Deum* appellat Damaſcenus, ita neceſſario cum oratione coniuncta ſit, vt ſine ea oratio eſſe nulla poſsit. Oportet enim, vt 2. 2. q. 83. a. 1. ad 2. notat S. Thomas, *ad Deum accedere à quo quis petit:* quod cum non fiat, metiendis locorum ſpatijs (*neque enim longè abeſt ab vnoquoque noſtrum*) reliquum eſt vt mentis coniunctione fiat, non ſolum amicitiæ caritate; ſed etiam ea quam, quia orationis eſt propria, *vnitatem animæ cum Deo ſubſtantialem orationis* appellat, eum locum explicans Caietanus, quam ait oratione ipſa fieri. *Et hæc,* inquit, *eſt vnitas applicationis, qua mens ſe ipſam, & ſua exhibet Deo in famulatu, & in cultu affectuum, precum, meditationum, & exteriorum actionum.* Diligentius enim, attentiusque perpendenda maieſtate, ſapientia, bonitate, caritate, iuſtitia Dei; fidei, ſpei, caritatis, humilitatisque excitatur ardor; quo repræſentatur, & conciliatur petenti Deus. Quod vſque adeo cum oratione coniunctum eſt, vt ea ipſa precandi formula, quamuis alioquin breuiſsima, quam è diuino Chriſti ore accepit Eccleſia, inde ducatur. Nam & cum Patrem vocari iubet, ſubiecta oculis ſingulari eius in nos beneuolentia, caritatem, ac fiduciam excitat: & cum *in cælis* verſari eum monet, non ſolum à terrenis, fluxisq; bonis ad æterna nos auocat; ſed etiam maieſtatem, atq; omnipotentiam eius in memoriam reuocat, vt humilitatem eliciat. Cum ergo diuinarum laudum prædicatio ad eam orationis partem pertineat, qua mens in Deum attollitur, qui poteſt aliena ab oratione indicari?

Adde quod ſiue certa à Deo beneficia petas, ſiue opem, atque auxilium eius implores, vt adſit, cum opus fuerit; *requiritur,* inquit S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 17. *etiam ratio impetrandi, quod petitur: & hoc vel ex parte Dei, vel ex parte petentis.*

tentis. Ratio quidem impetrandi ex parte Dei eſt eius ſanctitas, propter quam petimus exaudiri, ſecundum illud Danielis; Propter temetipſum inclina, Deus meus, aurem tuam. Ratio vero impetrandi ex parte petentis eſt gratiarum actio, quia de acceptis beneficijs gratias agentes meremus accipere potiora. Quis autem non videt cũ ad id, quod requiritur ex parte Dei, tum ad id, quod requiritur ex parte hominis, diuinarũ laudũ prædicationem pertinere? cum & cum nobis conciliemus, cuius laudes extollimus; & quandam ei conferendi beneficii neceſsitatem imponamus, cuius præſtantiam celebramus.

Nec ſum equidem ignarus cũ Apoſtoli locum ex 1. *Timoth.* II. *Obſecro fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones*, quem locum art. illo. 17. exponit S. Thomas varie à varijs explicari, quod Benedictus Iuſtinianus Magiſter meus egregie adnotauit; ſed nemo tamen negat à S. Thoma ea verè de oratione diſputari. Quanquam ſi eum ipſum Apoſtoli locum vrgere libuerit; aperte effecturus ſum perperam à Caſaubono vim omnem, ac naturam orationis in nuda poſtulatione collocari. Nam gratiarum actiones, quas eo loco in orationis partibus diſerte numerat Spiritus ſanctus; nihilo magis, quam diuinarum laudum prædicatio, in petitione continentur. Aut ergo, more maiorum ſuorum, gratiarũ actiones, ne moleſtæ ſint, expungat ex eo loco; aut agnoſcat præter poſtulationem, aliquid aliud ad orationem pertinere. Sed quando Baronianam non probat, quam ipſe interpretationem afferat, audiamus.

Non βαττολογίαν modo, ſed πολυλογίαν etiam contendit reprehenſam, quod ſubijciat Dominus, *putare Ethnicos, quod in πολυλογίᾳ ſua exaudiatur*. Ridicule. Nam πολυλογίας nomen, quod videri poteſt ambiguum, quo ſenſu accipiatur à Domino, ſatis indicant verba proxime ſuperiora. Neque enim prolixas precationes, ſed inanem verborum multitudinem vituperat is, qui & ipſe *pernoctabat in oratione Dei; & orare nos docuit, ac nunquam deficere*, Multiloquium ergo reſecat Dominus: ſed quis *longiſsimam, longeque optimam*, vt eam appellat M. Tullius, Demoſthenis de corona orationem multiloquij damnare auſit? Quis Tacitum, quis Plinium, quis Ariſtotelem tam multorum voluminum ſcriptores multiloquos dixerit? Egregie Gregorius Nazanzus Epiſc. iij. *Breuiloquentiſsimum Homerum verboſum ſibi videri* ſcribit, *Antimachum, quod rebus non literis id æſtimari opus ſit neque laconicum ſcribendi genus in eo poſitum eſſe, ſi paucas omnino ſyllabas ſcribas: ſed ſi paucis plurima comprehendas.* Sed homo oculis magis, quam mente verſatus in libris, perbreues, ac paucis cõprehenſas ſyllabis orationes eo loco præcipi Chriſtianis probat Latini interpretis auctoritate, qui verba illa μὴ βαττολογήσητε vertit; *Nolite multum loqui.* Cui videatur adſtipulari Hieronymus, qui; *Ad hanc*, inquit Caſaubonus, *Græci, Latinique textus diuerſitatem*,

tem, ſilet. Accedere etiam Clementis lib. VII. ſtrom. auctoritatem, *qui diſerte neget Chriſtianum* τῇ διὰ στόματος οὐχὶ πολυλόγῳ χρῆσθαι *oratione, quæ ore fiat multiloqua vti.* Ac ne Græcis tantum, Latiniſque rem tranſegiſſe videatur; Syrum etiam, atque Arabem interpretem adhibet. *Nam Arabem quidem* τὸ βαττολογεῖν *expreſsiſſe verbo, quod multiplicare ſignificet: Syrum voce vſum obſcura illum quidem ſignificationis vocabulo; ſuſpicari tamen viros eruditos, eam ab radice Hebraica deduci, quæ ſcaturire aquam ſignificet: vt per Anguſtum Phialæ collum aqua manat, & ſtrepitum edit; quod propriè Latinis, bilbere, aut bilbire ſit.* Quæ ſi vt legit, ita etiam intellexiſſet; nunquam profecto protuliſſet. Quid enim ex ijs aliud efficiet, niſi vim Chriſtianæ precationis in ſenſu animi ſeſe effundentis coram Deo, non in verborum inani ſtrepitu poſitam eſſe? vt quo plura pronunciaris, hoc plus ad demerendum tibi Deum in precib. tuis ponderis ſit futurum? Qua perſuaſione inducti Ethnici, quod vim flectendi numinis hærere in verbis putarent, credebant fore, vt *in multiloquio ſuo exaudirentur.* Quo reſpiciens Auguſtinus Ep. CXXI. cap. X. *Nobis,* inquit, *verba neceſſaria ſunt, quibus commoueamur, & inſpiciamus, quid petamus; non quibus Dominum ſeu docendum, ſeu flectendum eſſe credamus.* Cæterum Anna Samuelis mater, *cum eſſet amaro animo, orauit ad Dominum, flens largiter, ac multiplicauit preces coram Domino, cumque loqueretur in corde ſuo, tantumque labia eius mouerentur, neque vox exaudiretur, aſcenditque clamor eius ad Dominum, in cuius conſpectu effuderat animam ſuam; atque ex multitudine doloris, ac mæroris ſui* tandiu loquuta, probauit ſeipſam illi, qui multiloquium in precibus improbat.

Quæ ex Chryſoſtomo, & Ambroſio commemorat, ad rem magis facere videri poſſunt. *Nam Chryſoſtomum tum in commentarijs in Matthæum, tum vero etiam clarius oratione altera de Anna Samuelis matre, docere è Chriſti, & Pauli diſciplina breues, & crebras fieri orationes oportere per modica interualla repetitas, idque ne oratio prolixior intentionem orantis frangat, & à propoſito auertat.* Ambroſij porro ea verba ex libro I. de Abel, & Cain cap. IX. laudat. *Diuinè Dominus Ieſus, & impenſe, & frequenter docuit orandum, non vt faſtidioſa continuetur oratio; ſed vt aſsidua frequenter effundatur.* Hic Caſsianum etiam addere poterat lib. II. de inſtit. Cap. X. Vbi Ægyptiorum Patrum ſententiam eſſe memorat; *Vtilius breues quidem orationes ſed creberrimas fieri: illud quidem vt frequentius Dominum deprecantes, iugiter illi cohærere poſsimus: hoc vero, vt inſidiantis diaboli iacula, quæ infigere nobis tunc præcipue, cum oramus, inſiſtit, ſuccincta breuitate tentemus.* Et col. X. cap. XXXVI. *frequenter quidem, ſed breuiter eſt orandum, ne immorantibus nobis, locum, vel tempus, inſerere aliquid noſtro cordi inſidiator poſsit inimicus.* Neque diſsimilia ſunt, quę Ep. CXXI. cap. X. ad Prob. ſcribit Auguſtinus. *Dicuntur in Aegypto fratres*

crebras

Digitized by Google

crebras quidem habere orationes,ſed eas quidem breuiſsimas,& raptim quodam modo iaculatas;ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum neceſſaria eſt,per productiores moras euaneſcat,atque hebetetur intentio.

Sed hæc id modo vnum probant, quod eo loco ſubijcit Auguſtinus. *Per hoc,*inquit,*etiam ipſi ſatis oſtendunt,hanc intentionem,ſicut non eſt obtūdenda, ſi perdurare non poſsit;ita,ſi perdurauerit,non cito eſſe rumpendam.* Nam, vt is eo ipſo cap. diſputarat, *Cum diu orare vacat,non eſt improbum,nec inutile. Neque enim hoc eſt orare in multiloquio, ſi diutius oretur. Aliud eſt ſermo multus aliud diuturnus affectus: nam & de ipſo Domino ſcriptum eſt, quod pernoctauerit in orando,& quod prolixius orauerit. Vbi quid aliud,quam nobis præbebat exemplum?* Quem locum ita denique concludit; *Abſit ab oratione multa loquutio:ſed non deſit multa precatio ſi feruens perſeuerat intentio. Nam multum loqui,eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis. Multum autem precari eſt,ad eum,quem precamur, diuturna,& pia cordis excitatione pulſare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitib. quam ſermonibus agitur: plus fletu,quam affatu. Ponit autem lachrymas noſtras in conſpectu ſuo,& gemitus noſter non eſt abſconditus ab eo,qui omnia per verbum condidit,& humana verba non quærit.* Ea propter 2.2.q.83.a.14.hac ipſa de re diſputans S.Thomas; *Vniuſcuiuſque rei quantitas,*inquit,*debet eſſe proportionata fini,ſicut quantitas potionis,ſanitati: vnde & conueniens eſt,vt oratio tantum duret,quantum eſt vtile ad excitandum interioris deſiderij feruorem. Cum vero hanc menſuram excedit,ita,quod ſine tædio durare non poſsit,non eſt vlterius protrahenda.* Et infra *Sicut hoc eſt attendēdum in oratione ſingulari per comparationem ad intentionem orantis; ita etiam in oratione communi per comparationem ad populi deuotionem.*

Sed Grammaticum obliuiſci non poteſt; ac niſi quid è Græcia, vel Latio repetat, perijt Caſaubonus. Exemplum profert ex Aeſchylo in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις vbi Thebanas mulierculas multa precantes facit poeta; ac *Multiloquium,*inquit,*primo in illis eſt inſigne. verſiculis enim amplius centum abſoluitur illa ſupplicatio.* Hic monēdus erit, Caſaubono, Dauid, vt pſalmū CXVIII. contrahat, qui hac Thebanarum mulierum ſupplicatione plus ſeptuaginta verſibus maior eſt. Πολυλογίας porro eius duas affert cauſas; alteram numinum, quæ colebant, multitudinem, à quibus cum ſingulis opem nominatim poſcerent, preces in infinitum trahebant. Vbi præter idololatriam, vitium nullum eſt. Quid enim, ſi vera fuiſſent ea numina? vitione verti cuiquam poſſet, quod ea imploraſſet? Alteram eam cauſam recenſet, quod *Deos ſuos coaceruatis elogijs,& congeſtis titulis implorare ſoliti eſſent.* Quocirca Dianam apud Callimachum ab Ioue cum virginitate petere πολυωνυμίην. Eius, ni fallor, perſimilem, quam apud Prophetam legimus pſal. LXXXV. *Et tu, Domine Deus miſerator, & miſericors, patiens, & multa miſericordia, & verax.* Quo

reſpe-

reſpexiſſe etiam videntur Leuitæ ij quorum cap.IX. Nehem. v.17. voces eæ ſunt. *Tu Deus propitius, clemēs, & miſericors, lōganimis & multæ miſerationis.* Quis interpres ſcripturarum ex Diomede Caſaubonus, cum permultis id genus alijs, critica licentia, quod Ethnicum neſcio quid naribus ſuis oleant, aut expunget è ſacris voluminibus, aut retenta damnabit.

Battologiam in illis apud Aeſchylum precibus *multo inſigniorem* reperire ſibi videtur, *quod ſæpiſsimè verbis ijsdem eadem ſententiæ repetuntur de circunſtante periculo, & magnitudine metus ſui.* Quid autem ea repetitione frequētius occurrit in ſacris literis? vt ſi battologiæ damnari eam oporteat, nō exiguam ſcripturarum partem induci neceſſe ſit. Lege Danielem cap. IX. quid ex eius bene longa oratione relinques, ſi has repetitiones ex ea tollas? Ac ne Eſdræ quidem oratio lib.I.cap.IX. vlla re fere alia, quam repetitionibus continetur. Quid in Pſalterio? Quam frequens, atq; adeò perpetuus eſt harum repetitionum vſus? Omittam pſalmum CXVIII. qui totus ferè repetitionibus earundem rerum conſtat. Quid illa pſalmi omnium notiſsimi qualia ſunt; *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam; & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Nonne eadem eſt vtrique verſui ſubiecta ſententia? Non contentus ea repetitione, non illud etiam adijcitur? *Amplius laua me ab iniquitate mea.* & tamen quaſi ne ſic quidem ſatis dixiſſet, *& à peccato meo,* inquit, *munda me.* βαττολογίας igitur accuſet Spiritum ſanctum Caſaubonus, quod quater aliis, atque aliis verbis per Dauidem expreſſerit id, quod voculis omnino quatuor petere docemur à Domino cum oramus; *Dimitti nobis debita noſtra.* præſertim, quod non ita multo poſt eodem redit Propheta. Quorſum enim ea ſpectant? *Aſperges me hyſopo, & mundabor; lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Auerte faciem tuam à peccatis meis; & omnes iniquitates meas dele.* Obuerſabatur ob oculos viro ſanctiſsimo peccatum ſuum, quod quanto deteſtabatur ardentius; tanto vehementius commouebatur: quo fiebat, vt nihil ferè cogitare, nihil eloqui poſſet aliud. Neque inanis ille, aut nimius ſermo eſſe poterat, qui gemitum rugientis coram Deo cordis conſequebatur. Et *ponebat is in conſpectu ſuo lacbrymas eius; neque abſconditus gemitus eius eſſe ab eo poterat, qui omnia per verbum condidit; & humana verba non quærit,* Illi ea verba ſubminiſtrabat affectus, quibus vſurpandis, componendoq; ad ſenſum illius animo, nobis ſubminiſtratur affectus. Vt in earum rerum meditatione, dum verba ſequimur, hæreamus: in quarum ille meditatione quod hæreret, repetebat eadem ſæpius, nec ſibi faciebat ſatis, quod minus diceret, quam doleret. Sed nonnulla alia breuiter percurramus.

Lucæ VI. dicitur *Dominus duodecim elegiſſe, quos & Apoſtolos nominauit.* quem locum anno XXXII. num. V. tractans Baronius, *Apoſtolos*, inquit, *ea de*

cauſa elegit Chriſtus, vt verbi prædicatione orbi caligine offuſo lumen veritatis impartirent. Quid hic Caſaubonus? Exerc. XIV. cap. IV. *Hæc deſcriptio*, inquit, *propter multiplicē omiſſionē vitioſa eſt.* Quærerem ab eo, ſi interrrogandi hominis poteſtas foret, qui ſciat deſcriptionē Apoſtolatus eā eſſe Baronio? Nam ille quidē totidē verbis teſtatur explicare ſe velle quo conſilio Apoſtolos Chriſtus elegerit. Ergone, ſi dentes ad ſcindendū, cōminuendumq; cibum, ſi oculū ad videndū, aures ad excipiendos ſonos, ad ingrediendū pedes homini à natura datos, hominē ipſum ad cæleſtē beatitudinē procreatū à Deo dixero, vitioſis deſcriptionib., aut omnino deſcriptionib. vſus dicar? Quid iam Chriſto Domino fiet, qui totidē pene verbis hoc ipſū expreſsit? Nā eius, ni fallor, ea verba ſunt apud Ioannē; *Ego vos elegi vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Quid cum filiū ſuū alloquens apud Iſaiā cap. XLIX. Pater? *Dedi te*, inquit, *in lucem gentiū, vt ſis ſalus mea vſq; ad extremū terræ.* Quorū ſunt ea ſimilia apud eundē cap. LV. *Ecce teſtem populis dedi eum; ducem ac præceptorem gentibus.* hæc igitur cum vſurpat Deus, ipſe ne etiam vitioſæ deſcriptionis damnabitur? Sed quid tandem in hac Baronij, ſi ita libet, deſcriptione Caſaubonum male habet?

Quod Apoſtolatū, inquit, *laxè de induſtria videtur deſcripſiſſe Baronius, ne accuratiore oratione multos honore ac dignitate excluderet, quos ipſe alibi appellat Apoſtolos; & eorū munus verū Apoſtolatū fuiſſe contendit.* Cui autem eorū, præter eos, quos vel calūniator ipſe nō negat Apoſtolos proprie dici, aptari poteſt Baroniana hæc quā Caſaubonus deſcriptionē appellat? cū Apoſtolos hic eos nominet, *quos Chriſtus ea de cauſa elegit, vt verbi prædicatione orbi caligine offuſo lucē veritatis impertirēt?* An Bonifaciū quoq;, ac cæteros quos certe alicuius gentis Apoſtolos dici nō patitur Caſaubonus, Chriſtus elegit ipſe per ſe, *aut miſit, vt orbi non certæ cuipiam genti caligine offuſa, lucem veritatis impertirent?* Sed Caſaubonianam Apoſtolatus deſcriptionem audiamus.

Inter proprias Apoſtolorum notas ſunt hæ duæ quod à Chriſto immediate electi, ac miſsi ſunt, vt eſſent teſtes reſurrectionis ipſius, & omniū quæ vidiſſent. Has deinde conditiones explicans, *neceſſarium fuiſſe*, idque ex cap. I. Act. v. 21. 22. ſatis colligi putat, *vt quicunque eſſet futurus Apoſtolus Chriſtum in terris vidiſſet: atq; earū rerum teſtimonium poſſet præbere quarum ipſe extitiſſet* αὐτόπτης. His duas præterea conditiones addit, *quod miſsi ſunt in mundū vniuerſum, ac iuſsi prædicare Euangelium omni creaturæ. Quodque poteſtatem longe maiorem, atque auguſtiorem acceperunt, quā vlli vnquā alij poteſtati Spirituali fuerit attributa.* Quibus enumeratis, *Hæ notæ*, inquit, *nulli vnquā mortaliū competierunt, aut cōpetere poſsunt, præter illos duodecim Apoſtolos, qui ſunt à Domino instituti; & Matthia, Paulo, & Barnaba, qui poſtea in illum diuinum chorum ſunt cooptati.*

Vtinam ſummi viri Benedicti Iuſtiniani de Apoſtolatu diſputationē in ſuos

Digitized by Google

ſuos cōmentarios trāſtuliſſet Caſaubonus, vt mutila modo quædā, ac trūca ex ea mutuatus, corrupit omnia. Nō ero in hac diſputatione longior, ne tædiū lectoribus afferā. fontes modo dubitationis indicabo. Primū, qui probare poteſt Barnabæ Chriſtū in terris viſum? quē tamen, ſine cōtrouerſia fatetur Apoſtolū fuiſſe. Deinde, ſi Paulo Chriſtus in terris viſus, aut diſceſsit à dextera patris, aut in cœlo ſimul ac terra fuit, quorū alterū nemo dicit: alterū Caluiniani pernegāt. Adde quod ſi eæ notæ in duodecim ijs, quos Chriſtus inſtituit, atq; in Matthia præterea, Paulo, ac Barnaba reperiuntur; Iudā quoq; qui fuit è duodecim, teſtē reſurrectionis Chriſti (huc enim præcipue ſpectare Apoſtolorū teſtificationē vult) atq; in mundū vniuerſum, *vt prædicaret Euangeliū omni creaturæ*; & quidem cum ampliſsima Spirituali poteſtate ab eo miſſum fuiſſe neceſſe eſt. Quæ qua ratione cū hiſtoria Euangelica cohæreant, equidē non video. Illud ſatis cōſtat mandatū hoc *eundi in vniuerſum mundum*, & condendæ, regendæq. Eccleſiæ Apoſtolos à Chriſto nō ante accepiſſe, quā is rediret ab inferis. Iam Matthiam qui à Chriſto immediate electū ſuſtineat, non vſq; adeo facile explicatu eſt, cum eū, referente Petro ſimul cū Barnaba electū à fratribus, ac ſortito *cum vndecim Apoſtolis, annumeratum eſſe conſtet*. Ac ſi Chryſoſtomo credimus, Hom. I I. in Acta Apoſt. *Licuerit, & quidem maximè Petro eum per ſe eligere, qui ſortiretur locum miniſterij, de quo præuaricatus erat Iudas; verum id non fecerit, ne cui videretur gratificari.* Iam vt Apoſtolum Paulum ab ipſo Chriſto miſſum dicamus, qui ei ſeſe nō ſemel videndum obtulerat; electionem tamen Barnabæ vereor vt ad Chriſtū referre poſsit. Nam neque cum primum ab Apoſtolis Antiochiam miſſus eſt, Act. 11. Apoſtolus erat: & cum *miniſtrantibus Domino, & ieiunantibus Prophetis qui erant Antiochiæ cum Saulo ſegregatus eſt ad opus, ad quod aſſumpſerat eos Deus*, Spiritu ſancto iubente, atq; mittente factum id eſt; non à Chriſto, Act. XIII. Neq; vero multo ſe facilius expediet, ſi quis ex eo quærat, ſi Apoſtoli αὐτόπται eorū eſſe debuerunt, quæ erant humano generi tradituri; non ad Apoſtolorū prædicationem ſpectare putet ea omnia, quæ geſta ſunt ante quam à Ioanne Dominus baptizaretur. Nam ea quidem nemo eorū vidit, qui in Apoſtolis ab Euangeliſtis numerantur. Paulus vero ne inſtitutionem quidem cœnæ alia ratione tradere potuit, niſi quod eam accepit à Domino. Notat hom. I I. in Acta Chryſoſtomus in ſubſtituendo eo, qui Iudæ locum, & Epiſcopatū acciperet, virum à Petro requiri, qui cum eo verſatus eſſet, incipiens à baptiſmate Ioannis. *Et enim*, inquit, *quæ prius facta erant, nemo nouerat edoctus: ſed Spiritu didicerant.* Cæterum ſi habenda eſt ratio concionis eius Petri, vt quod ille requiſiuit in eo, qui adſcribendus erat in Apoſtolorum ſenatum pro Iuda; id neceſſarium ad Apoſtolatum dicamus eſſe; *niſi qui cum vndecim congregati fuerant in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter*

eos Dominus Ieſus, incipiens à Baptiſmate Ioannis, vſque ad diem, quo aſſumptus eſt in cælum; referri in eum numerum nullus poteſt. Nam & ſi, quod eo loco animaduertit Chryſoſtomus, reſurrectionis modo teſtes quærebantur, *non priorum temporum neque prodigiorum. Siquidem illa erant manifeſta & in confeſſis: hæc autem clam facta eſt; hisque ſolis erat manifeſta: tamen illi*, inquit, *magis erat adhibenda fides, qui poterat dicere; Qui edebat, qui bibebat, qui crucifixus eſt, idem reſurrexit.* quod in Paulum, nulla ratione, fortaſſe etiam ne in Barnabam quidem cadere poterat.

Locus è Matthæi XVI. *expenditur.*

CAP. XII.

CVM polliceretur Dominus, Matth. XVI. fore *vt ſuper petram ædificaret Eccleſiam ſuam, & portæ inferi non præualeant aduerſus eam*: de Petro ea dicta Catholici ſcriptores probant, quod Patribus etiam auctoribus, mercedem ijs verbis reddat Dominus eius confeſsioni. Non patitur id Caſaubonus Exerc. XIII. cap. XII. & quicquid demum in Petrū collatum ſit à Domino cum audiuit; *Tu es Petrus &c.* negat id merito fidei & confeſsionis eius tributum eſſe. Quod & ſi Patres id non raro docent; tamen *hæc doctrina*, inquit, *ſi vt verba ſonant, ſimpliciter accipiatur, cum doctrina Ieſu, & Apoſtolorum, quæ omnia tribuit gratiæ, non perſonarum proprijs meritis, manifeſtò pugnat*, quaſi non omnia gratiæ tribuat, qui ipſa Sanctorum merita Dei dona fatetur eſſe; qui per Spiritum ſanctum, quem in eorum cordibus diffundit, ita eos agit, vt cum reſiſtendi poteſtatem non tollat; tamen inſpiret obſequendi voluntatem, vt indeclinabiliter agat, quod ille vult. Sed hæc communis eſt Caſaubono cum reliquis Caluinianis blaſphemia: illa propria hominis vel inſcitia, vel impoſtura, quod in ſuā ſententiā Catholicos etiam ſcriptores trahit. *Non aliter*, inquit, *ſentiunt hodie Theologi inſigniores etiam illarū partium, quæ in hac diuiſione Eccleſiæ Dei à meritis ſtare videntur.* Ac ne ſine teſte, eoque locuplete, mentiri videatur, *Quam ob rem*, inquit, *Benedictus Iuſtinianus Ieſuita in tractatione de Apoſtolatu non ita pridem edita cap.* 11. *non ſolum eos refellit qui Apoſtolos propter merita putant fuiſſe electos; ſed etiam eos, qui cauſam electionis faciunt naturæ quandam aptitudinem, quæ ſit veluti ſolum, & gratiæ fundamentum.*

Quanto melius è culina ad Athenæi cænulas aliquid attuliſſet, ſi minus operam, iudicium certe laudaremus, quod ab artificio ſuo non diſceſsiſſet! Nam vir quidem ille præſtantiſsimus eo loco de vocatione Iudæ ad Apoſtolatum, non de Petri primatu diſputat. Neque verò continuo neceſſe eſt, ſi nullo ſuo merito aut Iudas, aut Petrus etiam ipſe vocatus eſt ad Apoſtola-

tum

tum;ne primatum quidem Petri cadere ſub meritum potuiſſe. Nam primã quidem gratiam nullo noſtro merito nobis tribui tam certum eſt,quam indubitatum eſt apud Catholicos omnes,bona ſanctorum opera nouam Dei gratiam promereri. Sit igitur ſanè primæ gratiæ inſtar Apoſtolatus,qui humana omnia merita neceſſario præueniat;quid impedit quo minus primatum inter Apoſtolos mereri potuerit Petri confeſsio? Quanquam ne id quidem agit Iuſtinianus,vt probet nullo ſuo merito Apoſtolos ad id munus electos eſſe: ſed vt doceat nullo ſolido fundamento eorum diſputationem niti,qui Iudam,quo tempore vocatus eſt ad Apoſtolatũ, iuſtum fuiſſe contendunt:quod eligi non,niſi bona,poſsint. Deum enim quos vel ad gloriam, vel ad efficacem gratiam primum elegit, ſemper indignos, ac peccatores eligere,plerumque etiam reluctantes vocare. Gratias vero gratis datas ijs non raro ab eo tribui,qui etiam tum in ſcelere perſeuerant. Electionem igitur Dei non ſemper bonum inuenire quem præferat;ſed præferendo dignum reddere quem coronet. Iam quia nonnulli ijs argumentis cõuicti electionis diuinæ diſcrimen,quod in ſanctitate,& iuſtitia nõ poſſunt, reponunt in aptitudine illa naturæ,id quoque refellit,non quod exiſtimet non potuiſſe eos,aut dignos à Deo reddi per gratiam,qui vocarentur ad Apoſtolatum;aut ad munus id accommodari,dum conderentur,cui eos iam inde ab omni æternitate deſtinaſſet. Sed quia hæc ipſa Dei dona ab æterna eius electione deriuarentur; electionis ipſius nullam afferri poſſe cauſam veriſsime docet: cum tamen neque ille,neque quiſquam,niſi hæreticus,neget conſequutionem ipſam & cæleſtis beatitudinis,& amplioris iuſtitiæ, & variorum Chriſti chariſmatum non modo poſſe,ſed plerumque etiam reipſa ſub meritum cadere. Ergo quod Petrum elegerit Deus,quem merito fidei ſuæ præficeret Eccleſiæ,ſolius gratiæ beneficium eſt; quæ ipſum fidei meritum non bonis eius operibus laceſsita; ſed nutu ipſa ſuo in eum finem contulit,vt per fidem dignum tanto beneficio redderet. quod tam inſigni confeſsione perfunctum reipſa in ſummum illum extulit dignitatis gradũ, fidei,quam prius ipſe inſpirauerat, merito tribuit. Triplex igitur eſt paucis ijs verbis Caſauboni peccatũ;primũ,quod quæ de electione ad Apoſtolatũ omniũ Apoſtolorũ cõmuni Iuſtinianus diſputat,transfert ad primatũ Petri; deinde,quod cum ille rationẽ modo aduerſariorũ refellat,de re non diſputet,Caſaubonus perinde ea citat,quaſi de re ipſa dicta eſſent; Denique quod quæ Iuſtinianus de electione ſcribit,quam priorem eſſe merito vltro concedimus,imperite iſte detorquet ad exequutionem electionis.

Sed Caſaubonus niſi luculenter deſiperet,ſatis muneri ſuo feciſſe ſibi nõ videbatur. Cum de ijs Domini verbis ſit ſermo; *Tu es Petrus,& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; vbi quod fundamentum Eccleſiæ, ac Petra conſti-

cõſtitueretur, ſuper quam ædificaretur Eccleſia; tributum eius confeſsioni, Patres teſtantur. *fuerunt*, inquit, *ex Patribus nonnulli, qui Petrum cæteris prælatũ dicerent, non propter meritum aliquod ſuum; ſed contra propter conſcientiam abnegationis.* quam autem tunc habere abnegationis conſcientiam Petrus potuit, cum ne ſuſpicaretur quidem fore, vt Dominus *traderetur principibus ſacerdotum ad illudendum.* Baronius quidem hæc ad annum Domini XXXI. refert. cum XXXIV. traditum memoret. Matthæus vero cap. XVI. poſt eam confeſsionem atque electionem Petri, auctor eſt, *Cum præcepiſſet diſcipulis ſuis Dominus ne cui dicerent, quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus, exinde cœpiſſe iis oſtendere quia oporteret eum ire Ieroſolymam, & multa pati à ſenioribus; remque eam Petrum abominatum, increpaſſe eum cum diceret: Abſit hoc à te Domine.* Quæ cũ ita ſint, Petrus cum confeſſus eſt eſſe eum *Chriſtum filium Dei viui,* ne ſuſpicabatur quidem fore, vt quidquam à Iudæis pateretur: *Et propter conſcientiam tamen abnegationis hæc audiuit Petrus à Domino,* ſi ſummo temporum ſupputatori Caſaubono credimus.

At etiam Mileuitanum Optatum in eam ſententiam citat; neque veretur, ne nihilo plus in Patribus, quam in ſcripturis intelligere, eum animaduertamus, præcipue cum ex eius lib. VII. illa ſubijciat; *Ecce, vt ſupra dictum eſt, cæteris non agnoſcentibus, ſolus agnouit; cæteris non promittentibus, ſolus promiſit; cæteris nec ſemel negantibus, ter ſolus negauit: & tamen bono vnitatis de numero Apoſtolorum ſeparari non meruit.* Quæ cum neque vllam faciant primatus mentionem, & ipſo hiſtoriæ ordine primum agnitam à Petro diuinitatem Chriſti, deinde effuſas eius promiſsiones fore, vt vel *cæteris negantibus nec negaret, atque ad carcerem, ac ad mortem adeo ipſam cum eo iret*: denique ipſam eius abnegationem, referente Optato, ſatis indicant, quæ in præclara illa agnitione conceſſa ei ſunt, ea propter abnegationem concedi non potuiſſe. Cum vero ſubijcitur; *Bono vnitatis eum de numero Apoſtolorum ſeparari non meruiſſe*; ſi ſignificatur, quod à condiſcipulis non diſceſſerit, eã ob rem Apoſtolatu non excidiſſe; id profecto Caſaubonum nulla ratione iuuare poteſt. Sin id potius Optatus ſibi voluit, conſuluiſſe Deum vnitati Eccleſiæ, dum eum in Apoſtolorum numero, etiam poſt abnegationem, retinuit; Caſauboni cauſam etiam iugulat. Conſultum enim vnitati docet idem Paulo poſt, dum peccator Petrus condiſcipulis eſt præfectus; vt moderator prolapſionis ſuæ memor, in ſumma poteſtate ne ſuperbiret; & ſibi conſcius infirmitatis ſuæ, ſciret fratrum infirmitatibus compati; & innocentes, cum ſubiectos ſe peccatori diuino cõſilio viderent, ne ſe in peccatores ſuperbè, atq; aſperè gererent. *Stant*, inquit, *tot innocentes, & peccator accipit claues, vt vnitatis negotiũ formaretur. Prouiſum eſt, vt peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderẽt contra peccatores, & quæ neceſſaria eſt vnitas, eſſe nõ poſſet.*

poſſet. Sed ea Optati verba cùm Petri Primatum apertiſsime adſtruant, meritum fidei eius non labefactant. Nam cùm confertur cum condiſcipulis innocentibus nocens Petrus, eique peccatori, atque nocenti ius aperiendi, claudendique innocentibus diſertè conceditur, non omnibus in commune, ſed ei ſingulariter tributæ à Domino claues apertiſsimè prædicantur. Cæterum claues regni cœleſtis, quas daturum ſe Petro Matth. 16. pollicitus eſt Dominus, tunc tradidit, cùm Ioan. 21. *oues ſuas paſcere eum iuſsit.* Deſignatus igitur eſt fidei ſuæ merito ſummus Eccleſię Pontifex: ſed antequam magiſtratum iniret, diuino conſilio permiſſus eſt ruere; *vt vnitatis negotium formaretur. Prouiſumq; vt peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores, & quæ neceſſaria eſt, vnitas eſſe non poſſet*, niſi & præpoſitus cum ſubditis, & ipſi inter ſe ſubditi mutua caritate, ac patientia nectерentur.

Sed quando de eo Matth. loco diſputatio nobis eſt, qui ſectarijs eſt *lapis offenſionis, & petra ſcandali*; operæpretium fuerit Caſauboni eum exponentis grammaticam Theologiam in medium proferre. Exerc. XV. cap. VIII. prolixam admodum tractationem inſtituit in hæc verba; *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã.* vbi inter alia negat quod Petrus Petra Eccleſiæ dictus ſit, ex eo primatum eius ſatis probari poſſe. Nec ſuccenſeo equidem homini cum ſuis deliranti: miſereor in commune omnium, quod occupatis errore, atque odio mentibus, non animaduertant, quod eſt in ædificio fundamentum, lapiſque primarius, cui reliqua moles imponitur, hoc eſſe in Rep. principẽ. Sed in præſentia quæ ſunt Caſauboni propria inſpicienda ſunt. Qui pag. 406. ita ratiocinatur. *Deus in Scripturis Tzur, hoc eſt, rupes vel Petra dicitur, auctore Moſe ben Maimon, in More Nebukim, admirandæ doctrinæ ſcripto: quia ipſe eſt principium, & cauſa, per quam facta ſunt omnia præter ipſum: non igitur quia rerum omnium dominetur, ſed ad indicandam originem rerum, & cauſam exiſtentiæ. Non eſt igitur neceſſe quia Petrus Petra Eccleſiæ dicitur, etiam principem & monarcham dici. Hic,* inquit, quiſquis ille eſt Andreas Schioppius, in lapide philoſophiæ reformatæ p. 28. *Ego profecto mecum dubitaui, qui Caſaubonum ſiccum, & ſanum in Gallia noueram, aliqua ne ipſum ex Anglicani cœli afflatu dementia inuaſerit; qui Iudæorum teſtimonio Eccleſiam oppugnet; quod nihil aliud eſt, quàm lupi ſuffragio, vt eſt in fabulis, agno vitam eripere, ſeque lautè ridendum propinare.* Mihi verò etiam mira viſa eſt hominis vel inconſtantia, vel amentia. Qui enim poteſt in re tanta Rabinis quicquam concedere? quibus præter Grammaticã, nihil, non dicam in rerum diuinarum tractatione, in quibus talpis cæciores eos facit; ſed ne in hiſtoria quidẽ tribuerit. Sed quærendus fuit aliquis oſtentandæ Hebraicæ lectionis locus, neque vero in tanta teſtium penuria quiſquam contemni, ſine cauſæ diſpendio,

ſpendio,potuit. Sed ſit ſane illud non Rabini neſcio cuius apellæ;

Qui pallentia ſulphurata fractis
Permutet vitreis;

Sed vt Caſaubono, propter inſcitiam omnia ſuſpicienti placet admirandæ doctrinæ ſcriptum: quænã iſta eſt è Lemano lacu dialectica? *Non dicit Maimonides Deum appellari petram: quia dominetur rebus omnibus creatis, Negat igitur eam etiam ob cauſam Petram dici poſſe.* An ſano cuiquam ferendus videri poteſt,ſi quis ita ratiocinetur? *Cum ſcribit Moſes,in principio creaſſe Deum cælum, & terram,non dicit Angelos ab eo conditos; negat igitur Moſes Deum Angelorum conditorem.* Aut quo ſimilior argumentatio ſit; *ſcribit in ſacra Geneſi Moſes conditum à Deo cælum,ac terram,neque ſubijcit eum rerum creatarum eſſe Dominum: negat igitur Moſes in eo libro Deum eſſe rerum creatarum dominum.* Quid? ſi quis Regem Angliæ Iacobum dixerit, neq; Scotiæ, Hiberniæque meminerit: continuò ne ea Regna ademiſſe illi dicendus eſt? Rogatus à Bethleemitis Samuel cur veniſſet; *ad immolandum Domino ſe veniſſe* reſpondit: at venerat etiam,vt Dauidem inungeret; ſed cauſam alteram vere attulit,alteram ſine mendacio, ac Deo quidem auctore diſsimulauit.

Iam vero quod maius,aut potius iuſtæ Dei dominationis in res oẽs creatas ius excogitari poteſt,quam quod eas nutu ſuo è nihilo ipſe condidit, conditasque conſeruat? *Inſtit. de rer. diuis.* tantum opifici in artificia ſua tribuitur,vt ſi ex aliena materia quippiam confecerit,quod in priorem maſſam redire non poſsit,id opifici addicatur. tabulas etiam,& membranas, ſi quis in eis literas exarauerit,pinxeritue,priori domino ereptas eo loco, artifici Imperator adiudicat, quod cum effectionis iure,literarum, atque picturæ dominus ſit,ius ſibi etiam in materiam,quæ eas ſuſtinet,quæſiſſe videatur. Quod ſi in rebus artificiatis tanta vis eſt efficiendi, in quibus præter rerum inter ſe compoſitionem,atque figuram,nihil efficit artifex;quid in creatis rebus dicendum erit,quæ cum procreentur è nihilo,nihil habent, quod acceptum Deo non debeant? Quæ cum ita ſint,non tacuit Maimonides ius in res omnes creatas diuinę dominationis:ſed in lectorem incidit grammaticum,hoc eſt in lingua magis,quam rebus intelligentem.

At etiam Homerum adhibet,apud quem Petra nonnunquam antrum in rupe excauatum ſignificet. & quia res ea difficilis admodum erat, nec ſine ſcholiaſte intelligi poterat, Euſtathium eius obſeruationis auctorem citat. Quis enim ſine interprete facile conieciſſet,cum Iliad. δ. Syluestrem capram exeuntem è Petra dixit Poëta;eũ metonymicè loquutũ, Petram, pro ſpelæo poſuiſſe? Nam in ſolidum quidem neque cauatum ſaxum capram recipi, indeque exire non potuiſſe,ſine monitore, quis ſibi perſuaſiſſet? Ergo ea eſt apud Homerũ vocis huius in eo verſiculo ſignificatio,ad quam vel Petrũ allo-

Digitized by Google

alloquens, alluſit Dominus, vel ſi Caſaubonus vera ſomniat, alluſiſſe eũ exiſtimarunt Patres, è fabulis videlicet interpretari diuinas literas ſoliti; *Hanc quoque rationem*, inquit *eius vocabuli* (Petræ quam apud Homerum habet) *veteres Patres Chriſto accommodarunt, quo melius exprimerent omnem Eccleſiæ firmitudinem in Chriſto eſſe, & à Chriſto.* Ita niſi Homerus prodeuntis è Petra capræ meminiſſet, ea verba non vſurpaſſet Chriſtus, aut non intellexiſſent Patres.

Nec deerat in ſcriptura locus, è quo ea quoque vocis huius ſignificatio peteretur: ſed Grammatici palato Homerus atque Euſtathius magis ſapiebat. Quid enim cum pſ. CIII. 14, *Petra* dicitur *refugium Herinacÿs*, eo uocabulo ſignificatur aliud, niſi Petrarum concaua, quo ſe recipit aut Herinacius, aut animal id quod Hieronymus in epiſtola ad Suniam & Fretellam, *vrſo & muri ſimile, nec maius ericio, quodque in Palaſtina frequens ſit, atque in cauernis petrarum habitet*; Hebraica voce eo loco ſignificari, auctor eſt. Quæ Dauidis verba Auguſtinus in eum locum, ac Bernardus ſerm. LXI. in Cantica ad Chriſtum accommodant. Bernardus vero etiam *foramina illa Petræ*, ad quæ refugere, Cant. II. iubetur ſponſa, de Chriſti vulneribus auctore alio quodã antiquiore ſe, intelligenda ſcribit. *Alius quidã*, inquit, *locũ hunc ita expoſuit: foramina Petræ vulnera Chriſti interpretans, rectè omnino. nam Petra Chriſtus. Bona foramina quæ fidem adſtruunt reſurrectionis, & Chriſti diuinitatem. Dominus meus*, inquit, *& Deus meus. Vnde hoc reportatum oraculum, niſi ex foraminibus Petræ. In his paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos ſuos: in his ſe columba tutatur, & circumuolitãtem intrepida intuetur accipitrem &c.* Habebat igitur è ſcripturis, habebat è Patribus quæ transferret ad rem ſuam; ſed omnino *quæ ſcimus loquimur*, neque ab artificio ſuo diſcedere grãmaticus potuit. Homero igitur auctore, ac, ſi Deo placet, etiam Euſtathio interprete, intellexerunt Patres, Petram apud Hebræos etiam Syroſque, pro cauerna nonnunquam, quæ in petra excauata ſit, accipi: atq; ea Domini verba, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, de Eccleſia expoſuerunt, *quæ ſit velut antrum quoddam tutiſſimum hominum receptaculum in rupe excauatum, quæ rupes eſt Chriſtus.* Atque intelligo equidem qua ratione ſpelunca in rupe dici poſsit Eccleſia, quo ſe grex Chriſti recipiat, vt ſe à ventorum, ac pluuiarum iniurijs tueatur. Sed qua ratione ſpelũca in rupe exciſa, ſuper petram ædificata dici poſsit, ingenuè fateor, me non intelligere. Nam neque, niſi abuti vocabulis velimus, ſpecus dum exciditur, ædificari dici poteſt; neque vero etiam ſi ædificandi vocabulum ad diuerſam adeo ſignificationem traducere libeat, ſuper Petrã ædificari dici poſſet. Non ſane magis, quã ipſa Petræ viſcera, in quæ ſeſe ſpecus inſinuat, ſupra Petram poſita dici poſſint. Quanquam ſi Petræ vocabulum pro ſpecu eo loco poſitum eſt; non

Digitized by Google

tam Eccleſia ſpecus, quam ipſa impoſita ſpecui dicenda erit, cum ſupra Petram ædificetur. Egregie, hac ipſa de re ſcribens, cognominis meus Schioppius in Elixir Caluinitico p. 28. *Requiro*. inquit, *in te iudicium, Caſaubone, præterquam quod enim Chriſtum Eccleſiæ facis θεμέλιον κρηπῖδα καὶ βάθρον ſubnixus Pindari teſtimonio, quod eſt gratis deſipere. Si Chriſtus ad Homeri locum alluſit, Petramque pro excauata rupe poſuit, non pro ſolido lapide; quo tandem conſilio potuit dicere ædificaturum ſe Eccleſiam ſuper hanc rupem, cum architectorum filij non cauatos, exeſoſque, ſed ſolidiſsimos quoſque lapides ad ædium fundamenta conquirant.*

Sed heus tu, Caſaubone, Græcis modo, atq; Hebraicis argumentis quintum Euangelium confirmabis? Latinis ſuperſedebis? Nihilne è Cæſarum vitis, nihil è Suetonio, delicijs tuis, in hanc cauſam deriuabis? *Inter Auguſti libertos*, iuquit, *erat Antonius Muſa medicus, qui apud patronum in præcipua gratia fuit. Fingamus huic Muſæ ſeruum fuiſſe, cui cum libertatem daret, & cognomen Muſæ ſimiliter imponeret, hæc verba dixerit; Tu es Muſa, & ſuper hac Muſa ſpes eruditionis tuæ erunt repoſitæ. Ecce Muſa, & Muſa, vt Cepha, & Cepha: an dicemus nomen eſſe vnicum bis poſitum? Minime. Nam priore loco Muſa eſt proprium viri nomen ſeruo illi impoſitum; poſteriore quia δεικτικῶς hoc pronunciatum eſt, de eo qui loquitur eſt intelligendum. Deinde propter genus fœmininum apparet eum, qui hæc dicat, non proprium ſibi nomen vſurpare, ſed metonymica loquutione doctrinæ ſuæ mentionē inijcere, vt ſignificet idoneũ ſe eſſe, qui ſerui, ſiue liberti ſui ſtudia curet.*

Quis iam magna mercede ineptiri in Britannia negauerit? cum tanto pretio conductum ex Gallia viderit, qui hæc in aula diſputaret? Nec reprehendo equidem quod cum ſatis eſſet *Antonium Muſam* dicere; libertum *etiam Auguſti, eumque gratioſum apud patronum in paucis*, addiderit: quod ad rem quidem, de qua agitur, non magis facit, quam ſi capillum etiam, colorem, oris conformationem, conſtitutionē corporis, *& genus, & proauos, totamque ab origine gentem* eius hominis addidiſſet. Ac ne illud quidem exagito, quod Muſam gentilitium nomen, viri propriũ eſſe dicit, perinde quaſi ipſa etiam Antonij filia, ſi quã habuit, Muſa dici non eo modo poſſet, quo Tullia, quo Terentia, quo Sempronia. Cauſam hanc, per me quidē, apud Grammaticos, & Philologos ſuos dicat. Illud, & ſi à Grammatica non recedit; quia tamen cum dialecticainterpretatione coniunctum eſt, ad dialecticos neceſſario referendum eſt, quod ſcribit in ijs verbis, *ſuper hac Muſa &c. quia δεικτικῶς hoc pronunciatum eſt; de eo, qui loquitur, intelligendum* eſſe, quaſi vero aut oſtendi præter eum, qui loquitur, nemo poſsit: aut quiſquã minus demonſtratiuo pronomine, quam is, qui loquitur, ſignificari ſolitus ſit. An cum Athenienſes illæ mulierculæ altera alteri inſuſurrarent; *Hic eſt ille Demoſthenes*; & cum in magnorũ uirorum notis illa etiam ponitur, *Im u-*

ſtrari

ſtrari digito prætereuntium ac dicier, hic eſt: an igitur quia hæc atque horum ſimilia δεικτικῶς pronunciata ſunt, venire cuiquam in mentem potuit, de ijs, qui loquerentur, intelligi debuiſſe? præſertim, cum demonſtratiuum pronomen, ſi vim eius conſideres, ad tertiam perſonam propriè referatur; neque ad primam accommodari poſsit, niſi de ſe, quaſi de tertia loquatur. Et vero qui in primam perſonam aliter conuenire poſsit pronomen; id; cuius ea vis eſt, vt cum incertum eſt de quo ſit ſermo, eum oſtendendo, indicet; quod niſi in tertiam perſonam cadere nequaquã poteſt. Nam prima quidẽ, ac ſecunda vſq; adeo ipſa vi loquutionis exprimuntur, vt ne earũ quidem pronomina adhiberi ſit opus, niſi ſi quando addendũ ſit pondus orationi. Quodſi δεικτικῶς dici ita accipiat, vt grammatici nonnunquam conſueuerunt, cum ſignificant, eum, qui loquitur tanquam de alio, ſic de ſe ipſo loqui, ineptiſsime nugatur, cũ ſcribit, quia *δεικτικῶς hoc pronunciatum eſt de ipſo; qui loquitur, intelligendũ eſſe.* Quis enim non dicam hominum, ſed plane pecudum, ignorare poteſt, quæ de ſe ipſo quis dixerit, ea de ipſo intelligi oportere? An ſi quis ita loqueretur; quæ de me dixero, de me dicta exiſtimatote; ferendum eum quiſquam exiſtimaret?

Sed Caſaubonus, ne quã grammaticæ parte omiſiſſe videretur, de nominibus, ac pronominib. Philoſophatus, genera etiã adijcit; *Deinde,* inquit, *propter genus fœmininũ apparet eum, qui hæc dicat, non propriũ ſibi nomen vſurpaſſe, ſed metonymica loquutione doctrinæ ſuæ mentionẽ inÿcere.* Non ſane magis ſuæ, quam alienæ, quantum quidẽ ad fœmininum genus, ac loquutionẽ metonymicã attinet. quid enim impedit, quo minus de tertia quoq; perſona loquens metonymia vti poſsis? Vt igitur indicet fœmininũ pronominis demonſtratiui genus metonymice poſteriore loco Muſæ vocabulũ adhiberi; ad libertũne, an ad dominũ ea metonymia pertineat? indicare profecto nulla ratione poteſt. Fac enim ita; *Tu es Muſa, & ſuper hac Muſa ſpes eruditionis meæ erũt repoſitæ.* Quis non videat metonymice adhibitũ Muſæ nomẽ ad libertũ referri, atq; doctrinæ, eius mentionem inijcere, vt ſignificet aptũ eum eſſe, qui domini ſtudia curet? At ita dicendũ fuit Caſaubono ſi integrã retinere vim ſimilitudinis voluiſſet. Itaq; nõ iniuria ſuccenſet homini cognominis meus Schioppius pag. 24. ac. *Videsne,* inquit, *ſtolidum caput mutaſſe te vim ſimilitudinis? cum ſeu per ignorantiam, ſeu per improbitatem tuam pronomen, perſonamq; mutaſti. Fac enim dixiſſe Muſam illum ad vernulam ſuum; Tu es Muſa, & ſuper hac Muſa ſpes eruditionis MEAE repoſitæ erunt: non vero, vt fingis, TVAE. iam vtrinque paria ſunt omnia, nec plus de diuerſo Muſa poterit intelligi figmentum orationis tuæ, quam vere apud Matthæum de petra oratio.*

Sed quando ex fœminino Muſæ, ac Petræ genere aperte colligi dicit metonymicè ea nomina, non proprie vſurpari, niſi ipſe in ſcripturis inueniat,

Digitized by Google

vbi maſculino nomine Chriſtus Petra ſit appellatus; Petram Chriſti proprium eſſe nomen profecto nunquam oſtenderit. Quæ cum ita ſint, immerito Lucam Brugenſem reprehendit, quod ad illuſtranda Domini verba hoc exemplum attulerit. *Perſimilis foret loquendi ratio, ſi Imperator militi nomine Leoni, rebus geſtis nomen exprimenti, diceret; Tu es Leo, & hunc Leonem præficiam exercitui meo.* Atqui, inquit Caſaubonus, *omiſit Lucas id, quod ad ſimilitudinem exempli, cum primis deſiderabatur, vt Imperatori hæc verba dicenti itidem, vt militi, quem alloquitur nomen eſſet Leoni. Quare ita potius aut ſimili modo exemplum erat concipiendum. Leo Imperator dicit Leoni militi; Tu es Leo, & ſuper hoc Leone ſita eſt ſpes omnis victoriæ.* Quæ tota diſputatio, niſi prius oſtenderit Chriſtum proprio, non translatitio nomine, *Petrã*, in ſcripturis dici, inanis profecto eſt. Quærat igitur in ſcripturis locum, vbi Chriſtus, *Petra*, maſculino genere dicatur; ac tum demũ Brugenſem grauem, & eruditum virum coquinarius hic Theologus reprehendat. Nam 1. quidem Cor. x. vbi Chriſtus *Petra* dicitur, proprie id nomen non vſurpari, ſatis non ſolum ex eo conſtat, quod fœminini generis *Petra* ibi apud Apoſtolum eſt ἔπινον ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης Πέτρας· ἡ δὲ Πέτρα ἦν ὁ Χριστός. ſed ex eo etiã multo maxime, quod non ſimpliciter *Petra*, ſed *ſpiritualis Petra* dictus eſt Chriſtus: quod apertiſsime oſtendit, quod nonnulla ſit *Petra* eius, quæ Iudæis ſiti laborantibus aquas fuderat, & Chriſti animos irrigantis ſimilitudo, trãslatione vocabuli Chriſtum *Petram* appellatum eſſe. Expectabo hic, dũ Caluinianus aliquis è gurguſtio miniſtellus ea mihi ſcripturæ teſtimonia proferat, vbi Chriſtus *Lapis*, & λίθος dicitur, ac triumphaſſe ſe credat, cum ſtrenue deſipuerit. Nam Lapis quidem, ac Petra, cum de Saxo dicuntur, non ſunt illa quidem idem prorſus nomen; ſed ſynonyma tamen fortaſſe ſunt. cum autem alterum de homine dicitur, alterum non dicitur; non modo idem nomen non eſt, ſed ne ſynonyma quidem ſunt, cùm neque vox, neq; res voce ſignificata ſit eadem.

Atque hæc quidem de Caſauboni Theologia hoc loco diſputata ſint: à quibus lector intelligat quantum in eo capite, non dicam ſcientiæ, ſed omnino ſalis, ac cerebri fuerit; in quo tamen ſpes omnes ſuas proteſtãtes Britanni repoſitas habuiſſe viſi ſunt, quod linguis pluribus deſipere didiciſſet.

FINIS LIBRI PRIORIS.

CASTI-

CASTIGATIONIS
EXERCITATIONVM ISAACI CASAVBONI
LIBER POSTERIOR,
QVO RELIQVA EIVS IN EO OPERE PECCATA DETEGVNTVR.

Caſaubonus in Patres, antiquitatem totam Eccleſiæ, ac ceteros vetuſtos Scriptores contumelioſus.

CAPVT I.

ALTER hic Caſtigationis Exercitationũ Caſaubonianarũ liber hoc erit fortaſſe ſuperiore iucundior, quod in argumento verſatur, non tantum magis vario, ſed minus etiam ſpinoſo atque recondito. Agemus de Caſauboni impudentia, impoſturis, & inſcitia tum linguarum, tum etiam antiquitatis. Liberanda eſt enim fides, demonſtrandumque, quod in Præfatione recepimus, non modò Theologiæ prorſus expertem, ſed nequam etiam, neque ſatis eruditum Grammaticum eum hominem fuiſſe. Incipiamus à modeſtia, quæ virtutum cæterarum index, & cuſtos eſt.

Non degenerauit à Maioribus ſuis Caſaubonus; quamuis ſtudioſum ſe antiquitatis, ac Patrum nonnunquam mentiatur. Non ſanè magis, quàm fieri poſsit, vt qui Caluinum fouet animo, veteri Eccleſiæ aſſentiatur. Qui enim vnius pectoris anguſtiæ capere eos poſsint, quos vt ſcripſit egregiè Campianus, *cœlum non capit*? Caſaubonus quidem ipſe cùm in Molinæi libro

Patres pro Caluiniana hæreſi citatos legiſſet; ſcripſit ad marginem *velle eius ſectæ dogmata Patrum teſtimonio probare; nihil eſſe aliud, quàm exquiſito inſaniæ genere inſanire.* vt nemo, cùm exercitationes eius legerit, dubitare amplius poſsit, quin eum nummi amor ad inſaniam adegerit. Nec diſsimulare tamen homo fanaticus inſitum ab ſecta in eos odium vſque adeò potuit, vt identidem ſeſe non proderet. Specimen lectoribus è prima exercitatione curſim præbebo. cætera per ſe quiſque facilè colliget.

Exercitationis eius cap. 1. pag. 5. *Iuſtinus*, inquit, *λόγον τὸν ὐσιώδη, καὶ ἐνυπόστατον, hoc eſt, ſecundam ſemper adorandæ Trinitatis perſonam, & λόγον, ſiue rationem humanam manifeſta, & periculoſa homonymia confundit.* Falsò id quidem, & imperitè, vt alio loco docui; ſed fac tamen ita eſſe. itane tractari vir tantus, ac talis debuit? Sed parum ſibi contumelioſus fuiſſe videbatur, ſi vnum Iuſtinum proſcinderet. Itaque nec ita multò poſt; *Multa*, inquit, *in illorum* [veterum Patrum] *monumentis occurrant ad vocis huius (λόγου) illuſtrationem eleganter, ingenioſè, addam & vtiliter, pro tempore excogitata: quæ tamen doctrinam parum ſolidam contineant.* Id etiam quale ſit alio loco diſputatum eſt. Interim quẽ antiquitati honorẽ habeat, nemo non videt. Cap. 11. pag. 8. cùm fateatur multo Patrum, ac veterum etiam Iudæorum de Iacobi vaticinio ſenſiſſe idem quod Origenes. *Hanc hypotheſim*, inquit, *apertè cum ſacris literis pugnare, ac proinde falſiſsimũ eſſe clarè liquet.* Bona verba Caſaubone. Quid enim iã ſupereſt? niſi vt totam ferè Patrum nationem aut ream hæreſeos peragas, ſi ſcientes à ſacrarum literarum auctoritate receſſerunt; aut minimè ferendæ inſcitiæ, ac potius ſtuporis damnes, qui, quod apertè adeò ſacris oraculis proditum eſt, non viderint. At pag. 16. ratione neſcio qua *vel maximè impulſos veterum nonnullos ſcribit: vt figmentum illud excogitarent de regno in tribu Iuda ad Chriſti aduentum ſemper manſuro.* neque veretur, ne, ſi quis obſignatis ſecum tabulis agere velit; fateri cogat id, quod cap. 3. pag. 24. ſcribit. *Sanctos illos piosq; viros, qui diras inter perſecutiones ad expoſitionem ſacrorum voluminum primi animum appulerunt; perſuaſum habuiſſe ſemper aliquem è poſteris Zorobabellis, & ſtirpe Dauidica Regem extitiſſe ad natum Chriſtum, aut mox naſciturum. Eamq; ſententiam ab inſignibus pietatę & doctrina viris profectam apud omnium ætatum eruditos, præter admodum paucos obtinuiſſe.* Quo autem ore expoſitionem viris omnium ſeculorum pietate atq; eruditione principibus ſemper probatã, figmentũ, & quidem cũ ſacris literis apertè pugnãs, vocare audet?

Modeſtus iam videri potuerit, cùm cap. 3. pag. 28. & 29. ſcribit; *Patres qui magno conſenſu, pleriq; omnes, Herodem ἀλλόφυλον prodiderunt. partim Africanum perperam præeuntem ſequutos; partim Ioſephi mentem non aſſequutos.* Et eſt Africanus non modo vetuſtus admodum, atque ipſi æqualis Origeni; ſed etiam, ſi Euſebio libro 1. cap. 6. hiſt. credimus, haudquaquam vulgaris ſcriptor

ptor

ptor, cuius eam ipſam, quam Caſaubonus contemnit epiſtolam, dignam catalogo ſuo beatus Hieronymus cenſuit: Cùm etiam in ea dicat; *Super* διαφωνία, *quæ videtur eſſe in Genealogia Domini Saluatoris apud Matthæum, & Lucam ab eo pleniſſimè diſputari*. Et fuit tamen Hieronymus ſagax inprimis in apocryphorum fabulis dignoſcendis, refellendiſque. Sed Caſaubono ea Africani epiſtola, atq; à Deſpoſinis accepta de Herodis origine, ac Domini genealogia narratio ita ſordet, vt *Patrum multos, Euſebium, Epiphanium, Ambroſium, & alios* reprehendat, *quòd lepidè compoſitam narratiunculam auidè arripuerint; & facilitate nimia vſi, meram fabulam pro vera hiſtoria lectoribus ſuis obtruſerint*. *Nam ſermonem hunc*, inquit, *Iudæorum Deſpoſinorum non pluris facere debemus, quàm ſexcenta ſimilis monetæ ſcripta, quæ illa prima ſecula produxerunt in lucem, plena fabularum, plena apertiſſimorum mendaciorum*. Audio: Caſaubonus in ſcriptis monetam quærit, neque apud eum, niſi, ſi quæ ad inflandam crumenam faciunt, vllo in pretio ſunt. Ergo antiquitatem omnem meritò auerſatur, ex qua, cùm aſſerendis Caluini dogmatis vſui eſſe nulli poſſit; nihil in marſupium ſuum deriuaturus ſit. Sed Africani, ac Deſpoſinorum fides Ioſepho homini ea gente nato incommodabat, quam gentem vſque adeò vel in Scripturarum interpretatione Patribus Caluinus prætulit, vt Lutheranus prædicans Hunnius librum eo argumento ſcripſerit; cui Epigraphen fecit, *Caluino Iudaizanti*. Porrò Ioſephi mentem, Patres aſſequutos negat; cùm pag. 30. eos ita ſtupidos, & ſtipites planè facit, vt ea ipſa, quibus adducti, Herodem alienigenam eſſe dixerunt, Ioſephi teſtimonia, *totidem eſſe certa, & inuicta argumenta aduerſus eorum ſententiam* conſtanter affirmat, *vt ex quibus neceſſariò ſequatur omnino fuiſſe Herodem non alienigenam, ſed Iudæum*. Hæc igitur, atque horum ſimilia cùm diſputat Burdoni ſuo pſeudoſcaligero, viro, vt ait, *genere, ingenio, & doctrina illuſtriſſimo* nimirum cauet; ex quo illud *argumentorũ omnium præcipuum* profert, quod cum Idumæi ipſo teſte Ioſeph. lib. 13. antiq. cap. 17. *integro ferè ſeculo antè regnum Herodis ad Iudæorum ſacra religioneſq; tranſiſſent, atq; à prima origine fratres Iudæorum eſſent; nihil iam eſſet, cur Iudæi non cenſerentur*. En illa Patribus in Ioſepho ignota myſteria, quibus in pompa geſtandis, Scaligero ſuo initiatus, Burdoniorum baiulus prodit Caſaubonus. Nã cuius demùm ſtuporis eſt, non vidiſſe totam eam argumentationem ambiguitate vocabuli contineri? Ac Iudæos interdum eos dici, qui ſui generis originem ab Iacobo repetunt, quamuis patria ſacra, religioneſq; deſeruerint: interdum hoc vocabulo cenſeri quocũq; demùm ſanguine orti ſint, qui Moſaica inſtituta, ac cæremonias æmulantur, Herodemque, quamuis religione Iudæum, tamen Idumæum genere, hoc eſt, alienigenam fuiſſe. Nec Africano vni eam leuitatis notam inurit. audi quid de Epiphanio, viro, vel conſeſ-

Digitized by Google

feſsione ſua, *ſanè maximo*, ſcripſerit, Exercit. x v. cap. v i i. pag. 349. *Leuibus*, inquit, *auditiunculis, neſcio vnde acceptis, facilè nimis aliquando fidem habuit*. Quid aliud de anicula ſcriberet, aut quibus verbis exaggerari cuiuſquam in credendo leuitas magis poſſet?

Lege mihi etiam ipſam decimi capitis primæ exercitationis inſcriptionem: videbis, quo loco naſcentem ipſam Eccleſiam habeat. *Solemne fuit primis Eccleſiæ temporibus*, inquit, *bono fine libros falſos ſcribere*. ſatiſne paucis hiſce verbis antiquitatem omnem proſcidiſſe viſus eſt? Audi iam pag. 73. hæc ipſa fuſius proſequentem. *Video*, inquit, *primis Eccleſiæ temporibus quàm plurimos extitiſſe, qui facinus palmarium iudicabant cæleſtem veritatem figmentis ſuis ire adiutum: quò facilius videlicet, à gentium ſapientibus admitteretur: Officioſa hæc mendacia vocabant, bono animo excogitata*. Non vnum aliquem, non paucos, non etiam multos, ſed *plurimos*, ac ſi Deo placet, *quamplurimos* in illa tum primum orientis Eccleſiæ paucitate mendaciorum artifices, ac promouendi Euangelij ſtudio fabularum concinnatores ac falſarios facit. Nunc demum intelligo non ſine cauſa pleniſsimam hanc officij diſciplinam iſtis Eccleſiæ deformatoribus tantopere placuiſſe, vt non modò libros ſuos mendacijs farcinant; ſed etiam quòd Hieronymus Bolſecus Hermes à Caluinianis miniſtris accepiſſe ſe in vita Caluini cap. xx. memorat; fuerit hoc in *Geneuenſi Eccleſia certum, & conſtitutum quaſi dogma, vbi Dei gloria ageretur, mentiri; & mendacium deinde veritatis ſpecie fucare non modo licitum eſſe, ſed nonnunquam neceſſarium*. Quidni enim hoc agerent? cùm ad eius Eccleſiæ normam, ac ſpiritum exigerent omnia, in qua *quamplurimi palmarium facinus iudicabant cæleſtem veritatem figmentis ſuis ire adiutum*. Caſaubonus quidem, vt Geneuæ diu cum Beza verſatus, genuinum Caluini ſpiritum hauſerat, ſtrenuam toto hoc opere, imponendo, mentiendoque quinto Euangelio nauat operam. Et tamen quia ab omni mendacij ſuſpicione alienum eſſe neceſſe eſt, eum, qui ſeriò mentiri, ac fallere velit: *hoc eorum conſilium*, pag. 75. *vehementer improbo*, inquit, *& toto pectore deteſtor. Facit enim veritati iniuriam, qui falſi patrocinio, hoc eſt, ope diaboli, putat illam habere opus*. cùm etiam clamet; *Nos erga Deum immortalem inſigniter iniurios fore, ſi veritatem ab ipſo manantem, & ipſum illius verbum, de quo dictum eſt; Cœlum & terra peribunt; ſed verbum Dei manet in æternum; niſi mendacio fulciatur, periclitari putemus*. Artis videlicet eſt, artem in dicendo cœlare; ac vituperando mendacio, fidem mendacio quærere. Alioqui, qui perſuadere ſibi potuit homo væcors in illa recentis etiam tum Euangelij luce ipſos Apoſtolorum auditores tam tetra inſcitiæ caligine circumfuſos fuiſſe, vt id non viderint, quod fumoſus in coquina Britannica Grammaticus viderit? Cæterùm quàm aliena ab ea inſania fuerit vetus Eccleſia; ſi nihil aliud, abũdè documẽto eſſe poteſt id, quòd ex Tertulliano

refert

Digitized by Google

refert in Luca B.Hieronymus,*Presbyterum eum, qui periodos Pauli,& Theclæ, atq; illam baptizati Leonis fabulam compoſuerat,conuictum apud Ioannem,quod auctor eſſet libri, & confeſſum ſe hoc Pauli amore feciſſe;& ob id excidiſſe.* Qui autem vulgò probari apud Chriſtianos tunc ea *facinora*, atque palmaria exiſtimari poterant,in quorum auctores tam ſeuerè animaduerteretur?

Sed hæc eo ſpectant omnia,vt Patrum apud lectores imminuatur exiſtimatio.*Quemadmodum*,inquit,*iſtorum factum*, [qui impoſturis ſuis promouere Euangelium voluerunt] *non poſſumus non grauiſſimè reprehendere; ita iudicia illorum Patrum ſatis mirari non poſſumus,qui eiuſmodi ſcripta tanta facilitate receperunt ; vt ad fulciendam cæleſtis veritatis auctoritatem teſtimonia ex illis proferre non dubitarunt.* Licebit iam tibi,Caſaubone, cùm vrgeri te Patrum teſtimonio ſenſeris, expeditiſsima iſta exceptione vti. *Homines exiguo iudicio, ac nimia facilitate,qui fidei ſuæ diſciplinam ex impoſtorum commentarijs hauſerint,audiri non oportere .* Quanquam enim in epiſtola ſua Iudas Michaelis Archangeli , atque Diaboli ſuper Moyſi corpore altercationem , atque Henochi vaticinium quoddam memorat,quorum neutrum in genuinis veteris teſtamenti Scriptoribus legitur; idque Hieronymus in cap.1. ep.ad Tit. atque Auguſtin.lib.15. de ciuit.cap.23.& lib.18.cap.38.ita interpretantur, vt dicant in apocryphis etiam eſſe aliquid veri , quòd Apoſtolus quamuis totum librum non probarit,proferre potuerit; Iudam tamen etiam ipſum,ſi libuerit, eo argumento è canone deturbabis , vt Lutherus, vt Brentius, vt Kemnitius, vt Centuriatores, quamuis repugnante Scripturarum trutinatore Caluini ſpiritu.

Iam moleſtè minus feret Hieronymus , vir doctrina, ac diligentia longè præſtantiſsimus, pag.55.priuatim vel oſcitantiæ ſe, vel nimiæ credulitatis accuſari , cùm impoſturæ Apoſtolica ipſa Eccleſiæ tempora , ſummos conſequentium ſæculorum viros incuriæ facilitatiſque damnatos à Caſaubono viderit. *Multa*,inquit,*incomparabilis ille vir* [Hieronymus] *eo loco ex falſa auditione falſa tradit. Narrat enim quæ acceperat ab auctoribus non optimis Nazaræis hæreticis ſemichriſtianis*, cùm Samai,& Hillel tertio in Iſaiam commentario,Scribarum,ac Phariſæorum auctores facit. Nihil minus. Nam refert ille quidem Nazaræorum expoſitionem de duabus domibus Iſrael , quibus Chriſtus *in petram ſcandali futurus*, 8.Iſaiæ capite dicitur, cætera non alieno, ſed ſuo nomine ſubijcit; *Duas domos*, inquit , *Nazaræi familias interpretantur Samai, & Hillel, ex quibus orti ſunt Scribæ, & Phariſæi, quorum ſuſcepit ſcholam Akibas,&c.* Sed carpendus fuit Hieronymus,qui fidem ſemichriſtianis hæreticis habuiſſet: in quem eſt illud etiam Caſauboni,pag.56.elogium. *Falſum eſt, vt dudum monuit Scaliger, Hillel ſignificare profanum;in quo negari non poteſt mire hallucinatum Hieronymum.* Hoc etiam Hieronymo deerat ; vt

Hebraicæ vnius voculæ vim à Scaligero , atque Caſaubono Caluinianis Grammaticis diſceret. Sed probationem audiamus. *Non enim per* ח *ſcribunt hoc nomen Hebrai,* חִלֵּל *profanauit; ſed* הִלֵּל *per* ה *laudauit.* Quibus literis conſequentibus ſæculis nomen hoc ſcripſerint , aut etiam nunc ſcribant Hebræi, neque diuinare Hieronymus potuit; neque verò etiamſi diuinare potuiſſet, magnopere laborare debuit. probaſſent duo iſti Hebraicorum apicum archiſynagogi, cùm Hieronymus illa ſcriberet, non ה, ſed ח littera notari nomen illud ab Hebræis ſolitum ; dixiſſe eos aliquid diceremus. Nunc vtrum tandem veriſimilius eſt? Hieronymo diſcrimen illud aut vocum, aut characterum Hebraicorũ ignotum fuiſſe; an poſteriorum vel errore , vel fraude vnius literulæ tam exigua mutatione mendum in Hebræorum codices irrepſiſſe? Quæ cùm ita ſint, *mira eſt* eo loco, non *Hieronymi hallucinatio*; ſed ſciolorum è Caluini ſynagoga Grammaticorum temeritas, & confidentia. Sed Caſaubonus, qua eſt væcordia, ſatis Hieronymo putabit factũ, quod Rufinum pag. 59. imperitiſsimum interpretem appellarit, quaſi aut glorioſum eſſe illi poſsit imperitiſsimũ inimicum tanta contẽtione ſuperaſſe; aut honeſtũ imperitiſsimo homini tãtum aliquãdo tribuiſſe.

Sed hæc tolerabiliora videri poſſunt, minus quidem certè contumelioſè in eos dicta, quorum inſcitiam , ac facilitatem notat: illa in Damaſcenum quàm atrociter ſcripta ſunt? cap. 21. exercit. 1. pag. 112. cùm eum *non ſolùm leuem; ſed etiam futilem, vanum, & mendaciorum pleniſſimum* appellet; atq; vt fidẽ faciat per calumniam Baronianæ etiam pondus auctoritatis addit orationi ſuæ. Et fuit vir ille non eruditione modò; ſed Orientis etiam, atq; Occidẽtis iudicio ſanctimonia nobilis. Sed Cauſaubonus, quòd ſemel in eum debacchari ſatis non putaret ei, qui pietati bellum indixiſſet, Exercit. 13. integro 38. pag. 305. in eum iterum inuehitur, & quidem , ne ſine teſte locupletiſsimo mentiri videretur, adſcito iterum in ſocietatem calumniæ ſummo viro Baronio. *Conditor annalium*, inquit, *magnam promeritus eſt laudem eo iudicio, quod ſuper libris Damaſceni de imaginibus fecit. Verè enim pronunciat, in multis eius ſcripti fidem vacillare, & compluribus ipſum ſcatere mendacijs.* Baronij iniuriam alio loco perſequar. Damaſcenum, qui tractet, neſcio quis ex Donati quiſquilijs pædotriba, nemo non videt.

Vt iam mirum videri nemini debeat, ſi pag. 55. *Cedrenum*, quem pag. 195. *nullius admodum iudicij ſcriptorem, & veteris hiſtoriæ imperitiſſimum* appellat; *& eiuſdẽ farinæ recẽtiores ſcriptores* nullo loco habeat, cùm etiã eorum *libros plures interdum fabulas, quàm hiſtorias cõtinere dicat.* Nicephorum verò non modò eo loco *& falli clamat, & fallere;* ſed ſæpè alibi mirum in modum, item vt Suidã exagitat, in quos eſt illud pag. 91. & 92. c. 12. *Luculentos verò ſcriptores, quibus de re tam antiqua fides habeatur. Nicephorus præſertim auctor vaniſſimus, futiliſſimus,*

fabulo-

Digitized by Google

fabuloſiſſimus, nec συγγραφεὺς, ſed μύθων καὶ λήρων ῥαψῳδὸς merito ſuo dicendus. Cui ipſe Baronius, quoties animum intendit, fidem omnem abrogat. Idemq; de Suidæ temeritate in probandis, quæ palàm falſa erant, iure queritur non multò poſt. Quærerem de Caſaubono, niſi aliud agerem, qua Grammaticæ lege dictum Latinè velit: *luculentos verò Scriptores, Nicephorus præſertim.* Sed de eius in obuium quéq; rabie hoc loco, non de Grammatica diſputo. Nec inficior equidem id, quod de Plinio memorant, eos viros dum probandæ diligentiæ ſuæ ſtudio nimis auidè colligunt, quę apud Scriptores interdum non magnę fidei repererũt, minus etiã vera nonnulla mandaſſe literis. Sed aliud eſt *vaniſſimũ, futiliſſimũ, fabuloſiſſimum fabularum deniq; atq; diliramẽtorum conſarcinatorem potius, quàm ſcriptorem eſſe:* aliud veris permultis, falſi nonnihil per incuriam admiſcere. Quãquam eo quidem loco Euſebius etiã nobilis inprimis, & eruditus ſcriptor fabuloſæ narrationis accerſitur. *Inter alias fabulas*, inquit Caſaubonus, *quæ apud Suidam & Nicephorum leguntur, referri debet hæc* [narratio de reſpõſo Apollinis, deq; ara poſita ab Auguſto] *prioris non fuit auctor Suidas, neq; Nicephorus, vt putat Baronius, ſed ipſe Euſebius in literas eã retulerat*; auctor, ni fallor, & vetuſtus, & locuples, qua vna exceptione Nicephoro, atq; Suidæ fides abrogata eſt. Sed nullus eſt adeò grauis auctor, qui, quæ ad Chriſti gloriam faciunt, hæretico perſuadere poſſit. Qui enim magis probare poteſt fabulã eã eſſe, quàm cætera, quæ is in hiſtoria ſua narrat? Hæc ſi apud Suetonium, aut Dionem legeret, vera eſſe non dubitaret: quia Chriſtianus ſcriptor mandarit literis, fabulæ ſunt? Quanquam in Euſebio quidem Arianarum partium ſtudioſo, hoc eſt, homine ſolo nomine Chriſtiano, Caſaubonus nihil erat cur Chriſtianam religionem magnoperè formidaret.

Peſſima Caſauboni in proferendis Græcorum teſtimonijs fides.

CAPVT II.

COgimur in Italia, quod etiam aliàs monui, Græcorum exemplarium penuria, interpretum fidem plerunque ſequi. Hoc nihil ſæpius, ac ne importunius quidẽ Baronio Caſaubonus obiicit: perinde quaſi vitiũ ſit, quos cõſuleres Græcos codices ad manum non habuiſſe. Cùm etiãſi per incuriã omiſeris, accuſari, niſi negligẽtię non poſſis; quod vt vitio nõ vacet, in hoc quidẽ genere non grauiſsimum crimẽ eſt. Caſaubonus, qui, quod vel nomine negligentię ſuſpectũ ſe eſſe cuiquã nollet, vel oẽm ſuã ſuppellectilẽ (nã præter Græculã, nec exquiſitiſsimã quidẽ eruditionẽ, vix quicquã habuit) exponere ſpectandam vellet; Græca ipſa Scriptorũ verba, quæ Latinè deinde redderet, vt plurimũ attulit; ſi quid delinquit in eo genere, lege nimirũ ſua, *aut craſſæ ignorãtiæ, aut ſuſpectæ fidei* merito poſtulabitur. Ego verò, qui ita in Caſaubonũ ſcribã, vt tamẽ conſultũ lectoribus cupiã, neq; omnia negligam, neq; odioſè in ſingulis hærebo. Ex his Caſaubonianæ vel eruditionis, vel fidei periculum fieri commodè poterit.

Exerc.

Exerc.1.cap.3.pag.30. Africanum vetuſtiſsimum, grauiſsimumq; Theologum mendacitatis & inconſtãtiæ accuſat; quòd *etſi vult videri auctores ſuos πάντως ἀληθεύειν, omnino veraces eſſe; abſtinere tamen non potuit, quin illa ipſa ſcribere ſe dubitanter certiſſimis indicijs oſtenderet*. Laudo Caluinianam modeſtiam, atque in Patres pietatem: *certiſſima illa indicia* requiro. Scripſit Africanus eos Domini conſanguineos, à quibus de Herodis proſapia, ac genealogia Saluatoris acceperat ea, quæ ſcribebat, ea tradidiſſe εἴτε φαυνητιῶντας εἴθ' ἁπλῶς ἐκδιδάσκοντας πάντως δὲ ἀληθεύοντας. Hic Caſaubonus, poſtquam reprehendit Ambroſium, quòd 3. in Luc. commentar. hæc Africani verba; *hærente videlicet aqua, in Græco rarioris vſus vocabulo, ita verterit, vt nemo quid ſibi velit, intelligat*, accuſato etiam obiter Ruffino, quòd *φαυνιῶντας audacter verterit: ſtudio tanti ſeminis demonſtrandi, Græcè periti*, inquit, *non ignorant φαυνητιᾷν nihil aliud eſſe, niſi velle videri, & gloriam appetere, ſiue, γλίχεσθαι φανερὸς εἶναι, ſic βασιλειᾷν tum apud alios, tum apud Ioſephum bell. Iud. lib. 11. cap. 6. φρενητιᾷν, apud Epiphanium pag. 285. ἐπιδεικτιᾷν, apud Theodor. hiſt. Eccleſiaſt. lib. 1 cap. 4. & multa eius formæ apud Græcos Scriptores. Africanus igitur cauſam, cur illi Iudæi iſta memoriæ proderint, ancipitem ponit; vel quod eos gloriæ cupiditas titillauerit, vel quod veritatem ſimpliciter exponere voluerint. Si Africano ſatis liquidò conſtitiſſet de ſermonis huius fide; an putamus illum ita ambiguè loquuturum?*

Ego verò etiam ſi ita eſſe conceſſero; non video præter ſtuporem ſuum, quid oſtendat Caſaubonus. Dubitauerit enim ſanè Africanus tradendæne eius rei ſtudio ea narrauerint Deſpoſini, quòd glorioſum ſibi eſſe duceret, in publica cæterorum clade ſuæ ſtirpis hiſtoriam incorruptam eſſe ſeruatam; qui tandem efficiet Grammatica ſua obſeruatione, incertum ei fuiſſe, num vera dicerent? Niſi fortè vera de ſe prædicando neminem putat poſſe gloriam aucupari. Sed ille quod eſt apud Africanum ἁπλῶς ἐκδιδάσκειν *ſimpliciter docere*, hoc eſt, nullo alio fine exponere, quã rei tradẽdæ ſtudio, de induſtria vertit; *veritatem ſimpliciter exponere velle*; vt lectores exiſtimarent eam verborum Africani vim eſſe; *incertum gloriæ ne cupiditate fabulas ipſi conſuerint*; an vera narrauerint.

Iam quando, vt Grammaticus eſt, in verborum circumflexorum vi ac ſignificatione hæret; quæram ab homine quid tandem contra diſputaturus ſit, ſi quis eo loco legerit, φαυνηιοῦντες? certè, & in lexicis hunc ipſum Euſebij locum ita laudatum reperies: nec aliter fortaſſe legerunt Ambroſius, ac Ruffinus. Nam φαυνιᾷν, eſſet *illuſtrare, pateſacere, clarum, apertum, perſpicuum reddere*. quòd eam ob rem argumentari fortè vertit Ambroſius; quia cùm ſimplici narrationi apud Africanum opponi videret; id ſibi voluiſſe eum exiſtimauit; eos vel minimè dubijs rationibus rem, quam exponerent, feciſſe perſpicuam; vel nulla confirmatione adhibita, ſimplici narratione rem geſtam eſſe proſecutos.

De-

Digitized by Google

De Phariſæorum inſtitutis nono apparatus numero diſputantem Baronium carpere poſſe ſibi viſus eſt, quod ſcriptum reliquerit; *Ipſorum tyrocinium ſi quis attendat, quid dignum vehementi admiratione inuenturum*: atque ad eam rem locum laudarit ex Epiphanio lib. 1. panar. cap. 16. Ergo exercit. 1. cap. IX. pag. 59. *Non deſcribit*, inquit, *hoc loco Epiphanius communem omniũ Phariſæorum regulam; ſed priuata quorundam inſtituta, quæ ſibi ipſi præſcribebant, ſeruanda. neque initio tantum profeſsionis, vt ſilentium Pythagoræ diſcipuli, vt credit Baronius, qui propterea tyrocinia vocat: ſed ὁπηνίκα quoties exercebantur.*

At ideone Phariſæorum tyrocinia vocauerit Baronius, quod initio tantum profeſsionis ab ijs vſurparentur; an eam potius ob cauſam quod ab ijs ſectæ initia ſumerent: neque niſi, qui per eam vitæ duritiem exerciti eſſent aliquando, in Phariſæis haberentur; ex eius verbis non ſatis conſtat. Latini quidem ſcriptores tyrocinij vocabulum pro rudimentis plerunque vſurpant quæ non ponuntur, ſed expoliuntur ipſa pro rerum progreſsione: ſed detorquenda fuit in calumniam viri præſtantiſsimi oratio quod deſcribi ab Epiphanio communem Phariſæorum regulam negat; id quale ſit, alio fortaſſe loco viſuri ſumus. Quod verba illa ὁπηνίκα vertere maluit, *quoties exercebantur.* quam cum Cornacio, *cum exercebantur*; antiquum videlicet obtinet; vt aut imponat, aut ignoratione dialectices hallucinetur. Nam ſiue ſemel, ſiue ſæpius eas durioris vitæ exercitationes obire conſueuiſſent, apte dici de ijs poteſt, *cum exercebantur.* ſi autem repeti eaſdẽ exercitationes moris non fuiſſet, inepte de ijs dixeris; *quoties exercebantur.* Nam, *cum*, indefinitam ſignificationem habet, quæ ſiue multis, ſiue vni aptari poteſt. *quoties* vero, quia *vniuerſali* notæ poteſtate par eſt, niſi de multis, dici nõ magis poteſt, quam, *omnis*, aut, *nullus*, de certo, ac ſingulari aliquo homine. Ergo ſi de induſtria indefinitam Epiphanij affirmationem conuertit in vniuerſalem, vt ex ipſis Epiphanij verbis Baronium hallucinatum lectoribus per fraudem perſuaderet, impoſtor eſt. aut ſi non intellexit quid inter *indefinitam* atque *vniuerſalem* enunciationem diſcriminis eſſet; ignoratione dialecticæ lapſus eſt.

Libenter etiam audiam ſi quis doceat qua ratione defendi poſsit, quod exercit. 1. cap. x. quod de Sibyllinis oraculis ſcripſit Euſebius τοὺς πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων ἀπιστεῖν. Latine reddidit Caſaubonus, *Pleroſque mortalium reijcere teſtimonia Sibyllarum in cauſa fidei.* Certe, ſi verbum reddamus verbo, Latine ita vertetur: fuit dictum Euſebij, *Pleroſque hominum fidem* (oraculis Sibyllinis) *non habere*: in cauſane fidei, an alijs; ibi ne veſtigium quidem vllũm, niſi quod verborum eorum adiectione, ad rem ſuam Euſebij teſtimonium accommodauit.

Non repetam hoc loco, quæ alibi diſputata ſunt de Caluiniana Caſauboni fi-

ni fide in reddēdis ijs Baſilij magni verbis ex oratione de Chriſti natiu. τὸ δ' ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου καταλείψωμεν quibus, cum ex ipſo verborum textu planum ſit, id vnum ſibi voluiſſe virum ſanctiſsimum: quantum quidem facit ad incarnationis myſterium, nihil intereſſe Virgo ne Beatiſsima Chriſti mater ad vitæ finem permanſerit, dum eam & concepiſſe, & peperiſſe virginem conſtet. Quem locum Caſaubonus vt doceret, auctore Baſilio, quæ in ſacris literis expreſſa non ſunt, de ijs nihil quæri oportere; ita reddit; *Quod ſupereſt, omittamus quærere, & myſterio, ſiue ſilentio relinquamus.* Qui autem potuit, niſi ab eo, qui vel Græcę locucionis eſſet prorſus ignarus, vel ſciens falleret, τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου καταλείψωμεν verti *myſterio. ſeu ſilentio relinquamus*? ſi dixiſſet τῷ μυστηρίῳ tamen propter articulum, quo certum aliquod myſterium deſignatur, verti non debuiſſet *myſterio. ſeu ſilentio*: nunc autem, cum non articulum modo adhibuerit; ſed etiam adiecerit τὸν λόγον τοῦ μυστηρίου rationem myſterij; ratione carere neceſſe eſt eum, qui *ſilentio* verterit.

Non vrgebo magnopere (nam excidiſſe per incuriā videtur) quod exercit. XIII. cap. I. pag. 235. cum è Chryſoſtomo dixiſſet exiguam in adiunctis ſcriptorum diſſenſionem vſque adeo rei ſummam non lædere, vt eam nonnunquam etiam confirmet; *Eodem pertinet*, inquit, *quod iudicioſiſſimus ſcriptor Strabo lib. I. ſcribit; hiſtoriam à multis traditam, qui in circumſtantijs, puta locorum, non eadem dixerint, reijci non debere: ſed contra plenioris fidei argumento ex illo ipſo diſſenſu peti interdum poſſe.* Nec mirarer equidem, ſi hæc Strabo ſcriberet, quæ vere ſcribi potuiſſe non dubito; ſed Græca eius ea verba, quæ ſubijcit Caſaubonus, oſcitanter ab eo lectum Strabonem aperte indicant. Ἀλλ' οὔτε inquit, εἰ μὴ συμφωνοῦσι οἱ τὴν ἱστορίαν τῶν τόπων παραδιδόντες: εὐθὺς ἐκβάλλειν δεῖ τὴν σύμπασαν ἱστορίαν: ἀλλ' ἔσθ' ὅτε καὶ πιστοῦται τὸ καθόλου μᾶλλόν ἐστι quæ, ſi fideliter Latinè reddas, ita ſonant. *Sed neque ſi minus conſentiant, qui locorum hiſtoriam tradunt; continuo reijcere oportet vniuerſam hiſtoriam. ſed eſt etiam, cum id fidem potius ſummæ conciliet.* Vbi ſatis, opinor, lectori liquet, Strabonem de ijs loqui, qui in ſcribenda locorum hiſtoria toti ſunt, & diſſentiunt tamen inter ſe; non, vt exiſtimauit Caſaubonus, de ijs, qui, cum rerum aliarum hiſtoriam ſcribant, in locorum duntaxat, vt ait, *circumſtantia* diſſentiunt.

Ergo hæc oſcitantiæ tribuerim: illa hominis nequam impietati, & capitali in Petrum Apoſtolum odio, quod exercit. eiuſdem, cap. XII. vt doceat auctore Chryſoſtomo Petrum confeſsione diuinitatis Chriſti nihil eſſe promeritum. *In Matthæi*, inquit, *caput* XVI. 18. *negat Petrum in illa confeſsione de cuius merito agitur, quicquam domo attuliſſe, quod poſſet ſuum dicere: ſed tantum reuelationem à Deo patre factam pronunciaſſe. Hoc autem eo confirmat argumento; quia mox idem Petrus de paſsione Chriſti auſus cogitationem ſuam expromere, priuſquam*

Digitized by Google

quam id myſterium eſſet ei à Deo patre reuelatum; *I N G R A V E M A D E O E R R O R E M ſit delapſus, vt etiam de S A L V T E illius M E T V I potuerit*; *ac propterea Satanæ appellatione à Domino ſit increpitus*. Non modo Chryſoſtomus vir tantus ac talis; ſed nullus omnino Catholicorum vnquam negauerit, præſertim in tam luculento ſuper ea re Chriſti oraculo, multa habuiſſe in ea confeſsione Deum, quæ Petrus non fecerit; nihil habuiſſe Petrũ, quod in eo, & cum eo Deus non fecerit. Sed aliud eſt ita agi voluntatem Spiritu Dei, vt etiam ſe ipſa non agat, quod hoſtes libertatis contendunt: aliud, ita *inclinari in teſtimonia Dei*, vt cum gratiæ, ſit, quod velit bonum, tamen diſſentire poſsit, ſi velit, quod cum Eccleſia Catholica Chryſoſtomus docuit. Sed hoc non agimus in præſentia. Quod ad locum hunc pertinet illud eſt, quod impudentiſsime mentitur Caſaubonus docere Chryſoſtomum, Petrũ cùm myſterij crucis ignarus, eam abominatus eſt, *ingrauem adeo errorem lapſum, vt etiam de ſalute eius metui potuerit*, quæ Magdeburgenſium blaſphemia eſt, non Chryſoſtomi pronunciatum. Audiamus enim ipſa Chryſoſtomi verba, quæ quod digna notatu eſſe diceret, appoſuit ipſe Caſaubonus. Ὁ ἀποκαλύψεως τυχὼν ὁ μακαρισθεὶς, οὗτος οὕτω ταχέως διέπεσε καὶ ἐσφάλη, ὡς φοβηθῆναι τὸ πάθος; καὶ τί θαυμαστὸν, τὸν οὐ δεξάμενον ἐν τούτοις ἀποκάλυψιν τοῦτο παθεῖν; ἵνα μάθῃς. ὅτι οὐδὲ ἐκεῖνα οἴκοθεν ἐφθέγξατο quæ Latine fideliter ita vertas; *Is, qui reuelationem acceperat, qui beatus fuerat prædicatus, hic tam cito excidit, & deceptus eſt, vt metueret paſsionem! Quid autem mirum? ei, qui hiſce de rebus reuelationem non accepiſſet, hoc accidiſſe. vt diſcas eum, ne illa quidem de ſuo dixiſſe.* Vbi hic illa Petri grauis adeo prolapſio? Vbi de ſalute eius metus? Vbi ea de cauſa adiecta à Chriſto Satanæ appellatio? Et curauit tamen Caſaubonus, vt Græce neſcientibus hoc dixiſſe Chryſoſtomus videtur. Sic enim vertit; I*lle qui reuelationem fuerat conſequutus, qui fuerat beatus prædicatus; hic adeo celeriter excidit, & L A P S V S eſt; vt M E T V E R E T V R I L L I V S C A S V S. Quid vero mirum eſt illi hoc accidiſſe, qui reuelationem ijs de rebus non acceperat; vt ſcias Petrum ne illa quidem priora de ſuo locutum fuiſſe.* Vbi quod; *lapſum*; dicere maluit, quam; *deceptum*; eo nimirum ſpectat, ne ſatis poſſet intelligi excidiſſe ne eum à iuſtitia, quod peccarit; an à veritate, quod hallucinatus ſit, eo loco Chryſoſtomus diceret. Quod vero ſubiecit; *vt metueretur illius caſus*; cum dicere debuerit; *vt paſsionem metueret*; id vero apertiſsimæ eſt, ac dignę quinto Euangelio imposturæ.

Iam illa leuiora, quod exercitationis eius cap. XIX. de Regulo, *cuius filius infirmabatur Capharnai: vetus*, inquit, *quæſtio eſt, quo ſenſu accipienda ſit vox* βασιλικὸς *Ioann.* IV. 46. *B. Chryſoſtomus duplicem interpretationem affert, vel quia eſſet ipſe* τοῦ γένους τοῦ βασιλικοῦ *regij ſanguinis*; ἢ ἀξίωμά τι ἀρχῆς ἔτεον.

ϱον ἄτω καλάμενον εἶχε vel quod aliqua præditus eſſet dignitate, quæ ſic vocaretur, hoc eſt propter quam ipſe ſic vocaretur, puta procurator regius, vel cubicularius regius, quod pertineret ad aulam, & miniſterium Regis, ſiue Thetrarchæ, Galilæ.

Vbi duplex eſt impoſtura; altera quod in verſione omittit vocem ἀϱχῆς; altera quod interpretationem ſubijcit, cum Chryſoſtomi ſententia minime congruentem. Nam ſi ita vertiſſet; *vel quod dignitate principatus alia præditus eſſet, quæ ſic vocaretur*; nemo non vidiſſet ineptè ab eo dignitatis nomine intelligi procuratorem, vel cubicularium regium, quæ vt dignitates dici aliqua ratione poſsint; principatus profectò dici non poſſunt. Porro cum ea Chryſoſtomi verba; *quæ dignitas ſic vocaretur*; interpretatur; *h. e. propter quam ipſe ſic vocaretur*; vim Chryſoſtomi verbis infert, fluens quidem atque obuius cuique ſenſus eſt; nomen id dignitatis fuiſſe. Sed timuit ne ſi truncum etiam Chryſoſtomi locum Latine redditum ſignificationi ſuæ permitteret, βασιλίσκον potius, quam βασιλικὸν legiſſe putaretur. Nam βασιλίσκον quidem dignitatis appellationem eſſe poſſe; nemo non videt: βασιλικὸς, ne ipſe quidem, quanuis in Græco theuſauro non mediocriter verſatus inuenire potuit; vbi apud ſcriptores Græcos, pro dignitatis nomine poneretur.

Triumphat etiam exercit. XIV. cap. XVI. in Suidæ quodam loco, quem corruptum à Baronio contendit. *Cum dicat*, inquit, *Suidas, vel ille potius ſcriptor, quem Suidas exſcribit, Conſtantinum quidem in parte aliqua fori vas* (ex quo effuſum eſt vnguentum, quo delibutus eſt Dominus) *repoſuiſſe: ſed Theodoſium magnum illud ſuſtuliſſe non ſolum ex illo loco, ſed in vniuerſum è memoria hominum, Baronius adeo exiſtimationis ſuæ fuit ſecurus; vt ſcriberet, id vas à Theodoſio magno inde ſublatum, & honeſtiore loco eſſe reconditum.* Magnum crimen, nec tanto ſcriptore dignum, niſi mentiatur calumniator. Nam *ſublatum vas illud à Theodoſio* legi equidem apud Suidam: *Sublatum vero non ſolum ex illo loco, ſed in univerſum è memoria hominum*; vbi legerit Caſaubonus percontarer ab eo, ſi viueret: nam in noſtris quidem exemplaribus nihil tale eſt. *At prouoco*, inquit, *ad Suidæ verba quæ ſunt hæc*; κάτωθεν τῦ φόϱυ βίκιον μίϱυ ὃ ἠλείψατο ὁ χϱιςὸς καὶ πολλὰ ἕτεϱα σημειοφοϱικὰ τέθεντα μὲν παϱὰ Κωνςαντίνυ τῦ μεγάλυ ἀφανίσθεντα δὲ ὑπὸ τῦ μεγάλυ Θεοδοσίυ. Agnoſco corrupta, ac mutila Suidæ verba, ex quibus tamen ipſis, niſi Caſaubonus eſſe velis, expectabo quid colligas. Ea tu ita vertis; *In parte inferiore fori, erat vas vnguenti, quo eſt vnctus Chriſtus, & multa alia miraculoſa monumenta à Magno quidem Conſtantino eo loci poſita: ſed à Magno Theodoſio* DELETA. At quæſo te, Caſaubone, per quicquid Græcorum accentuum tibi hæſit in cerebro, ἀφανίζειν, nihilne aliud, quam *delere* ſignificatur? Vis verbi eius, ac ſignificatio propria, nonne eſt remouere ab oculis, atque efficere ne videri quidpiam poſsit? An tu

ne,

Digitized by Google

ne, cùm prælum quidem corrigeres, in theſauro vidiſti? idem interdum valere, quod *occultare, & abſcondere*; eaque ſignificatione à Plutarcho adhibitum in Camillo? Quid in lexicis? Nōne ita legis? Item *ἀφανίζω condo, occulto, Ariſtophanes in Pluto ὁ δὲ Θεὸς ἠφάνισεν ἑαυτὸν ὡς ὄφις εἰς τὸν ναόν: Deus condidit ſeſe, vt ſerpens in templum*? Qui igitur tam confidenter affirmas, ſublata ea penitus ex hominum memoria? atque, vt res perſpicua videatur ἀφανισθέντα verti, *deleta*? cum æque bene potueris; *recondita, atque ab oculis remota*. An tu Suidæ peruerſo teſtimonio perſuaderi ſano cuiquam potuiſſe credebas Caluinianū magnū Theodoſiū fuiſſe qui ſacris reliquijs bellum indixerit? Et veluti iam apertiſsime falſi conuicto viro præſtantiſsimo inſultas. *Age*, inquit, *depellat, ſi quis poteſt à Baronio crimen falſi. ego non poſſum, niſi prius oblitus fuero quid ſit ἀφανισθῆναι*. Poſſes ſi vim vocis eius aut vnquam didiciſſes, aut non eſſes oblitus. Nam venerationis cauſa ſacras reliquias ab oculis remouemus, ne aſsidua oculorum vſurpatione vileſcant: ob eamque rem, ſenſum ſequutus Baronius (nam ipſa Suidæ verba non profert) quod erat à Græco ſcriptore verbo ἀφανισθῆναι indicatum, id expreſsit Latinè; *Inde ſublatum, & in honeſtiore loco reconditum.*

Cæterum eum Suidæ locum vulgo corruptum legi, ſi quis modo inſpexerit, dubitare non poteſt. *κάτωθεν* inquit *τοῦ φόρου κεχωρισμένοι ἀπήρχον δύο στρατηγοὶ τῶν δύο λῃστῶν, καὶ βίκιον μύρου; ὃ ἠλείψατο ὁ χριστὸς, καὶ πολλὰ ἕτερα σημειοφορικά, τεθέντα μὲν παρὰ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου, ἀφανισθέντα δὲ ὑπὸ τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου. In inferiore parte fori poſiti erant duo duces duorum latronum, & vas vnguenti &c.* quod hoc ſacri pignoris genus? aut quinam ii duorum latronum duces, in ea parte fori à Conſtantino collocati? Animaduertit mendum Caſaubonus, cumque conijcere non poſſet vel quid ſibi ea Suidæ verba vellent; vel qui corrigenda eſſent: non ea tantum omiſit, quæ quod ad rem de qua agebatur, non vſque adeo facerent, prætermiſſa videri poſſent: ſed ea etiam κεχωρισμένοι ἀπήρχον, ſine quibus non conſtat ſententia. quid eſt enim *In inferiore parte fori, vas vnguenti, quo eſt vnctus Chriſtus, & multa alia miraculoſa monumenta à magno quidem Conſtantino eo loco poſita; ſed à Theodoſio magno deleta*; Vbi in tanta nominum, ac participiorum ſerie verbum, quo ea omnia regantur? Sed vt incommodo huic occurreret verbum, quod in Græcis Suidæ verbis omiſit, addidit in verſione, cùm ita ſcripſit; *In inferiore parte fori erat vas, &c.* Ita igitur reſtituendus è Ioannis Matthæi Caryophili manuſcripto Suidæ locus *κάτωθεν τοῦ φόρου κεχωσμένοι ὑπῆρχον δύο σταυροὶ τῶν δύο λῃστῶν καὶ βίκιον μύρου. In inferiore parte fori erant duæ cruces duorum Latronum, & vas vnguenti &c.* Nam quod ad improperium Chriſti pertinuit, quod inter duos Latrones in crucem actus eſt; in ijs etiam

Q ipſi

ipſis latronum crucibus recolendam pia veneratione ignominiæ eius memoriam maiores noſtri cenſuerunt. Ex eodem etiam codice poſtrema ita reſtituenda ſunt. ἀσφαλισθέντα δὲ ὑπὸ τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου *clauſa, ſepta, munita à magno Theodoſio*, cancellis, opinor, cratibus, aut alia ratione, qua à contactu acceſſuque venerationis cauſa vulgus arceretur; quod paſsim in locis religioſis, atque in ſacrarum reliquiarum loculamentis videmus. Conſtantinus ergo in foro ea repoſuit; Theodoſius, quo religioſius ſeruarentur, ſeptis muniuit.

Ac ne illud quidem prætereundum, quod exercit. eius cap. XIV. vt incertum eſſe doceat, num eorum conuiuiorum, in quibus à muliere vnguento delibutus eſt Dominus non ita multo antè quam mitteretur ad mortem, alterum in domo Marthæ, alterum apud Simonem leproſum ſit agitatum; *Auctor eſt*, inquit. *B. Chryſoſtomus fuiſſe, qui negarent, neque tantus Doctor quicquã definit. ſic ille*; Ἡ Μάρθα διηκόνει ὅθεν δῆλον ὅτι ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτῆς τὸ ἄριστον ἦν: τινὲς δὲ φασὶν ὅτι ἐν ἀλλοτρίᾳ οἰκίᾳ τοῦτο ἐγένετο. Vellem hæc, vt Græce protulit, ita Latinè reddidiſſet: riſum vel ab inuitis lectoribus expreſsiſſet. *Martha*, inquit, *miniſtrabat: vnde manifeſtum, quod in domo ipſius conuiuium erat: alij autem dicunt, quod in aliena domo hoc factum eſt.* Quod autem iſtud eſt argumentationis genus? *Auctor eſt Chryſoſtomus diſſentire nonnullos; nihil igitur affirmat ipſe. quamuis contrarium totidem ſyllabis manifeſtum eſſe clamet?*

Sed hæc priuatum in Baronium odium, illa in Eccleſiam ipſam rabies miſero homini extorſit; quod exerc. XV. cap. VIII. num. XI. pag. 363. vt Ioſephi è II. contra Appionem libro locum eludat, quem ad ſummum Eccleſiæ ſacerdotium ex analogia teſtamenti veteris confirmandum anno XXXIII. num. XVIII. vir eruditiſsimus protulit; primum ipſa Ioſephi verba, quod pueriles eius interpretationes reſpuerent, caute nimirum, ita diſsimulat, vt ex ijs non plura tribus adſcribat. Deinde ea ipſa peſsimâ fide Latinè reddit. Integer Ioſephi locus apud Baronium hic eſt. *Quæ poterit lex eſſe melior, aut iuſtior, quam ea, quæ Deum principem omnium eſſe confirmat? Sacerdotibus in communi quidem res præcipuas diſpenſare permittit: ſummo vero Pontifici aliorum ſacerdotum principatum competenter iniungit?* Hic Caſaubonus; *Ille ipſe*, inquit, *Ioſephi locus, quem affert Baronius, ſi recte intelligatur, concluſionem eius* [de Petri primatu] *euertit.* Expectabimus rectum iſtum Ioſephi intellectum: nam, vt eſt liber ille in Grammaticum Appionem ſcriptus: veriſimile eſt, in eo Grammaticum plus intelligere. Perge igitur, Caſaubone. *Non enim tribuit ille Pontifici vllam Hildebrandinæ ſimilem monarchiam: nullam pontificiam omnipotentiam.* Quouſque Pontificis monarchia pertineat, alia diſputatio eſt: Illud modo in præſentia quærimus; Spiritualemne monarchiam inſtitue-

rit.

rit in Eccleſia Dominus? Inſtitutam eam ex analogia veterum Pontificum Ioſephi teſtimonio probat Baronius: tu negas conceſſam ab eo ſcriptore Hildebrandinam monarchiam. ſed quid tandem ijs verbis; *aliorum ſacerdotum principatum competenter iniungit*; conceſſum ſummo Pontifici putas? *Tantum*, inquit, τὴν τῶν ἄλλων ἱερέων ἡγεμονίαν recte quidem hactenus: nam hæc ipſa ſunt verba Ioſephi. Sed ἡγεμονίαν iſtam qui tandem interpretaris? *Vt inter reliquos ſacerdotes*, inquit, *locum primum obtineat*. Vbi autẽ apud Græcos Scriptores legiſti eum, qui loco modo, non etiam poteſtate præcellat ἡγεμόνα appellatum? Tu quidem cum exercit. I. cap. XXXI. de prima deſcriptione à Cyrino acta diſputares, multis probare conatus es ἡγεμονίαν & ἡγεμονεύειν *de qualis poteſtate, præſertim maiore*, *vſurpari*, atque addis; *In Euangelijs, & actu ἡγεμόνα eſſe modo Romanum Imperatorem, modo Procuratorem Cæſaris, qui in Iudæa; apud Ioſephum vero nunc legatos præſidum, nunc præſides ipſos, nunc procuratores Cæſarum*. Quin etiam cum eam vocem à Iudæis ſuam factam affirmes, eam ab ijs *doces de poteſtatibus, quà ciuilibus, quà Eccleſiaſticis frequentatam*. Denique neruos etiam omnes intendis, vt perſuadeas, ſi ad cenſum tantum faciendum in Syriam miſſus fuiſſet Cyrinus, cum natus eſt dominus ἡγεμόνα dici potuiſſe. *quod &ſi non præſideret Syriæ inſtar Quintilij Vari, aut Sentij Saturnini; tamen cum imperio ei prouinciæ præſideret, diuerſo illo quidem, ſed nihilo minore, aut etiamfortaſſe maiore*. Quid autem fuit opus iſtud imperium in cenſitore cominiſci, vt hoc ei nomen tribueres, quod vel vno loci honore contineretur? Qua igitur ratione vocem hanc ad eum repente tranſtuliſti, qui loco modo, non etiam poteſtate, atque imperio alijs præſtet? An tu cum apud Ioſephum eodem loco legis, *Lege Moyſi Deum* τῶν ὅλων ἡγεμόνα *rerum omnium principem conſtitui*; locum modo, non etiam imperium, poteſtatemque in res omnes intelligis? Quid igitur eſt cauſæ, cur nudam loci prærogatiuam eidem vocabulo continuo in eadem oratione ſubieceris? Aut cum Ioſephus deſcriptionem Iudaicæ Reip. ex eo laudet, quod τῷ πάντων ἀρχιερεῖ πεπίστευκε τὴν τῶν ἄλλων ἱερέων ἡγεμονίαν *ſummo omnium ſacerdoti cæterorum ſacerdotum credidit principatum*; qui venire tibi in mentem potuit, nihil, niſi loci prærogatiuam eo vocabulo ſignificari? credi certe dicuntur ea, quæ fide, induſtria, diligentia, conſilio indigent. quæ ſi niſi loco præeas; profecto minime neceſſaria ſunt. Iam vero tota vis argumentationis Ioſephi aduerſus Apionem in eo ſita eſt, quod optimam eſſe neceſſe eſt eam Reip. formam, cuius cum Deus ipſe ſit princeps, per ſacerdotes eã, ac ſacrorũ antiſtites adminiſtret; in quorũ multitudine ne diſsidia oriãtur, neue, vt in magno numero, dũ ſumũ ſibi ius ſinguli in populũ arrogant, ſupbe, &crudeliter imperẽt; vnũ preeſſe placuerit, cuius imperio cęteri rege-

rer tur: quod,cum ſolo loci honore,profecto non congruit. Adde quod adminiſtrationis eius duas veluti partes ex aduerſo ſibi reſpondentes Ioſephus eo loco facit; alteram, qua ſacerdotes in commune de ſummis rebus conſtituunt; alteram, quæ *τῷ πάντων ἀρχιερεῖ πάλιν αὖ πεπίςευκε τὴν τῶν ἄλλων ἱερέων ἡγεμονίαν quæ ſummo omnium Pontifici VICISSIM credidit cæterorum ſacerdotum ἡγεμονίαν* vbi cum VICISSIM. *creditam ſummo Pontifici præfecturam dixit*; ſatis oſtendit, quemadmodum ſacerdotes in commune ſummis de rebus conſtituendi ius habebant; ita in ſacerdotes ipſos ius fuiſſe Pontificis.

Ex quibus etiã refellas ea,quæ ſcribit Caſaubonus. *Quod Ioſephus, ait præcipua quæque publicorum negotiorum à ſacerdotibus fuiſſe adminiſtrata; verũ eſſe, de conſenſu vnius & ſeptuaginta virorum, i.e. Synedrio: quod è Leuitis*, inquit, *& ſacerdotibus magna ex parte, non excluſis tamen reliquis Iſraelitis, vt ante dicebamus, componebatur. Sed Synedrij caput non erat Pontifex, vt iam probauimus: verum is, qui dicebatur Naſi. Pontifex autem cùm Synedrio inter erat, infra Naſi cenſebatur: vterq; vero infra regem.* Nam ſacerdotum eorum, quibus maximarum rerum procurationem commiſſam narrat Ioſephus,præfecturã ſummo Pontifici creditam; aperte ſatis oſtendit,cum *viciſsim* in ſacerdotes ius Pontifici tribuit. Si n. alijs ſacerdotibus præerat Pontifex,alijs de ſummis rebus cõſtituendi poteſtas tributa erat;nõ bene dixiſſet Ioſephus *viciſsim* ſacerdotes paruiſſe. Aut ergo ſacerdotum nomine,qui ſummæ Reip. præerãt, Synedrium non intelligit;aut Synedrij caput Pontificem facit. Adde quod ſi Synedrium non modo ſacerdotibus ſed alijs etiam leuitis, atque Iſraelitis conſtabat; conſeſſus ille ſacerdotum proprie non erat, neque vero qui è ſacerdotibus Synedrio interant, eo nomine intererãt, quod ſacerdotes eſſent. Qui ergo vera dixiſſe Ioſephum exiſtimabimus, qui ſacerdotib. ſumma Reip. negotia in cõmune tradita ſcribit? Aut ſi ſummus Pontifex ei conſilio neque neceſſario intererat & cũ intererat poſt Naſi cenſebatur; qui poteſt dici *ἡγεμονίαν* eius conſeſſus accepiſſe,in quo ne primus quidem numeraretur?

Monet me argumenti ſimilitudo, vt huic capiti viri præſtantiſsimi Ioannis Matthæi Caryophili notas ſubijciam: quẽ cum me in Tuſculano ruſticantem,pro veteri noſtra conſuetudine cõueniſſet,rogaui vt quãdo otioſus eſſet, Caſauboni exercitationes percurreret; ac mihi deinde renũciaret quid ſibi de eius hominis eruditione videretur. Geſsit is, vt eſt non doctrina tantũ, ſed etiã humanitate ſingulari, mihi morẽ, ac paucis poſt diebus ad me reverſus, nihil in tanto volumine reperiſſe ſe dixit homine vel mediocriter erudito dignũ: Græcarum vero literarũ etiam inſcitiã non mediocrem. Sequidẽ, cum neq; negotijs aliis tunc temporis diſtineretur; neq; libri alij rure ſuppeterent, quibus tempus interim falleret; à ſe tamen impetrare non

potuiſſe-

Digitized by Google

potuiſſe,vt eum librum perlegeret. Nam ne tum quidem eo legendo pretium operę fieri, cùm nihil ageretur. rem ita eſſe ea, quæ cùm eum percurreret,obiter adnotarat,fidem facere.Eas ego notas ita, vt ab eo accepi integras hoc loco reddere volui: quod & cum capitis huius argumento conſentiunt;& apertè ex ijs conſtat Caſaubonum Græcarum literarum ſtudioſum fortaſſe,certè non peritiſsimum fuiſſe;in quibus tamen à Caluinanis dominari ferebatur. Græci quidem adoleſcentes, qui ſtudiorum cauſa Romæ verſantur,riſum tenere non potuerunt, cùm tantum in eo genere ei tributum audierunt, qui ne Grammaticam quidem ſatis tenuerit.

Ego verò,qui vt parum bonum Grammaticum fuiſſe eum oſtenderem, integro capite demonſtraturus eram, exiguam admodum in eo Græcæ, Latinæque linguæ cognitionem fuiſſe; eo labore Gaſparis Schioppij,& Caryophili opera liberatus, immortalem ijs gratiam habeo. Quorum alter collectis in Olopherne ſuo permultis ex vnica eius Epiſtola barbariſmis, eum rudem admodum in Latinitate fuiſſe docuit. Alter notis hiſce ſuis effecit, vt pudere in poſterum aduerſarios debeat, qui cùm tantam linguarum, ac Græcę imprimis cognitionem profiteantur, homini non admodum exquiſitè docto tantum eo nomine tribuerint.

Ioannis Matthai Caryophili ad Exercitationes Iſaaci Caſauboni notæ.

Capvt III.

PAgina 13. Verba Iuſtini Martyris Caſaubonus nec benè vertit,nec ſatis aptè ſuo nitori reſtituit. Nam primo illud, *ἀφ' οὗ ἔπαθε*, vel tollendum non eſt,quod ipſe exiſtimat;neque enim neceſſariò debet intelligi *ἀφ' οὗ ἔπαθε τὸν σταυρόν*,cùm optimè poſsit intelligi *τὸν διωγμὸν*,ſiue *τὴν φυγήν*; vel ſi propter obſcuritatem datur coniecturæ locus,aptius erit dicere *ἐφ' οὗ γέγονεν*; vt ſit potius error ſcriptoris,quàm auctoris; potuit enim facilè ſcriptor ex duobus verbis paulò ante poſitis *καὶ γέγονε τὴν ἔπαθε*, loco prioris ſumere poſterius.

2. Non animaduertit legendum non eſſe *κατὰ νόμους*, ſed *κατὰ νόμον*.

3. Non neceſſe eſt addi vocem *ἀρχιερέως*, nam apud Grammaticos *ἀπὸ κοινοῦ* intelligitur,cùm nullo interpoſito præcedat vox, *ἀρχιερεία*.

4. Quòd ait (deeſt verbum *λέγετε*) nihil eſt. exponam verba Iuſtini eo ordine quo legenda ſunt. *ὥστε καὶ τότε ὄντος ὑμῖν κατὰ νόμον τοῦ μωσέως, καὶ προσφορὰς προσφέροντος, καὶ τὰ ἄλλα νόμιμα φυλάσσοντος, καὶ προφητῶν κατὰ διαδοχὴν μέχρις Ἰωάννου γεγενημένων, ὡς καὶ ὅτε εἰς Βαβυλῶνα ἀπήχθη ὁ λαὸς ὑμῶν, πολεμηθείσης τῆς γῆς, καὶ τῶν ἱερῶν σκευῶν ἀφαιρεθέντων, μὴ παύσασθαι ἐξ ὑμῶν τὴν προφήτην, ὃς κύριος καὶ ἡγούμενος καὶ ἄρχων τοῦ λαοῦ ὑμῶν ἦν.*

Digitized by Google

Eo verò modo, quo legit, & corrigit Caſaubonus ὥστε λέγετε, ſuperflua omnino & ridicula fit repetitio. ὅμως λέγετε, ὥστε λέγετε, cùm legendum ſit, ὅμως λέγετε, &c. ὥστε μὴ παύσασθαι ἐξ ὑμῶν προφήτην, & locus ita vertendus eſt.

Cùm enim Herodem Aſcalonitam fuiſſe fateamini, tamen generis veſtri Pontificem non defuiſſe dicitis. ita vt illo tunc temporis etiam ſuo fungente munere iuxta legem Moyſi, & oblationes offerente, & cætera legalia obſeruante, manente quoque vſq; ad Ioannem ſucceſsione Prophetarum; ſicut etiam eo tempore, quo populus veſter Babylonem ductus eſt, terra expugnata, ſacriſque vaſis ſublatis; non defuerit vobis Propheta, dominus, & Dux, & princeps populi veſtri.

Exemplum de captiuitate Babylonica non pro ſe affert Iuſtinus, ſed pro Iudæis; qui tribus Iudæ regnum in Herode defeciſſe concedentes, negabāt defeciſſe Pontifices, Prophetas, & duces, vt accidit in captiuitate Babylonica, quando inquiunt direpta Iudæa non defecerunt Prophetæ. At Caſaubonus pag. 19. Hæc Iuſtini, inquit, ſententia eſt, quam ipſe ducto à captiuitate Babylonica argumento confirmat.

Quare mirū non eſt, ſi ex verbis Iuſtini malè intellectis ſenſus depromit alieniſsimos. Iuſtinus planiſsimè dicit, Chriſtum eſſe verum Meſsiam, quia natus eſt Rege alienigena Herode; quia poſt eius mortem deſierunt eſſe Prophetæ.

Caſaubonus ait, Iuſtinum refellere Iudæos illos, qui dicerent, in Herode magno impletum eſſe Iacobi oraculum. Si hoc eſt, Iuſtinus habebat intentum, nam oraculi adimpletio nihil aliud eſt, quàm Chriſti aduentus. Et quod infert Caſaubonus. (Iſtos Iudæos refellens Iuſtinus claris verbis negat, potuiſſe dici oraculum Iacobi prius euentu confirmatum, quam omnis penitus, & ciuilis Magiſtratus, & ordo hierarchicus fuerit deletus; hoc eſt, ante ſolo æquatam Vrbem.) diſſonat à verbis Iuſtini; qui refellit Iudæos, negantes omnino euentum oraculi, non partim concedentes, & partim negantes; & propterea Iuſtinus hæc duo coniungit γέγονε καὶ ἔπαθεν, φανερῶσαι καὶ θάνατον. Et veritatem ortus Chriſti probat per defectum regni; per mortem Chriſti defectum Prophetarum, ita vt deficiente regno Iudæorum impletum ſit oraculum, quoad Chriſti aduentum; mortuo verò Chriſto impletum ſit oraculum, quoad cæteros defectus Pontificum & Prophetarum; ne dicant Iudæi defeciſſe regnum, ſed non Prophetas, vt in captiuitate Babylonica; nam poſt Chriſti mortem omnia defecerunt. ergo in ortu & morte Chriſti oraculum pleniſsimè impletum eſt. Hoc totum ſonant Græca Iuſtini verba.

Pag. 26. Sic apud Patres, inquit. χριστιανοῦσθαι & χριστιανισμός. Græci Patres χριστιανίζειν & χριστιανισμὸν dicunt, ſicut ἰουδαΐζειν & ἰουδαϊσμόν. Ita Gregorius

Nazian-

Nazianzenus oratione prima in Iulianum. τιμιώτερον, inquit, τὸ χριστιανισμὸν πεποιήκασι Chriſtianæ religionis profeſsione? Nam χριστιανίζειν non tantum ſignificat imitari, ſed etiam profiteri ſe, aut fieri Chriſtianum.

Pag. 36. Ioſephi verba καὶ γὰρ ἐνόμιζον αὐτῷ τοῦτο ῥωμαίοις χαρίζειν, τοῖς ἐκ τοῦ γένους ἰδίου ἔχοντας αὐτὴν διδόναι. Caſaubonus vertit; Quia regna ijs deferre ſoliti eſſent, qui è genere forent regio. τοῖς ἐκ τοῦ γένους interpretari, è genere regio, aut ſumma impudentia, aut ſumma ignorantia eſt.. nam τοῖς ἐκ τοῦ γένους ſonat, hominibus eiuſdem generis, abſolutè, non regij, aut non regij. Itaque in hac parte magis Falſarius Caſaubonus, quàm Photius?

Pag. 30. Africani verba, εἴτ' οὖν φαντηθιῶντας ſic vertit ſanctus Ambroſius, vt Caſaubonus ait. (ſiue argumentati) infert Caſaubonus:: ego puto in voce Græca rarioris vſus hæſiſſe aquam Ambroſio. fallitur Caſaubonus. φαντητιῶν vox eſt, vel hodie in communi vſu Græcorum, vernacula inquam lingua. Et ſic illam intellexit Ambroſius; quaſi diceret; ſiue argumento hoc vſi, hoc eſt, non ſimplici narratione; & infert,, ſiue ſimpliciter docentes.

Illud potius notare debuit Caſaubonus, Africani verbis illis, πάντως δ' ἀληθεύοντας,, non omnino reſpondere verſionem Ambroſij (& verè adſtruentes). Et fortaſſe non ita ſcripſit Ambroſius; aut non erat illi propoſitum, interpretem ſolùm agere. vertendum eſt; ſed omninò verum adſtruentes. vt ſit ſenſus; tradunt Chriſti cognati, ſiue illi argumento hoc vtantur, vt gloriæ auidi, ſiue rem ſimpliciter narrent, quouis tamen modo verum aſtruentes, &c. Sed non placebat hic ſenſus Caſaubono, qui Græca verba perperam excipit; quaſi Iulius Africanus de veritate traditionis dubitaret. non enim dubitat Africanus, ſed cognatos ait Saluatoris, ſeu gloriæ ſtudio, ſeu pura ſimplicitate rem omnino veram narrare. Ita quoque poſtrema Africani verba, quæ Caſaubonus affert, non ſunt de traditionis veritate, quod ad ſummam rei ſpectat, dubitantis, ſed aſſerentis hanc inter hiſtorias de genere Herodis eſſe planiorem.

Pag. 37. Ioſephi verba ἕλλησι πλέον ἢ ἰουδαίοις οἰκείως ἔχειν ὁμολογούμενος. vertit Caſaubonus, quique adeò fateretur, maiorem ſibi ad Græcos, quàm ad Iudæos eſſe adiunctionem) mera Græcæ phraſis ignorantia. ὁμολογούμενον eſt, vel ὁμολογούμενος is vel id, de quo eſt aliquis in confeſſo.. Vertendum ergo. De quo illud in confeſſo eſt, maiorem illi fuiſſe affinitatem cum gentibus quàm cum Iudæis. & οἰκείως ἔχειν, trahi poteſt tam ad mores, quàm ad generis coniunctionem.

Pag. 58. Notandum obiter. Caſaubonus Gelenium quendam parum fidelem appellat Ioſephi interpretem, quod verba illa περιμηθεὶς & ἐπηρμένοι

ver-

verterit (Genus hominum aſtutum, arrogans) vertit autem Caſaubonus (ita proſpicientes in futurum, vt etiam aperto bello Reges laceſſant) ſed ſi Gelenius ille de ſuo addidit, Caſaubonus non totum expreſsit, tacuit enim vim vocis ἐπηρμένοι.

Pag.69. Coniecturæ illæ μετὰ τὸ χηρῶσαι pro χηρεῦσαι aut μετὰ τὸ γῆμαι, frigidiores ſunt, quàm allata coniectura Cornarij; qui fortaſſe legit μετὰ τὸ ζυμβιῶσαι γῆμαι ferendum non eſt. χηρῶσαι verò eſt ſignificationis actiuæ. Conſtat Epiphanium voces interdum vſurpare è populari ſui temporis lingua, non tamen vt actiua cum paſsiuis, aut contra, confundat.

Pag.70. Non eſt obſeruata, inquit Caſaubonus, Scripturæ abſurditas in Græco codice. ἄλλως πως μὴ εἶναι ζῆν ἀνθρώπῳ. Sed addendam eſſe ait vocem καθαρῶς vel ἁγίως.. nimis affectatæ ſunt pleræque Caſauboni annotationes. loquendi modus eſt communis linguarum. Nam cùm dicimus ἀνέζησαι non intelligimus nos animam prius exhalaſſe, atque inde reuixiſſe, hoc eſt, ad vitam redijſſe; ſed ζῆν hic ſumitur pro commodè & purè, vel in vniuerſum ſine dolore ac moleſtijs viuere: Et hoc ſonant Epiphanij verba.

Pag.91. Suidas, inquit, ante annos circiter quingentos ſcripſit; Dixiſſet melius DC. vt colligitur ex ipſomet in voce Κωνσταντινούπολις Oraculum, vt Suidas legit, & ſi ſua non caret licentia, venuſtius tamen eſt, quàm quòd à Caſaubono probatur

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων,
Τόνδε δόμον προλιπεῖν. καὶ ἐς ᾅδην αὖθις ἱκέσθαι.
Ἄπιθι λοιπὸν ἐκ δόμον ἡμετέρων·

verſus duo primi hexametri ſunt, tertius iambicus, trimiter σκάζων.

Pag.96. Verba Epiphanij, κλήρων ἀναγκασάντων quorum mentes, inquit Caſaubonus, non cepit interpres; vertit ipſe, iura hæreditatis, quam poſsidebat. ſed potius peruertit; κλῆρος enim eſt hæreditas, vel ſors hæreditatis. alia mens eſt Epiphanij, B. Virginem datis ſortibus nuptui eſſe traditam Ioſepho, non alteri, ita Dei prouidentia diſponente. ſenſum Caſauboni aliter expreſsiſſet Epiphanius.

Pag.104. Baſilij Magni verba τὸ δ' ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου καταλείψωμεν, vertit Caſaubonus (quod ſupereſt, omittamus quærere & myſterio, ſiue ſilentio relinquamus) maligna interpretatio. Quod poſtea fuit, inquit Baſilius, poſtpoſita curioſitate, rationi myſterij, hoc eſt, incarnationis, relinquamus. & eſt ſenſus. Ad rem noſtram facit ſcire virginitatem ante partum; quid poſtea ſecutum ſit, non opus eſt ad veritatem myſterij curioſè inquirere. ex hoc enim, inquit, pietati, hoc eſt, piæ de incarnatione fidei nullum affertur detrimentum.

Pag.107. Epiphanij verba ἀντὶ Θεοῦ ταύτην παρθένον ἀσπουδακότας vertit

Ca-

Digitized by Google

Caſaubonus (conatos P. Virginem pro Dea introducere) Epiphanius, inquit, pro Deo; Caſaubonus vertit pro Dea; vt probet non fuiſſe mentem Epiphanij aſſerere, Collyridianorũ dogma fuiſſe, B. Virginem diuinæ eſſe naturæ; ita peruerſo ſenſu peruersè reddidit vocem.

Pag.148. Quod Suidas ait de numero cenſorum in Orbe Romano, & vertit Caſaubonus (quadragies, & ſemel centena millia, mille, & ſeptemdecim) ſi animaduertiſſet Caſaubonus ſcribi poſſe, non νι ſed γ μυριάδας, non adeò iocularis viſa illi eſſet Suidæ & Baronij hallucinatio. eſſet enim numerus cenſorum, non quadragies, ſed quadringenties centena millia, mille & 17. & vt vulgo dicitur, quadraginta milliones. Et videtur Suidas numerum tantum virorum, non & mulierum collegiſſe, ait enim ἐ χίλιοι ζ ἄνδρας.

Pag.153. Verba Euſebij Ἡρώδης ἀντιπάτρου, Herodes Antipatri filius, Caſaubonus vertit (Herodes regnum Antipatri, &c.)

Pag.160. Ait Caſaubonus, ſe Euangeliſtæ auctoritate fretum non dubitanter aſſerere, Chriſtum in ipſa vrbe Bethlehem fuiſſe natum; quia non dixit Lucas ἐν καταλύματι, ſed ἐν τῷ καταλύματι. Sciunt, inquit, periti ſermonis Græci, articuli adiectione vel omiſſione multùm fieri diuerſam horum verborum ſententiam; ita vt cum articulo dupliciter, inquit, exponi poſſit; vel fuiſſe vnicum Bethleem diuerſorium, vel vnum aliquod diuerſorium Bethleemiticum ipſos adijſſe, atq; in eo fuiſſe quidem exceptos, ſed locum ibi non eſſe repertum, qui ad cubandum concederetur. De articulis nota ſunt quæ Grammatici tradunt. Quod hic ait Caſaubonus, articuli quidem hoc loco adiectio ſignificat, ſermonem eſſe de vno quopiam diuerſorio ὡρισμένως, non de omni diuerſorio: ſed vnde habet Caſaubonus certum hoc & determinatum diuerſorium fuiſſe intra muros Bethlehem? Non fuit illis, inquit Euangeliſta, locus in illo diuerſorio, quo diuerterant; ergo diuerſorium illud quo diuerterant, non erat extra Bethlehem? has nugas Caſaubonus ex imperitia Græci ſermonis colligit. Ita quæ mox philoſophatur de articulo ἐν τῇ φάτνῃ vanæ oſtẽtationis ſunt. nam Euangeliſta, cùm dixit, ἐν τῇ φάτνῃ, hoc voluit; reclinatũ Dominũ non in ſtragulis, nõ humi, ſed in præſepio; nec appoſitus eſt articulus ad diſtinguendũ præſepe hoc ab alijs præſepibus, ſed ab alijs ſtabuli partibus; quę ſignificatio exigit neceſſario articulum. ita quod etiã ſine articulo Luc. ait, & affert Caſaubonus εὑρήσετε τὸ βρέφος κείμενον ἐν φάτνῃ, ſenſum hũc habet. inuenietis, inquit, puerum in præſepi iacentem, non in pretioſis veſtibus, aut cunis regijs. proinde articulus omiſſus eſt, quia omnis præſepij conditio viliſſima eſt. Itaque nullam ad hoc ſignificationem adderet articulus.

Sed hæc obiter annotata ſunt, vt cętera quoque omnia; nam omnes velle perſequi affectatos & falſos Caſauboni græciſmos, immenſum foret. Quis

 verò

vero etiã illud ferat ꝑ verba illa, διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι, ſignificare Euangeliſtã, fuiſſe quidẽ Ioſepho & Mariæ locũ quod ad cætera, ſed non quoad cubandũ? idẽ planè eſt dicere; nõ erat illis locus in diuerſorio, & nullus erat illis locus in diuerſorio. At Caſaubonus (omnino inquit harũ diſtinctionũ habenda ratio eſt, vt adiecti articuli uis intelligatur) Hæc ſunt apud Græcos, & Græcè re vera peritos, noua, falſa, ridicula.

Pag. 166. Verba Greg. Nazianzeni oratione in Natalẽ Domini γνῶθι ὡς βοῦς τὸν κτησάμενον, &c. allegoricè ſumenda eſſe vult Caſaubonus. mira hominis impudentia. Cur enim hæc allegoricè tantum intelligantur, ſi cætera omnia, quæ recẽſet ibi Gregorius, ſaluo hiſtorico ſenſu in allegoriam trahit? alioquin & præſepe, & Magorũ munera, & fuga in Aegyptum, & ſimilia allegoricè tantum eſſent intelligenda.

Pag. 178. Participij, inquit, aoriſti ea vis eſt, vt ſimul denotet celeritatem &c. Mirum eſt hominem tantæ audaciæ, qui ſæpe vel Græcos ipſos Græca velit docere, prima grammaticæ rudimenta ignorare. Apud Grammaticos Græcos ὁ παρακείμενος ἀπὸ τοῦ παρακεῖσθαι celeritatem potius denotat, quã aoriſtus, qui ideo ἀόριστος vocatur, quia certam non habet temporis ſignificationem: licet hæc ab auctoribus non perpetuo obſeruẽtur, ſed aoriſtus loco Parachimeni ſumatur, & contra.

Pag. 185. Audet Caſaubonus aſſerere, appellationem Epiphaniorũ è ritibus paganorum, vt alia multa, inquit, pio propoſito deriuata in Eccleſiaſticam obſeruationem; cum Græci diem illum celebrantes nihil aliud tam ſæpe canant, quam ἐπεφάνης σήμερον τῇ οἰκουμένῃ, vocem Apoſtoli vſurpantes ex epiſtola ad Titum, non è ſordibus Athenæi. Ex quo etiã manifeſte patet: Eccleſiæ Græcorum ſenſus de appellatione Epiphaniorum. ἐπεφάνης enim aiunt τῇ οἰκουμένῃ. Apparuit vero Chriſtus mundo non die quo natus eſt, ſed quo à Magis adoratus, vel à Ioanne baptizatus. Itaq; ineptè Caſaubonus affirmat, quæ non intelligit, dum ait in Eccleſia Conſtantinopolitana cauſam huius celebritatis fuiſſe natalem Domini, non aduentum Magorum aut Baptiſmum.

Ibidem ait auctore Chryſoſtomo, Eccleſiã Conſtantinopolitanam à Romana edoctam cepiſſe Chriſti natalem ſub illa tempora celebrare die XXV. Decembris. at certe Greg. Nazianzenus ante Nectarium, & Chryſoſtomum patriarcha Conſtantinop. orationem habuit primo, εἰς τὰ Θεοφάνια, εἴτουν γενέθλια τοῦ σωτῆρος, deinde aliam orationem, εἰς τὰ ἅγια φῶτα τῶν ἐπιφανίων in qua Chriſtũ vocat, φανέντα καὶ φαινόμενον. & agit de his ſolemnitatibus vt notiſsimis, & antiquiſsimis. nihil tale ergo potuit docere Chryſoſtomus; ſed auctor orationis citatæ à Caſaubono longè alius, & de longe alia Eccleſia loqui debet.

Digitized by Google

Pag. 190. ἀσκήτριαν non eſſe monialem affirmat Caſaubonus,& ineptiſsime verſum ait à Cyrilli Hieroſ. interprete. Non animaduertit, qui ſe Græciſsimum oſtentabat, aliam vim eſſe participiorum, aliam nominum ex eodẽ verbo deriuatorum. Aliud eſt eſſe aliquem ποιοῦντα, aliud ποιητήν. aliud ἀλείφοντα, aliud ἀλείπτην. & ſexcenta alia. omnis poeta,& ἀλείπτης ποιεῖ καὶ ἀλείφει, at non contra. Nomina enim huiuſmodi ſignificant conditionem hominis talẽ ſtatũ, aut artẽ, aut ſtudium profitentis. Ita loquuntur Patres Græci. Quare non obitat, quod Clemens Alex. Chriſtianam religionem vocat ἄσκησιν,& citati auctores à Caſaubono; omnis enim Chriſtianus exercere ſe debet in bonis actibus: at ſola hæc ἄσκησις non facit ἀσκητήν, ſed illum qui ſublimiorẽ, difficiliorem, ſanctiorem vitæ ſtatum profitetur. Hoc ſenſu Philo vocat Iſſachar ἀσκητήν; & Clemens Alex Iacobum ἀσκητὴν quia peruenerat ad virtutem aſcetarum. & ridicule infert Caſaubonus; ſi Cyrillus Annam vocat aſcetriam. i. Monialem, ergo Iſſachar fuit Monachus. inferendũ eſt; ergo fuit virtute monaſtica præditus. Alioquin Baſilius Magnus ἀσκητικὰ ſua ſcripſit non ad Monachos tantum, ſed ad omnes Chriſtianos. Sed hæc apud Græcos,& Græcè peritos deliria ſunt.

Pag. 223. Vocem illam de lingua latina Gregorij Thaumaturgi φορτικὴ δὲ ὅμως ἐμοί, vertit Caſaubonus (cæterum mihi moleſta,& barbara) addidit de ſuo (& Barbara).

Pag. 226. Ex verbis Philippi presbyteri in Conc. Epheſi act. 2. contrariam plane ſententiam infert Caſaubonus. τὸ ἱκανὸν, inquit, ἐγένετο τῇ συνηθείᾳ, ἵνα τὰ γράμματα τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας ἐν πρώτοις ῥωμαϊστὶ ἀναγνωσθῇ &c. Cõſuetudo, inquit, (quæ lex Conciliorum eſt) exigebat, vt ſedis Apoſtolicæ litteræ latinè prius legerentur. nunc vobis expetentibus vt Græcè quoq; recitentur, deſiderio veſtro neceſſe eſt, vt ſatisfiat. Itaq; Græcè lectæ ſunt neceſſitate deſiderij, latinè vigore conſuetudinis obſeruatæ in Concilijs. At Caſaubonus totum oppoſitum colligit,& ſenſum detorquet.

Quæ vero addit Caſaubonus de Nicolai PP. verbis in Epiſtola ad Michaelem Imp.& ſomnia ſua de Eccleſijs Conſtantinopoli, ad quas pleriq; omnes latini, Græci autẽ pauci conuenirent, à Græcis ſine riſu excipi non poſſunt. Romæ in Capella Põtificia, cũ Pontifex ipſe ſolemni ritu celebrat Euangeliũ, & epiſtola prius latine; deinde Græcè canitur; & mos iſte immemorabilis eſt. Concilio Lugdunenſi ſub Greg. x. ſymbolũ quoq; Græcè & Latinè decantatũ eſt, terq; repetitũ ex Patre, filioq;. In ciuitatibus inſulæ Cretæ, dũ Epiſcopus Latinus ſolemniter celebrat inſigniorib. feſtiuitatibus, ſimili more prius Latine, deinde Græce canitur Epiſtola,& Euang. & perſuaſiſsimũ eſt græcis tã ſchiſmaticis, quã Catholicis hoc fieri, nõ vt ne parum intellectum maneat populo, quiquid eſt recitatum lingua non omnibus nota; vt de ſuo capite

 profert

Profert Caſaubonus;ſed & Vnio Eccleſię Orientalis,& Occidentalis ſignificetur,& Rom.Pont.vnum Eccleſiæ Catholicæ caput agnoſcatur. Itaque Græci durante vnitate Eccleſiarum in maioribus Eccleſijs hoc obſeruabãt. neque enim opus erat hoc fieri paſsim in quibuſuis orientalium Eccleſijs, ſed vbi congruebat vnitatem hanc exteriori ſigno declarari, quod ſonant Nicolai verba. Et poſt ſchiſma quoties de pace actum eſt, nullo maiori ſigno declarabatur reſtituta Conciliatio,quàm clara Pontificij nominis mentione in Liturgia, & recitatione Epiſtolæ & Euangelij Latinè, & Græcè. Conſtant hæc ex multis Scriptoribus, præſertim ex epiſtola quadam Petri τοῦ Κηρουλλῆ, & hiſtoria Pachymeris de vnione Gręcorum ſub Gregorio X. & Michaele Palæologo.

Certè enim neque in Capella Pontificia propter Græcos Græcè recitatur Euangelium,vbi plerumque nullus Græcus adeſt,neque in Creta pariter propter Græcos idem obſeruatur, neq; olim Conſtantinopoli propter Latinos Latinè recitabatur. Et quod exclamat Caſaubonus ob verba Epiphanij, ἑρμηνευταὶ γλώσσης εἰς γλῶσσαν ἢ ἐν ταῖς ἀναγνώσεσιν, ἢ ἐν ταῖς ὁμιλίαις. (ô magnam vim veritatis) aptiſsimè mutari poſſet, ô magnam vim veritati illatam. Vnde enim colligit Caſaubonus,in veteri Eccleſia non fuiſſe moris, vt lingua ignota quicquam ſine interprete apud populum recitaretur? Epiphanius loquitur non de recitatione Scripturæ, nec enim dicit Scripturam recitari ſolitam lingua omnibus nota;ſed loquitur de officio interpretum poſt recitationem Scripturæ. quod faciunt hodie Concionatores,& apud Græcos officia quædam maiorum Conſtantinopoli Clericorum, explicandi Epiſtolas & Euangelia populo (Interpretes, inquit, linguæ in linguam,vel in lectionibus,vel in homilijs) Græci Græca intelligentes Epiphanium audiunt dicentem, Opus eſſe interpretibus, qui explanent populo,quæ lecta,vel dicta ſunt.

Quod poſtremo addit Caſaubonus,Latinis loco beneficij conceſſum, vt Liturgia Romano more celebraretur; falſum eſt,ſi tēpus intelligat ante vltimum ſchiſma.nam ſępè Rom.etiam Pontifices Conſtantinopoli celebrarunt,Græcis id habentibus loco magni beneficij.poſt vltimum ſchiſma verum eſt;ſed fallitur oculatiſſimus Caſaubonus. tale enim exemplum nullũ eſt in ſexta Synodo,ſub Conſtantino Pægonato,quo tempore Gręci Rom. Eccl.venerabantur,& Hūbertus ſcripſit tempore Monomachi, non Pægonati.cœpit enim ſchiſma vltimum,& adhuc vigens ſub Monomacho.

Pag.248. Docet Iſidorum Peluſiotam doctiſsimus Caſaubonus,aliud eſſe Græcis ἀχερίδας & ἀχερόδρυα. En hominis impudentiam. Quorſum hac in re ἀχεροδρύων mentio? Quæritur, num ἀχερὶς eſſet ζῶον, an verò idem quod ἄχερις ſiue ἄχερις ἢ ἀχερίμων βοτανῶν. non confundit voces Peluſiota, ſed quod ſibi probabilius videbatur, affirmat.

Pag.

Pag.125. Verba Chryſ. καὶ ἐσφάλη, ὡς φοβηθῆναι τὸ πάθος. vertit Caſaubonus, & lapſus eſt, vt metueretur illius caſus. En hominem, qui Græcos Græca docere audet; φοβηθῆναι, verbum eſſe putat ſignificationis paſsiuæ. ſenſus Chryſoſtomi eſt; lapſus eſt ita vt metueret paſsionem.

Pag. 261. Qui omnes omnium errores emendare ſolitus eſt Caſaubonus, non vidit ex ipſiſmet verbis Chryſoſtomi, non eſſe ſcribendum, καταπηδᾷ τῶν μαθητῶν, ſed προπηδᾷ, vel προκαταπηδᾷ. Nec vertendum eſſe. Petrum ſemper omnibus diſcipulis inſultaſſe, ſed præ cæteris diſcipulis ſemper proſiluiſſe. Quod addit Caſaubonus, auctoritatẽ Petri vocari ſolitam à Chryſoſtomo παῤῥησίαν, eſt Chryſoſtomum nõ Græce loquentem facere.

Pag. 266. Nullo modo admittit Grammatica Græca, quod fingit Caſaubonus πέτραν & πέτρον eſſe paronymiam in ſola vocum forma. Grammatici enim hæc nomina vocant διπλῆς λήξεως καὶ κλίσεως ταυτοσήμαντα. vt βλάβη βλάβος, δίψα δίψος, νίκη νῖκος, νομὴ νόμος, ποθὴ πόθος.

Et antiquiſsimus hymnus Orientalis Eccleſiæ idem affirmat, ἡ πέτρα Χριστὸς τὴν πέτραν τῆς πίστεως δοξάζει φαιδρῶς τῶν μαθητῶν τὸν πρόκριτον. &c.

Pag. 278. Ridet, & irridet Caſaubonus Optatum, & Innocentiũ tertium de etymologia vocis Κηφᾶς, quod deducatur ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, eo quod Cepha Syriaca ſit vox. Non videret Caſaubonus, ſi ſciret, ſacrum quoque nomen, Ἰησοῦς, quod Hebraicum eſt, à Grammaticis Græcis deduci ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι; non quod neſciuerint vocis Hebrææ etymon non eſſe à peregrina lingua petendum, ſed quia non ſine diuino myſterio factum videtur, vt in aliena quoque lingua deriuationem admittat veriſsimam. Alioquin rideat etiam grammaticos Caſaubonus, qui ſe grammaticum profitetur græciſsimum, aſſerentes elementorum primum ἄλφα, quod ab Aleph Hebraico deduci fatetur antiquitas, deriuari ab ἀλφῶ τὸ ζητῶ.

Pag. 289. Errat, inquit, Baronius, cum putat Græcos vocem βασιλίσκος ſic accepiſſe, vt Latini, ſuam, Regulus, accipiunt, cũ dynaſtam, vel toparchã ſignificat. futile eſt, ad Græcos priſcæ ętatis prouocare, quaſi poſteriores Græci multas Romanas voces non vſurpauerint, ut Κοιαίστωρας, μάγιστρον, παλάτιον. & vocem Regulus, cum dynaſta eſt, non potuerint, exprimere per ὑποκορισμὸν, βασιλίσκος.

Pag. 315. Quod ait in conſtitutionibus Clemens, τὴν καθόλου ἐπισκοπὴν πεπιστευμένος, trahit Caſaubonus ad hoc, vt omnes quondam Epiſcopi vniuerſam Eccleſiam ſuo quodam modo curarent. en fidum interpretem. Clemens Apoſtolos, inquit, ſcripſiſſe vniuerſalem doctrinam ad vniuerſos Epiſcopos; Et Caſaubonus intelligit, ad vniuerſorũ Epiſcopos. Quod enim hoc idem repetit pag. 761. vt librum eius forte euoluenti videre mihi cõtigit; mirum eſt quam falſo, & inauſter græca obijciat, vbi per Phraſim græ-

cam

cam nihil eſt colligere: nam verba illa idem ſonant in quauis lingua. Vt ſi quis diceret:Scripſi epiſto'am ad Principes vniuerſæ Italię;cui dubium eſt, nõ ita dictũ,vt intelligat,quéuis ex illis,ad quos ſcriptũ eſt,eſſe totius Italię principẽ?Caſaubonus tñ ita i telligit, & Grę̨ca nõ Grę̨cus ridiculè accipit.

Pag.321.Locum Gregorij Nazianzeni *ἐν τῷ περὶ τῆς ἐν ταῖς διαλέξεσιν εὐταξίας* contra Grammaticæ leges vertit Caſaubonus, *ὁρᾷς τῶν Χριστοῦ μαθητῶν πάντων ὄντων ὑψηλῶν τε, καὶ τῆς ἐκλογῆς ἀξίων, ὁ μὲν πέτρα καλεῖται καὶ τοὺς θεμελίους τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται, ὁ δὲ ἀγαπᾶται πλέον, καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ ἀναπαύεται, καὶ φέρουσιν οἱ λοιποὶ τὴν προτίμησιν.* Ex omnibus, inquit, Apoſtolis, qui tamen excelſi omnes, omnes vocatione digni, Petrus & Ioannes Prælati ſunt, ille fundamentum Eccleſiæ conſtitutus;hic præcipuo quodam amore dilectus; & cæteri Apoſtoli ferunt prælationem. Cùm ſermo ſit de duobus prælatis, interpres fideliſsimus Caſaubonus vertit,& ferunt cæteri Apoſtoli hanc prærogatiuam honoris Ioanni habiti.

Pag.341.De vaſe vnguentario,quid Suidas ait à Conſtãtino magno fuiſſe in foro Cõſtantinopolitano repoſitum,magnas turbas excitat Caſaubonus; & græculum planum peritiſsimus rerum græcarum interpres appellat, qui Conſtãtino vas illud obtulit,cuius non niſi fragmina poterant extare.Quid verò hac ignorantia craſsius?Suidę verba,quamuis mendoſa ſint eo quo leguntur modo, poterant tamen à viro erudito etiam citra manuſcripti Codicis opẽ emendari.Caſaubonus,quæ pro ſua incõparabili eruditione emẽdare non potuit,vt non ſcripta præterijt. Reſtituenda ſunt ex antiquo manuſcripto: *Κάτωθεν τοῦ φόρου κεχωσμένοι ὑπῆρχον δύο σταυροὶ τῶν δύο λῃστῶν, καὶ βίκιον μύρου, οὗ ἠλείψατο ὁ Χριστὸς, καὶ πολλὰ ἕτερα σημειοφορικά, τεθέντα μὲν παρὰ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου, ἀσφαλισθέντα δὲ ὑπὸ τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου.* Infra forũ defoſſæ erant duæ cruces duorum latronum,& vaſcuiũ de illo vnguento,quo vnctus eſt Chriſtus, & multa alia rerum admirabilium monumenta, poſita quidẽ à Conſtantino Magno,tutiori verò cuſtodię tradita à Magno Theodoſio. Sed eſto,legãtur verba,vt legit Caſaubonus. nullus ibi ſermo de vaſe illo ipſo, ſed de vnguento, quo vnctus eſt Chriſtus,cuius aliqua pars aſſeruabatur in vaſculo quopiam. *καὶ βίκιον μύρου*, inquit,non *καὶ τὸ βίκιον*. At curioſus articulorum obſeruator ſupra ex articulo appoſito colligebat nouitates commentitias;hic verò,vbi nullus eſt appoſitus, adeò cæcutit, vt planè *ἄρθρα φρενῶν* perdidididiſſe videatur.

Hactenus Caryophili notæ, qui imperitam Caſauboni arrogãtiam exoſus,elegantiſsimo etiam Iambo, atq; epigrammatis eum inſectatus eſt.quę adſcribere volui:vt intelligant Caluiniani Grammatiſtæ, ſerijs ſuis exercitationibus multò præſtabiliores eſſe Catholicorum Luſus, neque verò impunè laturos ſeſe,ſi quid in Eccleſiam inſanierint.

Digitized by Google

Εἰς τὴν Κασαυβῶνος τοῦ περίφρονος ματαιοπονίαν κατὰ τῆς ἱερᾶς ἱστορίας τοῦ ἐν ὁσίᾳ λήξει Βαρωνίου τοῦ Καρδινάλεως.

Καὶ τίς ματαιόσπουδον ἀχλὺν φληνάφων
Ἐξιστορῆσαι τῶν Κασαύβωνι στίχων;
Ἅλις ἄλις πέπωκε πικρῶν ναμάτων,
Ἅλις βδελυκτῶν ἐμφορηθεὶς βρωμάτων,
Φέρεις, πανουργεῖς, φλυαρεῖς, κυκᾷς, πλέκεις,
Κλώθεις ἀσυνήλωτοισι νημάτων κρόκας,
Παίζεις κακοπαρέδροισιν ἀπεικουργίαις.
Κινεῖς, ὃ κινεῖν οὐ θέμις, θεῖον σέβας.
Γελᾷς γελοίως ἀγράφων θεσπισμάτων
Σέβασμα, κλέπτων τὰς ἁπλουστέρων φρένας.
Καὶ δουλαγωγεῖς εἰς κάτω καὶ κεῖς τἄνω.
Ἐκ γλώσσης εἴπερ ἔρχεται γραπτὸς λόγος,
Καὶ νοῦ γόνος πέφυκεν ἡ δέλτου φύσις.
Τόλμαν δὲ τὴν σὴν ἐκφράσαι τίς ἂν μίξοις;
Αὐτοὺς διδάσκειν οἶσθα τοὺς διδασκάλους.
Καὶ ψιττακῶν μίμημα δυσχερῶς πλέκων,
Τὸ λαμπρόφωνον ῥητόρων θήγεις στόμα
Ψελλισμάτων βόμβοισιν ἀθλιωτάτων.
Γραικοῖς τὰ γραικῶν ἐκφέρεις; ὃ τίς πίσιν;
Ὗς τὴν Ἀθηνᾶν μωρὲ καὶ μαστιγία.
Ἀλλ' ἐρρέτω σοι πάντα, καὶ νοῦς, καὶ λόγος.
Καὶ τόλμα, τυφλῆς θυγάτηρ ἀπειρίας.
Κακῶς ἀλοῦ καὶ νίκος κατ' ἀξίαν,
Κῆρυξ ἄπιστε δυσσεβοῦς ἀπιστίας,
Θρασύστομε, γλωσσαλγὲ συλλαβοπλόκε:
Καὶ σωφρονεῖν γε τοῖς μαθήσεται νόμοις,
Εἴ τις κακουργεῖν τοῖς θελήσει τρόποις.

Τίνας ἂν εἴποιεν αἱ μοῦσαι λόγους τελευτήσαντος τοῦ Κασαυβῶνος.

Τέθνακ' ἐμοῦ σοι χαρὶς Κασαύβονος, ἀεί τι δ' ἡμῖν
Ἀμφοτερογλώσσῳ φθέγξεται εὐστομίη.
Φιλῶ μὲν φθιμένοισιν. αὐτὰρ παναληθέα μῦθον
Ἐξερέειν μούσαις κεκροπίδεσσι θέμις.
Τίς σε στρεψολόγον Κασαύβονι θῆκε, φράζειν
Ἀλλὰ μὲν ὡς μούσας, ἄλλα δίκα' ἐννοίην.

Ἄλλο.

Δάκρυά σοι σπένδουσι Κασαύβονι σῷ ἐπὶ τύμβῳ
Αὐσονίδες μοῦσαι, μοῦσαι Ἀχαιΐδες,
Ὅττι μαθημοσύνης κλέος ἔλλαβες ὃ κατὰ μοῖραν,
Ὤλετο δὲ ψυχή, ὤλετο καὶ σοφίη.
Αἲ, αἲ, πῶς μερόπων ἀλαοὶ φρένες ἠερέθονται.
Νῦν δ' ἄτερ εὐσεβίης πᾶν κακὸν ἡ σοφίη.

Ἄλλο.

Ζωὸς ἐπωνυμίην Κασαύβονος, ἀλλὰ λιπόπνους
Κικλήσθω ἀρετῆς οὔνομα Καυσάβονος.

Caſau-

Digitized by Google

Caſaubonus exercitatione I. *Baronio multa per calumniam affingit.*

Capvt IV.

NVllvm eſt genus hominum ad mendacium, atque calumniam pronius, quam hęretici, vt vix vlla alia nota melius dignoſcantur. Quid enim agant? qui &, cum *ex patre diabolo ſint, ſpiritu eius aguntur, in quo veritas non eſt: quique, cum loquitur, mendacium ex proprijs loquitur*; & cum victoriam, non veritatem in contentione ſectentur, ad eam cauſam neceſſario diſputationem accommodant, quæ, niſi mendacio fulciatur, ruit: vt mirum nemini videri debeat, ſi Geneuæ à puero pene inſtitutus, neq; Caluinianæ, diſciplinæ ſolum, ſed ſpiritus etiam hæres Caſaubonus, tam impudentibus mendacijs exercitationes haſce ſuas repleuerit. Locum hunc aliquot capitibus exequar, & pleraque tamen omittam, ne totum eius librum huc transferam. Incipiamus ab ijs, quæ I. exercitatione Baronio falsò tribuit, vt nõnihil in eo merito reprehendiſſe videretur.

Exercit. eius I, cap. VI. *Iudæa* inquit, *à Pompeio ſubacta eſt, & facta vectigalis, eadem tamen tunc nulla ex parte, neque vllo pacto facta eſt prouincia: videtur enim Baronius exiſtimaſſe Scaurũ Gabiniũ, & Craſſum Iudæam adminiſtraſſe velut vnam è prouincijs populi Romani.* Qui autem id exiſtimaſſe videri ſano cuiquam, ac ſobrio potuit is, qui non ante ſublatum è ſtirpe Dauid, hoc eſt ab Aſſamonæis, regnum ſcribat, quam rerum Herodes alienigena potiretur? Aut vbi tandem, vel quib. id verbis ſignificauit Baronius? Quia ne num. VI. ſcripſit; *A Pompeio magno Iudæam, ex parte, in prouinciæ formam redactam, ac per Scaurum primum, deinde Gabinium adminiſtratam?* Quaſi vero qui dixit; *ex parte in prouinciæ formam redactam*; ijs ipſis verbis non aperte ſignificarit, eam non abſolutè ſimpliciterque *in formam prouincæ redactam eſſe.* Nam quod per *Scaurũ, Gabinium adminiſtratam eam* ſcribit; facit id quod Ioſephus lib. I. de bel. Iud. cap. V. extremo facit: cuius ea ſunt de Pompeio poſt abſolutum bellũ Iudaicum, reditum in Italiam cogitante; πυεgδὺς ταύτην τε καὶ τὴν Ἰουδαίαν καὶ τὰ μέχρις αἰγύπτου καὶ εὐφράτου Σκαύρῳ διέπειν. *Tradens, eamque* [Syriam] *& Iudæam, & quæ ad Aegyptum, atque Euphratem vſque pertinent, Scauro adminiſtrandam.* At, inquit Caſaubonus, *Propriè quidem Scaurus Syriæ eſt impoſitus. Sed quia nondum compoſita Iudæa erat etiam huius extra ordinem cura illi demandata.* quaſi non hoc ipſum ſit *Iudæam ex parte in prouinciæ formam redactam eſſe*: ita ſuis legibus viuere, ac populari ſuo parere Iudæis eſſe permiſſum; vt is, qui rerum apud eos potiebatur, neque honore regij nominis gauderet, & Romano Proconſuli ad eum modum ipſe ſubijceretur: quo poſtea Procuratores qui dicti

dicti ſunt Cæſaris. Porro non extra ordinem curam eam Scauro demandatam, illud argumento eſſe poteſt, quod qui deinde ſequuti ſunt Syriæ Præſides ad Herodē Regem ab ſenatu renunciatum, eam poteſtatem vſurparunt. Non exiſtimauit ergo Baronius, ac ne ſignificauit quidē vnquam exiſtimaſſe ſeſe, *Scaurum, Gabinium, & Craſſum Iudaam adminiſtraſſe velut vnam è prouincijs Populi Romani*, cum nō ignoraret non ante Aſſamonæos ab Iudçæ adminiſtratione pulſos, quam Antigono ſecuri percuſſo, Herodi regnum traderetur. Sed qui legiſſet apud Ioſephum quo iure à Romanis procōſulibus Iudæa deinceps adminiſtrata eſſet; veriſsimè dixit id, quod in calumniā detorquet, atque odio Baronij, ne in Amiano quidem Marcellino tolerat Caſaubonus. cuius ea verba ſunt lib. XIV. *Paleſtina regiones pari ſorte Pompeius Iudais domitis, & Ieroſolymis captis, in prouinciarum ſpeciem, rectori delata iuriſdictione, formauit.*

Sed hoc loco falſus ipſe potius, quam ſciens fefelliſſe videri poteſt. Audi palmarem è cap. IX. calumniam. De ſuperſtitione Doſitheanorum diſputans num. XIII. Baronius, exemplum Iudæi cuiuſdam gubernatoris profert è Syneſio, qui cum aduentate Sabbato, ſol occubuiſſet, relicto protinus clauo, proſtrauit ſeſe, neque vnquam, ne iniecto quidem à nectoribus mortis metu, adduci potuit, vt ad gubernandū rediret. *Sicque tota nocte, cum ſequenti die vſque ad dimidium noctis ſedit Iudaus otioſus: tunc vero ſponte ſurrexit, & clauum omiſſum recepit.* quæ totidem verbis è Syneſio deſcripta cum attuliſſet Baronius, ne quis dubitare poſſet ſuiſne, an alienis verbis rem eam narraſſet; *Huc vſque*, inquit, *Syneſius.* At Caſaubonus pag. 68. cum allatis Græcis Syneſij verbis, locum eum non bene ab interprete redditum oſtendere conatus eſſet, culpam tamen, ſi qua ea eſt, ad Baronium ipſum tranſfert, *cum dicat Syneſius*, inquit, *claris & perſpicuis verbis gubernatorem ceſſaſſe tantum à principio noctis ad noctem eandem dimidiatam: tunc autem in ipſo Sabbato contra ſpem, nec ſine magna admiratione omnium ad officium rediſſe: Baronius tamen ita exprimit: ſicque tota nocte cum ſequenti die vſque ad dimidium noctis ſedit Iudeus otioſus.* Satis ea calumnia videri poterat, ſi peccatum interpretis Baronio immerenti tribueret: ſed ille hic etiā tragædias excitat. *At quanta hac licentia eſt?* inquit, *quam prodigioſa? Multa enim verba de ſuo adijcit, & quidem valde abſurde*: Quæ in interpretem non immerito iactari fortaſſe poterant, in Barorium liuore animi ſunt tranſlata.

Huic eſt illud affine, quod proxime ſubijcit. Cum enim legiſſet in Cornerij Epiphanio Baronius; *Doſitheanos continere ſe à nuptijs poſtquam in nuptijs vixerint*; ſenſum non verba ſequutus, ſcripſit eos Epiphanio auctore monogamos fuiſſe. Hic Caſaubonus; *Vereor*, inquit, *ne coniecturam ſuam, non Epiphanij ſententiam de monogamis Doſitheanis narret hic nobis Baronius.* Cur autem ita ſuſpicetur,

ſic exponit; *Eſt enim in Græcis*, inquit καὶ τινες αὐτῶν ἐγκρατεύονται ἀπὸ γάμου μετὰ τὸ βιῶσαι: ἄλλοι δὲ καὶ παρθενεύουσι, *quidam eorum continent ſe à nuptijs, poſtquam vixerint: alij etiam virginitatem colunt. Hic nihil eſt vnde colligi queat Doſitheanos vixiſſe aut vna vxore contentos, aut vnis nuptijs: vnde ergo habet Baronius?* Facilis eſt reſponſio, è verſione Cornerij. Quid enim aliud velle ſibi poteſt, quod ille ſcripſit; *Continere eos ſe à nuptijs, poſtquam in nuptijs vixerint?* Certe enim ſecundas nuptias repudiari ab ijs neceſſe eſt, qui poſtquam in nuptijs vixerint deinceps à nuptijs abſtinent. Nam ſi priore demortua, vxorem aliam ducunt, *non ſe à nuptijs abſtinent, poſtquam in nuptijs vixerint.* Ergo ſi quid eſt in eo vitij, id Cornerij, non Baronij vitium eſt: neque reprehendi is alia de cauſa, in hac quidem re poteſt; niſi quod hæretico interpreti fidem habuit. Malignitatem porro Caſauboni illud hac in re, ac mendacitatem prodit, quod Cornerij verſionem vidit, atque etiam hoc loco retulit. *Cornerius ita vertit*, inquit, *Continent ſe à nuptijs, poſtquam in nuptijs vixerint. Legi ergo voluit* μετὰ τὸ βιῶσαι ἐν γάμῳ. Non igitur imprudens, ſed de induſtria Cornerij ſui erratum, ſi quod erat, in Baronium tranſtulit.

Grauiter etiam cap. XII. pag. 92. virum illuſtriſsimum accuſat, cum etiam *ſui obliuiſci eum dicat, quoties huiuſmodi auditiunculis, ante pauca ſæcula confictis chartas commaculat ſuas:* quod Suidæ, atque Nicephoro fidem habuerit, oraculum Apollinis, atque aram ab Auguſto Romæ poſitam *Primogenito Dei* narrantibus. Cum tamen totam eam rem vir grauiſsimus ita protulerit, vt ſuſtinere ſe aſſenſum, addo etiam vehementer dubitare aperte admodum ſignificaret. Quorſum enim ea ſpectant? *Hæc ab eo* [Apolline] *reſponſa vt ferũt, tandem elicuit* (Auguſtus) Quorſum illa? *Ad hæc addunt, Auguſtum Romam reuerſum aram in capitolio erexiſſe.* Quorſum id, quod ne Caſaubonus quidem diſsimulare potuit? *Hæc Nicephorus, ac Suidas, quibus cæteri fidem adhibuerunt.* Satiſne perſpicue indicat, qui ita loquitur aliena ſe fide, non ſua loqui? neq; iudiciũ interponere in ea re, quæ ita feratur, narreturque, vt etiã apud multos fidem inuenerit? Audi etiam quid ſubijciat, poſt narratum id, quod de oſtenſa Auguſto ab Sibylla virgine puerum geſtante Romæ fertur: *Quod ita velim intelligant, qui ei rei maiorem fidem adhibendam putant, quàm his quæ ex Græcis auctoribus recenſuimus. Non quod Sibylla aliqua Auguſti temporibus, quæ illum hæc docuerit, ſuperſtes fuerit: ſiquidem Cumæa, quæ nouiſsima omnium fuiſſe traditur, quinquageſima olympiade, auctore Solino, vixit, & temporibus Tarquinij regis Romæ fuit. Sed ſic accipiendum; vt ea ipſa Auguſtus à Sibylla, hoc eſt Sibyllinis carminibus acceperit.* Quibus verbis, cum eodem loco priores illas narrationes, ac poſteriorem hanc habeat, niſi, ſi commoda interpretatio credibiliorem eam reddat, aperte oſtendit, nullam ijs haberi fidem oportere. Ille certe nihilo plus ijs narrationibus tribuit, quam ſi quis dicat, Sibyllam Cumæam, quæ Auguſti ætatem

Digitized by Google

tem quingentis annis præceſſerat, cum Auguſto colloqui, eique matrem virginem in aere ſublimem oſtendere potuiſſe.

Sed hæc minutiora videri fortaſſe poſſunt: illud plane immane mendacium, quod cap. XIX. pag. 108. ſcribit, *Baronium offendiſſe, quod dicat Auguſtinus, ex apocryphis libris manare illud, Ioachimum Mariæ patrem fuiſſe ſacerdotem*; neque ſimplici mendacio contentus. *An igitur*, inquit, *voluit Baronius, patrem illis ſcriptoribus fidem haberi, ac Spiritui ſancto, qui in libris canonicis loquitur?* Quæ ni ſi à Caluiniano, eoque aſſentatore ſcriberentur; vino, vel inſaniæ adſcribenda viderentur. Vbi enim, vel quibus vnquam verbis Baronius id in Auguſtino reprehendit, quod niſi ab impio reprehendi non poteſt? Nam num. quidem XLVI. quem Caſaubonus adnotat, id modo monet, librum eum, quem lib. XXIII. cap. VIII. contra Fauſtum, tanquam apocryphum reijcit Auguſtinus, longe ab eo diuerſum eſſe, cuius fidem ſequutus Epiphanius tradidit: Ioachimum, & Annam, cum diu ſine liberis in matrimonio vixiſſent, Beat. Virginem à Deo precibus impetraſſe: idque Ioachim ab Angelo eſſe nunciatum, quæ numeris ſuperioribus, cum ex Epiphanio narraſſet; num. demum XXXXVI. *Monemus*, inquit, *ne alicui inferat ſcrupulum, ſi Auguſtinus agens contra Fauſtum Manichæum, excipiat non eſſe canonicum librum illum, quem in teſtimonium adducebat de Ioachim, quod eſſet ex tribu Leui ſacerdos, & non ex tribu Iuda. Nam illum plane diuerſum eſſe ab his, quæ ſuperius ſunt enarrata, liquido conſtat.* Queſtus ſum alio loco, cum contumeliarum Caſaubonum accuſarem, quod cap. XXI. pagina 112. Damaſcenum, virum Sanctitate, atque eruditione clariſsimum, non ſolum *leuem*, ſed etiam *futilem, vanum, & mendaciorum pleniſsimum ſcriptorem* appellet: quodque portenti eius Baronium teſtem adhibeat, *à quo pronunciatum id ait in an.* XXXI. *numer.* LXXV. atque ad eum viri illuſtriſsimi locum exerc. XIII. cap. XXXVIII. pag. 305. *Conditor annalium*, inquit, *magnam omnino promeritus eſt laudem eo iudicio, quod ſuper libris Damaſceni de imaginibus fecit. Vere enim pronunciat in multis eius ſcriptis fidem vacillare, & compluribus ipſum ſcatere mendacijs.* Quod Baronius, cuius tam honorificum exſtat tom. IX. ad an. DCCXXVII. de diuino illo opere iudicium, neque ſcripſit vnquam; neque vero, niſi Caſauboni ſimilis eſſe vellet, ſcribere potuit. Nam in oratione de imaginibus tertia, poſt accuratam de idoli, atque imaginis diſcrimine diſputationem, hortatus Chriſtianos, *vt Sanctorum Eccleſiæ paſtorum, & Doctorum veſtigia ſequantur, Tempus eſt* inquit Damaſcenus, *vt teſtimonia, quemadmodum polliciti ſumus, in medium afferamus.* Atque orſus ab Areopagita Dionyſio, poſt multos alios citatos ex antiquitate teſtes, Ioannis etiam cognomento Malalæ Antiocheni Epiſcopi teſtimonio vtitur, qui in chronico ſuo narrat oblatum à Berenice hemorrhouſa Philippo Tetrarchæ libellum ſupplicem,

Vti ſibi liceret Chriſto Domino ſtatuam ponere cuiuſque libelli exemplum adſcribit,atque ita vt à ſe commemoratum eſt,ac totam adeo eam hiſtoriam ſumptam ait ex monumento,quod *in ipſa vrbe Paneade apud Baſſum quendam, qui ex Iudæo Chriſtianus euaſerat,inuentum ait,in quo monumento erat vita regum omnium qui in regione Iudaica fuerant.* Damaſcenus igitur,cui propoſitum eſſet docere,ſacrarum imaginum vſum,non furtim irrepſiſſe;ſed paſtorum,atque doctorum approbatione ſæculis ſuperioribus in Eccleſia viguiſſe, de hiſtoria ipſa,quod ad rem non admodum faciat,non magnopere laborat:Malalæ Antiocheni Patriarchæ teſtimonium adhibet,qui ſi à ſacris imaginibus abhorruiſſet,nunquam eam hiſtoriam retuliſſet. Malalas vt facile nimis Baſſiano illi monumento fidem habuerit? certe mentitus non eſt. Quanquam ne in eo quidem magna videtur fuiſſe Malalæ culpa, cum ſine accuratiore Romanæ antiquitatis ac Iudaicæ hiſtoriæ cognitione,quæ in eo libello falſo ſunt ſcripta,facile deprehendi non potuerint; vt mirum non ſit, ſi hominem ætatis eius vitio in eo eruditionis genere non verſatiſsimum res ea feſellerit. Baronius porro neque Damaſcenum num. illo LXXV. neque Malalam ipſum reprehendit. Sed exemplum illud libelli Philippo à Berenice oblati contendit eſſe ſuppoſititium,quippe quod mendacijs ſcateat. *Recenſet*, inquit; *Ioannes Damaſcenus ex chronico Ioannis Antiochiæ Epiſcopi cognomento Malalæ ſupplicem libellum oblatũ Philippo tetrarchæ Trachonitidis regionis,vt de beneficio,quod acceperat,liceret ei in perpetuum eius rei monumentum, erigere ſtatuas. Sed cum in multis EIVS SCRIPTI fides vacillet, & compluribus ſcatere mendacijs cognoſcatur, indignum putauimus his noſtris chartis intexere.* Quis autem tam eſt hebes, vt non intelligat SCRIPTI EIVS vocabulo,non tertiã Damaſceni,quanta quanta eſt,de imaginibus orationem, ſed libellum eum intelligi? Niſi forte,ſi verus ille libellus eſſet;totam eam orationem in annales ſuos translaturum fuiſſe putatur Baronius, *qui ſcriptum annalibus non intexuit,quod compluribus ſcatere mendacijs cognoſcatur.* Sed Caſaubonus viri clariſſimi verba in calumniam detorquet,vt eius auctoritate Iconoclaſtarum hoſti Damaſceno,ſi qua poſsit,incommodet. Lege ſuper ea re Tabulam Roſuueydi tertiam.

Poſt laudatos eos Patres,quorũ teſtimonio cõſtat Beatam Virginem *trimulam,quod parentes vouerant,in templũ allatam,ac Deo oblatam vndecim illic egiſſe annos; nullum ab his orthodoxorum*,inquit Baronius, *hactenus diſſenſiſſe. Sed nouatoribus tantum noſtri temporis diſplicuiſſe cognouimus.* Male id Caſaubonum habuit,credo,quod veteratores ſuos,quã nouatores appellari maluiſſet. Quidni autem vtrumque vocabulum apte conuenire in eos poſsit? qui malis artibus noua dogmata pro veteribus obtrudunt. Sed ille veritus,ne ſi Baronius, quod probandum ſuſceperat, id obtineret, repetita iam inde à veteri

teſta-

Digitized by Google

teſtamento origine cœnobiticæ diſciplinæ, excucullatis quinti Euangelij parentibus officeretur; omnem huc induſtriam contulit, vt mentiendo, calumniandoque eruditiſsimam eius diſputationem inuolueret. Ergò cùm num. XLIX. ex eo probet Baronius, *Neceſſe fuiſſe locum in templo eſſe, vbi Deo vota fœmina abſq; aliqua nota, vel labe ſuſpicionis ſimul agerent*, quod Leuit. 27. ijs, qui ſe Deo vouiſſent, ita redimendi ſui poteſtas fuit; vt tamen vouentis arbitrio relinquatur, an malit in templo ipſe Domino miniſtrare; quod ita eſſe *ſatis*, inquit, *Samuelis exemplum demonſtrat*; 1. Reg. 1. *qui à tenerrima ætate miniſtrauit in templo, nullo à parentibus perſoluto pretio redemptionis*. Cùm igitur ita ratiocinetur vir egregius, hic anſam calumniandi nactus Caſaubonus cap. 20. pag. 114. *Errat*, inquit, *cùm putat* [Baronius] *perſonas ex voto relictas ad ſeruiendum Deo corpus aliquod confeciſſe, qualia ſunt hodie corpora monachorum per ſodalitates coeuntium*. Vbi autem hoc vnquam dixit? vbi vel leuiter innuit? qui illud modo contendit, quod negari, niſi à Caſaubono aliquo, non poteſt; primùm eos, qui redempti non eſſent, cùm templo miniſtrare, atque adeſſe perpetuò cogerentur, in ipſo templo domicilium habuiſſe: deinde votas Deo fœminas, quo earum famæ, atque pudicitiæ conſuleretur, locum aliquem, in quo degerent, habere debuiſſe, à virorum conſuetudine remotum. Prius illud Samuelis exemplo probat, qui nocturnis etiam tabernaculi vſibus ſeruiebat. Et vero iniquiùs videretur, ſi cum miniſtris ſeruiſque victus à Domino, ac tectum vulgo ſuppeditaretur, id ijs à Deo negaretur, qui totos ſe eius famulatui mancipaſſent. Poſterius ab ijs fortaſſe negari poteſt, qui pudorem à ſe omnem cum pudicitia ablegarunt.

At Caſaubonus ſimplici mendacio non contentus, inuectiuam etiam addit; *Adoptatum verò ipſum*; inquit, *in aliquam ſocietatem; quæ ſeparatum corpus efficeret; Scriptura nõ dicit*. Quis autem dicit præter Caſaubonum? Pergit; *Iuriſconſulti ſine lege loqui erubeſcũt; Theologis licebit de diuinis inſtitutis quiduis ex animi libidine fingere?* Minimè iſtud quidem, Caſaubone, non modo Theologo graui, ac moderato; ſed ne viro quidem cuiquam non planè perdito licere vnquam potuit, vt de vlla omnino re quicquam ex animi libidine fingat. Qui tu igitur illa comminiſceris? ca. 21. pag. 313. *B. Virginem Sacerdotibus traditam, inter liberos ipſorum educandam*. Baronij, quem oppugnas, ſententia, *ea lege ijs eſſe datam, vt celebs perpetuò maneret. At fuiſſe eius inſtituti virgines moniales, quæ in templo manerent, de quibus ſolis neq; in diuinis literis, neq; apud Ioſephum, ac ne apud Rabinos quidem miraris verbum exſtare ne vnum quidem*. Atque è Nyſſeno docere niteris eiuſmodi virgines nullas tunc fuiſſe. Denique quò ſpectat tua illa capitis eius clauſula: *Meritò igitur Bellarminus cùm origines religionum in Scripturis rimaretur, commentitias iſtas virgines ſilentio præterijt. De Monach. lib. II. cap. 5.* Cùm igitur ad libidinem quidquam comminiſci, atque alteri per ca-

lumniam appingere minimè liceat; cur tu ea omnia Baronio tribuis? quorum ne veſtigium quidem vllum in Annalibus eius exſtat; niſi vt lectoribus perſuadeas; neſcio quod monialium cœnobium in templo exædificatum à Baronio, quæ virginitatem ſemel profeſſæ, vitam omnem in eo cœlibem agerent. At ignorabas, opinor, quid ille num. L I v. de B. Virgine ſubieciſſet. *Cùm iam ætatis annum attigiſſet decimumquintum, de maritando eam inter Sacerdotes initur conſilium. Qui enim Deo deuoti erant homines, nubebant ſtatuto tempore, vt de Samuele, & ipſo in templo oblato ſcimus contigiſſe. Certum enim exploratumq́; habetur ipſum vxorem duxiſſe, ac liberos ſuſcepiſſe.* Cùm igitur tam diſertè non modò doceat, ſed Samuelis etiam exemplo confirmet, Deo votos homines matrimonio iungi conſueuiſſe; qui tibi in mentem venire potuit vt moniales has virgines apud Iudæos illi affingeres?

Alia Caſauboni è prima exercitatione calumnia.

CAPVT V.

NE perpetua mendaciorum, atque calumniarum Caſauboni enumeratione tædio lectorem afficiamus, cogimur in ſimili etiam argumento diuidere capita. Ergo qui neſcio quod monialium apud Hebræos cœnobium in Baronio ſupra commentus eſſet; moniales etiam virgines comminiſcitur, alteram verò iunctam, viduam alteram, cap. quidem 23. pag. 116. Ioſabam Ioiadæ Pontificis vxorem vult à Baronio virginem Deo dicatam fieri. *Nunc exempla,* inquit *conſideremus virginum Deo dicatarum, quæ profert Baronius Primum eſt Ioſaba filia regis Ioram, quæ Ioaſum Ochoziæ filium, furentis Athaliæ oculis furtim ſubreptum, in templo clam habuit per ſex annos.* Id vbi Scripturæ teſtimonio confutauit; *Vnde colligant Baronius & alij,* inquit, *Ioſabam fuiſſe Deo dicatam, aliud nihil video in tota hac narratione, præter voculam* חאה *malè intellectam. Putarunt enim ideò manſiſſe Ioſabam in æde ſacra; quoniam erat ipſa Deo dicata.*

En accuſatio: nunc Baronium audiamus. *Quod reliquum eſt,* inquit num. 52. extremo, *an exemplo aliquo, & auctoritate diuinarum Scripturarum oſtendi poſſit, in aliqua templi parte habitaſſe aliquando fœminas.* Hic quidem dicatarum Deo, non modò virginum, ſed ne mulierum quidem mentio nulla eſt. Illud modo quærit Scriptor annalium, oſtendine *è diuinis literis poſſit, habitaſſe in aliqua templi parte fœminas:* id ſi docuerit, quales quales demùm eæ fœminæ fuerint, ſatis eſt. Nihil enim impediet, quo minus, ſi reliquis fœminis domicilium in templo conceditur, dicatis Deo mulieribus denegetur. Habitaſſe porrò in templo fœminas num. 53. ita probat. *Ioſaba,* inquit, *filia regis Ioram clam ſubtraxit è gladio Athaliæ, in necem filiorum Ochoziæ debacchantis, Ioas filium dicti regis; quem vnà cum nutrice in templum abductum ibidem per ſex annorum ſpatium*

Digitized by Google

tium enutriuit, quouſq; palam factum perduxit ad regnum. Inueniat ſi poteſt in his verbis Deo dicatam virginem, aut omninò virginem Ioſabam; aut doceat quidem certè, qui tandem conijciat, veniſſe id vnquam in mẽtem Baronio, ac, me iudice, ſapiens Grammaticus habeatur. Cæterùm in remoto aliquo loco, neque non modò vltrò citroque commeantibus, ſed ne domeſticis quidem facilè peruio Ioaſum educatum eſſe, & prudentiæ ratio ſuadet, quę lubricum adeò, periculiſque pleniſsimum negotium, quàm longiſsimè ab oculis, & conſcientia hominum ſubmouendum docebat: & ſi nihil aliud, illud argumento eſſe poteſt, quòd ſex ipſos annos cum nutrice ſua puer latere potuit ſuſpicaciſsimum fœminæ, eiuſque tyrannidem exercentis, ingenium. Sed ad Caſauboni mendacia redeamus. Caput enim 24. auſpicatur à mendacio, eoq; non ſimplici. *Beatiſſ. Mariam,* inquit, *votum virginitatis feciſſe prius etiã, quã Ioſepho deſponderetur, pro certo affirmat Baronius, & cum eo multi alij; neq; magis de eo dubitari ſinũt, quàm de alio quouis religionis Chriſtianæ articulo.* At neq; tanquã articulũ fidei, neq; tanquã rẽ planè exploratã, ſed vt probabilẽ admodũ coniecturã à Baronio id aſſeri, & alio loco demonſtratum à nobis eſt; neq; ſi qs eũ legerit difficilè deprehẽdet. vt (q̃ ſibi talionis legẽ exer. 15. c. 2. ſanxit Caſaub.) *vel craſſæ ignorãtiæ culpa, vel fraudis ſuſpicione* vacare nõ poſsit.

Nam quòd cap. 28. in Baronium comminiſcitur, id verò maius atque atrocius eſt, *quàm vt craſſæ ignorantiæ, aut fraudis ſuſpicione* contineri poſsit. *Nimium,* inquit, *Ioſepho tribuit Baronius;* nimirũ cuius quia plerũq; vel fidẽ, vel incuriam reprehendit, malè apud Iudæorum patronum Caſaubonum audit; *cùm aliud agens, ſic loquitur: Ioſephum in ijs quæ ad tempus ſpectant, Lucæ cõtradicere certum eſt; vſq; adeò, vt illius aſſertione hiſtoriam à Luca conſcriptam in dubiũ reuocari neceſſe ſit.* Quid autem eſt in his verbis, quod religioſas, ſcilicet hæretici aures offendit? *Quid audio?* inquit, *propter Ioſephum vacillabit diuinorum oraculorum fides?*

Ἀλλὰ γέρον ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; nefas dictu, nefas cogitatu. eſto repugnet verbo Dei Ioſephus; repugnent alij Scriptores vniuerſi; ipſe ſi lubet, aut poteſt, mundus totus conſentiens contradicat; ipſum tamen per ſe αὐτόπιστον labefactari, aut in periculum vocari non debet, non poteſt, non certè apud homines ſobrios, & cogitatione cœleſtis veritatis, vel leuiſſimè imbutos.

Quantò iuſtior querela, ſi vacet calumnia; tantò atrocior calũnia, ſi falsò crimen obijciatur. Quis enim ferat Euangeliſtam, non dicam repudiari, ſed omninò cõparari cũ apella, neſcio quo, Veſpaſiani nõ corpore magis, quàm mẽte, mãcipio? Aut quòd horribilius ſacrilegiũ, quã mendacij Spiritũ S. arguere? vt ſua cõſtet Ioſepho miſero homini fides. Sed per patris tui cineres, atq;, vt triſtiora interim taceam, illam eius honorificam adeò ſepulturam, videreturne tibi, Caſaubone, reprehẽſione dignus, ſi ita ſcripſiſſet Baronius?

De cenſu

Digitized by Google

De cenſu in Syria à Cyrino primùm acto ita inter ſe Ioſephus, Lucaſq; diſſentiunt, vt cùm conciliari nulla ratione poßint, niſi damnata Euangeliſtæ fide, retineri Ioſephus non poßit. Quæ cùm ita ſint, miror quid in mentem Euſebio venerit vnam è duabus eorum narrationibus facere; ſed illud prodigij planè ſimile quod ſæculi noſtri nouatores, ne Ioſephum reijciant, Euangelicam B. Lucæ narrationem in dubium vocarunt. Hæc igitur ſi ſcripſiſſet Baronius, poſſetne præter liuorem, & malignitatem ſuam, quicquam inuenire quod laceraret inuidia? Quis autem eſt ita hebes, ac plumbeus, qui lecto modò Baronij loco, hanc eius fuiſſe mentem non videat? *Mirati ſumus*, inquit, *vehementer Euſebium ad confirmandam Euangelicam veritatem de cenſu acto ſub Quirino citaſſe dictum auctorem [Ioſephum] quem in his, quæ ad tempus ſpectant, contradicere certum eſt, vſq; adeò, vt illius aſſertione hiſtoriam à Luca conſcriptam in dubium reuocari neceſſe ſit. Sed mirum in modum obſtupuimus ad nouatorum vaſaniam, dum Ioſepho Iudæo plus tribuunt, quàm Euangelio à Luca conſcripto. Quippe qui adeò irrefragabilem eſſe ducant illius hiſtoriam; vt potius, quàm velint Ioſephum erraſſe, dicere non erubeſcant textum Euangelij alteratum, vel potius adulteratum: eaq; verba, quibus dicitur; Hæc deſcriptio facta eſt à præſide Syriæ Cyrino; non eſſe Euangeliſtæ; ſed alicuius otioſi hæc ſcribentis in margine; eademq; irrepſiſſe in textum.* Hæc ea ſunt verba Baronij, quæ Caſaubonus tam atrociter exagitat, cùm etiam ex Homero nonnihil admiſceat, ne Grammaticum exuiſſe in tanta cauſa videatur. In quibus, ſi verum quærimus, illud hominem malè habuit, quòd, diſsimulato nomine, Bezam grauiter notatum animaduertit. Cuius ea ſunt in cap. 2. Lucæ in editione Baſileienſi anni M.D.LX. *Quid ſi verò potius totum hoc* αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου *cùm ab aliquo eſſet adnotatum, qui Cyrenij deſcriptionem cùm iſta confuderit: poſtea ex margine in textum irrepſit. nam certè deeſt particula quæpiam, qua verſiculus iſte cum ſuperiore connectatur, &c.* Ergo vt vicem Baronio redderet, quod verè ab eo in Beza reprehenſum eſt, id ipſe falsò viro ſanctiſsimo tribuit; cuius in hac ipſa cauſa ea verba legerat num. LXXXII. *Quid tam magnum, tam nouum, & inuſitatum; imò quid tam verum & frequens, quàm ſi dixerimus Ioſephum eſſe hallucinatũ? Quid, inquam, tam magnum, cùm certè, etſi nulla ſubeſſet ratio eum erroris arguendi, Euangeliſtæ quidem auctoritas ſatis ſuperq; ſit ad quantumlibet teſtatam, & obſignatam, probatamq; eius opinionem infringendam.* Iam verò *cùm inſignitam à Baronio iniuriam proteſtantibus fieri* clamet, *verba illorum in deteriorem*, vt ait, *partem interpretante, cùm ipſi hoc ſolùm dixerint; ſuſpectum eſſe hoc loco Euangeliſtæ codicem alicuius menda à librarijs admiſſa propter manifeſtam pugnam cum hiſtoria, quam multa rationes ſuadent eſſe veram.* Cùm igitur de Baronio tam grauiter queratur ipſe, quòd verba Bezæ Euangelicum textum disertè in ſuſpicionem nullo alio argumento vocantis, niſi quòd rem aliter geſtam Ioſephus memoret: *quam in re tam celebri & ex-*

actis

actis publicis cognita, mirum ſit potuiſſe tantiſper hallucinari: cur Baronio tam atrocem ipſe facit iniuriam, vt alieniſsimum à ſuo ſenſum verbis eius affingat? Sed Chriſtiana in Catholicis viſcera, quamuis ea excæcatus odio non videat, meritò requirit, quæ nos in hæretico, quia nulla eſſe poſſunt, cùm magnoperè deſideremus, nunquam profectò requiremus.

Neque verò vlla re magis, quàm obtendendo diuinarum literarum contemptu, calumniam Eccleſiæ Catholicæ ſtruunt cum Euangeliſta ſuo Lutheri catuli. Exſtat ea de re Bellarmini *ad libros de Concilijs, & Eccleſia*, admodum accurata præfatio, vt minimè neceſſe ſit in hoc argumento me diutiùs immorari. Quàm non degeneret à maioribus ſuis Caſaubonus hoc loco breuiter demonſtraturus ſum.

Cap. 33. pag. 148. *Quos* [proteſtantes] *nihil æquè offendit*, inquit, *in Concilio Tridentino, ac par honos tributus libris canonicis, apocryphis, & non ſcriptis traditionibus*. Nimirum quia libros eos in canone Scripturarum numerat, quos expungunt hæretici: eam ob rem apocryphis parem cum canonicis honorem tribuit Eccleſia. Quid cùm Epiſtolas Iacobi, ac Iudæ in canonem Caluinus recipit, quas reijcit Lutherus? aut cùm Apocalypſim veneratur, de cuius auctoritate Lutherus cum Centuriatoribus non leuiter dubitat? Paremne etiam Geneuenſis Euangeliſta apocryphis honorem cum libris canonicis tribuit? Aut priuſquam vel à Moyſe literis ea mandarentur, quæ Patribus reuelauerat Deus, vel ab Euangeliſtis Chriſti doctrina conſignaretur, minore veneratione digna fuiſſe dicenda erit? Sed audiamus cætera.

Qui nihil æquè abominantur in aduerſariorum ſuorum libris, ac blaſphemias horrendas contra ſacram Scripturam, quibus libri nonnullorum ſcatent, qui ſe dicunt Catholicos Romanos. Qui ſi de diuinis literis minus, aut benè ſentiunt, aut honorificè loquuntur, Catholici profectò non ſunt. Sed caue, ne, vt ſupra Baronio, ita hoc loco cæteris blaſphemias affingas, quas reprehendas. Nam Schioppius quidem, in cuius t 1 Eccleſiaſtico *multas legiſſe te blaſphemias, longè diriſſimas aduerſus τὰς θεοπνεύστους Scripturas dicis; in ijsq; quod cap. 90. in diſputationibus de articulis fidei nolit adhiberi Scripturas*; nunquam id docuit. Neque nonageſimo illo Eccleſiaſtici capite quicquam omnino aliud agit, niſi vt doceat quas tandem Apoſtolus 2. ad Timoth. 2. vocet *ſtultas quæſtiones*. Id, quod impoſtorum eorum exemplo explicat, *qui diem Domini inſtare Theſſalonicenſibus perſuadere conabantur: à quibus cùm reſponſum eſſet*, inquit, *eò ſeſe id credere non poſſe, quod à Paulo didiciſſent Antichriſtum reuelari prius oportere: ipſi ſtatim; vbi hoc ſcriptum eſt in epiſtola Pauli?* Ac toto deinde capite probat nihil velle credere, niſi quòd ſcriptum ſit: ac de quolibet articulo fidei, quærere vbi legatur? ſtultam, ac ſtolidam eſſe quæſtionem. Quod multa diuinitùs

reuelata eſſe conſtet, quamuis ſcripta non ſint. Id porrò Lutheri teſtimonio comprobat, qui; *ſimilem*, inquit, *eſſe Anabaptiſtarum ſtultitiam, cùm quærunt vbi ſcriptum eſt, quod infantes baptizari debeant; Lutherus fatetur; neque eis vllum Scripturæ locum, quo euidenter conuincantur, opponi poſſe affirmat. Sed ſic ut Nicodemus argumentatur, ſcimus quod baptiſmus paruulorum à Deo venit. Nihil enim tamdiu durare & per vniuerſam Chriſtianitatem concorditer conſeruari poteſt, niſi Dei virtute id fiat*. Quem Lutheri locum cap. LXXVII. eius libri integrum attulerat. Sed decepit Caſaubonum, hominem Grammaticis melius, quàm Dialecticis eruditum, pronunciatorum ſimilitudo. Et quia negauit Schioppius in diſputationibus fidei requirendum ſemper eſſe teſtimonium Scripturæ; tantundem valere exiſtimauit; ac ſi negaſſet adhiberi Scripturas in ijs diſputationibus oportere. Qua in argumentatione perinde facit, ac ſi quis cùm negantem aliquem audiret; *Omne animal particeps rationis eſſe*: continuò, quaſi conſectarium, ipſe concluderet; *Nihil quod rationis particeps ſit, animal eſſe*. Aut ne longius ab eius artificio diſcedamus; ſi quis negaret dapes omnes Zaccharo neceſſario condiri: ipſe interdictum ab eo in cõdiendis dapibus vſu Zacchari criminaretur. Non negauit igitur Schioppius, quòd illi ſiue per inſcitiam, ſiue per fraudem affingit Caſaubonus in *diſputationibus de fidei articulis adhiberi oportere verbum Dei*. Sed quod ne ipſis quidem, niſi Anabaptiſtæ eſſe velint, negare poſſunt, è ſolo verbo Dei ſcripto omnia, quæ ad fidei articulos pertinent, ſciri poſſe. Neque verò quicquam aut impium, aut à veritate dixiſſet alienum, ſi non ad priuatum cuiuſquam, ſed ad publicum Eccleſiæ ſpiritum genuinam Scripturarum interpretationem exigi oportere ſcripſiſſet. Nam id quidem non Schioppius vnus, ſed Catholici vno omnes ore profitemur. Atque hoc ſenſu Tertullianum, Irenæum, veterum alios ſequuti nonnulli monent, non Scripturarum teſtimonijs, quæ in diuerſas interpretationes deducere quiuis poteſt; ſed Eccleſiæ iudicio, quæ quia columna eſt, ac firmamentum veritatis, neque deſeri à ſpiritu Dei poteſt, viui cuiuſdam oraculi inſtar eſt, vrgeri hæreticos oportere. Quod dum dicunt à Scripturis ad Eccleſiam non prouocant; ſed quia, quòd epiſt. 28. Cyrillus adnotat, *Omnes hæretici de Scriptura diuinitùs inſpirata ſui colligunt erroris occaſionem; ea, quæ à ſancto Spiritu rectè dicta ſunt, ſua malitia corrumpentes*; Scripturarum interpretem, non priuati cuiuſquam, ſed publicum Eccleſiæ ſpiritum adhibent, qui nec falli poteſt, nec fallere.

Accuſat deinde ſiue *Pighium, ſiue alium, qui dixit Patrum memoria Scripturam, ſi auctoritate Eccleſiæ deſtituatur, non plus per ſe valere, quàm fabulas Æſopi. Quod blaſphemum dictum*, inquit poſtea, *defendere auſus eſt Cardinalis Hoſius*.

Scri-

Scriptura diuinitùs inſpirata neque vim, neque pondus accipit ab Eccleſia, ſed à conditore ſuo Spiritu ſancto. Sed niſi conſtet, Deo auctore, eam exaratam eſſe, vſui hominibus eſſe non poteſt; ad eum planè modum, quo aciem ab eo gladius ac vim cædendi non accipit, cuius manu educitur è vagina: ſed vſui eſſe non poteſt, dum eſt in vagina reconditus. Neque verò ſi quis neget maiori vſui ad cædendum eſſe gladium ferreum, ſi vagina claudatur, quàm ligneum: aut lignum exæquat ferro, aut aciem ei, ac cædendi vim adimit; ita ſi quis neget plus in Scriptura, quam canonicam eſſe neſciat, quàm in AEſopicis fabulis vtilitatis eſſe; non negat diuinas eas eſſe literas, ac dignas, quarum auctoritati cedat humanum ingenium: ſed eam vtilitatem in genus hominum deriuari ante poſſe, quàm diuinas eas eſſe conſtiterit. *Theſaurus enim abſconditus, & ſcientia inuiſa; quæ vtilitas in vtriſq;?* Nam iudicium quidem Eccleſiæ non in eam faſtigij celſitudinem Scripturas attollit, vt diuini oraculi eam ob rem vim obtineant, quod eas ipſa probauerit; ſed quia in dignoſcendis diuinis oraculis Eccleſia non fallitur, quas illa probauerit, eas conſtat eſſe diuinas. Iam verò quando non memorat, neque quis AEſopicæ huius fabulæ auctor ſit; neque quo loco eam Hoſius defenderit, vel ne conuinci impoſturæ poſſet, vel quod in aliquo alio rem eam legerat, & auctorem, & calumniam ex Hoſio detegam: videant deinde lectores, quàm bona fide infideles iſti fidei patroni diſputent. Is igitur lib. 3. in prolegomena Brentij, ipſo ferè initio; *Magna pars*, inquit, *libelli* [prolegomenorum Brentij] *non aliunde conſtat, quàm è ſannis, dicterijs, conuicijs. in quo ſic etiam ludit Scripturis, ſic eas tractat iocculariter; vt verè de ipſo dici poſsit, quod venerabili viro Petro à Soto falſo impingit, eum haud aliter Scripturis, quàm AEſopi fabulis vti.* Non eſt igitur ea Catholici cuiuſquam Scriptoris vox; ſed calumnia Brentij: quam vir Illuſtriſsimus falsò in virum doctiſsimum excogitatam, in auctorem ipſum verè conuenire defendit.

Sed ſine Bellarmino ea fabula non conſtat: ac niſi eo in partem eius criminis vocato, quem vnum ex omnibus peſsimè oderunt ſectarij, frigere calumnia videretur. *Et Cardinalis Bellarminus*, inquit, *de verbo Dei non ſcripto lib. 4. cap. 4 Scripturam ſuffragio Eccleſiæ carentem comparat Alcorano. Nunquam id facturus, opinor, ſi tantoperè verbi diuini maieſtatem eſſet admiratus, vt fecit olim Criticus inſignis paganus homo Dionyſius Longinus.* Quod Dionyſij Longini, hoc eſt Critici, eiuſque Ethnici teſtimonium adhibet, ab artificio ſuo non recedit: & tamen diceret aliquid: ſi quidquam ſcripſiſſet Bellarminus indignum ſacrorum voluminum maieſtate. Sed quid eſt in his verbis, quòd eam vlla ex parte vel labefactet, vel imminuat. *Quartò neceſſe eſt noſſe, exſtare libros aliquos verè diuinos* [vt eis fides haberi poſsit] *quod certè nullo modo*

Digitized by Google

è Scripturis haberi poteſt. Nam etiamſi Scriptura dicat libros Prophetarum, & Apoſtolorũ eſſe diuinos: tamen nõ certò id credam, niſi prius credidero Scripturam, quæ hoc dicit, eſſe diuinam. Nam etiam in Alcorano Mahumeti paſsim legimus ipſum Alcoranum de cœlo ad eum miſſum; & tamen ei non credimus. Itaque hoc dogma tam neceſſarium, quod ſcilicet aliqua ſit Scriptura diuina: non poteſt ſufficienter haberi ex ſola Scriptura. Proinde cùm fides nitatur verbo Dei, niſi habeamus verbum Dei non ſcriptum, nulla nobis erit fides. Hic ego *craſſæ ne ignorantiæ; an merito ſuſpectæ fraudis;* an vtriuſque Caſaubonum lege ſua conueniam? Primùm enim non de auctoritate Eccleſię; ſed de verbo Dei non ſcripto diſertè, ac totidem ſyllabis loquitur Bellarminus: quo ſublato negat verbo ſcripto fidem haberi poſſe. Deinde non comparat Alcoranum cum verbo Dei, ſed ab incommodo demonſtrat, verbum Dei non ſcriptum eſſe neceſſarium, vt verbo ſcripto fides haberi poſsit: atq; eius argumenti ea vis eſt. *Libros canonicos vel ideò à diuina reuelatione deſcendere credimus; quia id ſcriptum in ijs eſt; vel aliundè id edocti eos ſuſcipimus. Si poſterius hoc dicas, ne in infinitum res abeat; neceſſe eſt verbum aliquod eſſe non ſcriptum, quod verbo ſcripto concilliet auctoritatem ac fidem. Prius porrò illud dici nulla ratione poteſt: quia ſi ſatis eſſet liberum aliquem de ſe ipſo teſtimonium perhibere; habenda etiam eſſet Alcorano fides; in quo non ſemel legitur eum, auctore Deo, conſcriptum eſſe: quòd ſi Chriſtianæ aures nulla ratione ferunt; ne id quidem ferre debent, quod illi conſectarium eſt.* Quid eſt in hac tota ratiocinatione, quod offendere quenquam poſsit? Quid à Chriſtiana pietate diſſentiens? Sed ignorabat Caſaubonus, vt neque Dialecticis excultus, & plumbeo erat ingenio, argumentationem, quæ ab incommodo ducitur, ad quantò grauius incommodum compulerit aduerſarium; tantò meliorem eſſe. Vt cùm Bellarminus oſtenderit negato Dei verbo non ſcripto, nihilo plus ſacris, diuiniſque literis, quàm Alcorano tribui poſſe: eadem opera demonſtrarit impiam atque ſacrilegam aduerſariorum poſitionem eſſe. Brentius quidem de traditionibus diſputans in prolegomenis, ne in eas anguſtias compelleretur; *negauit ſe, ſuoſq; cùm Traditiones reijciunt, de ea* Traditione *loqui, quæ nobis ſacra Scriptura; & ea, quæ in ea continentur, à maioribus per manus tradita ſunt. Nam eam eſſe certam, neceſſariam, & modis omnibus amplectendam. Deque ea loqui Irenæum, cùm recenſet ſymbolum Apoſtolorum, & ſucceſsionem ordinariam.* Vide Hoſium lib. 4. ſub initium.

Huc etiam propter argumenti ſimilitudinem referenda eſt luculenta admodum Caſauboni in Baronium declamatio, Exercitation. 14. cap. 15. cuius ea eſt inſcriptio; *Baronij dictum incautiùs refutatur, quaſi fides Scripturarum penderet à Romanæ Eccleſiæ fide.* Caput accuſationis habes. cauſam etiam accipe. Quæri inter eruditos ſolet pluresne fuerint

cæ mu-

eæ muilieres, quæ lauiſſe, atque vnxiſſe pedes Domini leguntur in Euangelijs, Luc. VII. 37. Matth. XXVI. 7. Marc. XIV. 8. Ioan. XI. 2. & XII. 3. Qua de re diſputans Baronius, vt doceat vnam, atque eandem eſſe Mariam Magdalenã ſororem Lazari, an. XXXII. num. XXVIII. ita ratiocinatur. *Si alia eſt Magdalene, cuius B. Ioannes meminit; alia mulier illa, quam Matthæus, & Marcus memorant, cum exceptis eruditorum nonnullis, vtraque vnctio paſsim ab omnib. toto orbe terrarũ Mariæ ſorori Lazari tribuatur: ea etiam benefacti eius laudem ſine controuerſia, tulerit. Id autem niſi falſæ vaticinationis impiè damnare Dominum velis, dici nulla ratione poteſt: Igitur ne hæc quidem ab illa muliere diſtingui, ſepararique poteſt. Cum enim diſerte denunciarit Dominus fore, vt vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangel.ũ, narretur non ſolum & quod hæc fecit, verum etiam in memoriam eius.* Matth. XXVI. 13. & *Mar.* XIV. 10. *Neceſſe eſt, ſi conſtare ſua fides vaticinio illi debet; eius ipſius memoriam celebrari quæ in Dominum bonum opus operata, miſſo in corpus eius vnguento, ad ſepeliendum eum fecit. Celebratur autem eius facti cauſa Magdalena. alterius vix obſcura quædam, nutansque, & quidem apud paucos memoria eſt. Non narratur igitur, vbicunque prædicatur Euangelium, quod illa fecit in memoriam eius: falſæ autem vaticinationis ſine ſacrilegio Chriſtus accuſari non poteſt. Maria igitur eſt ea mulier, quæ apud Matthæum, & Marcum vnguentum fudiſſe legitur ſuper caput Domini recumbentis.* Hæc à me pluribus expoſita, paucis ita Baronius. *Vt iuſtificetur Ieſus in ſermonibus ſuis, ne falſi teſtimonij quod nefas eſt, arguatur: affirmare neceſſe eſt, vnam eãdemque eſſe Magdalenam, nec diuerſas, ſeu plures, dum vnam tantum longe, lateque per orbem diffuſa Eccleſia prædicat Magdalenam.* Vbi hic *ſcripturarum fides pendens à Romanæ Eccleſiæ fide*? Vbi omnino Romanæ Eccleſiæ nomen? cum id modo quæratur; euaſerit ne Domini vaticinium? ſi cum alia fuderit vnguentum, eaq; ignota lateat, alieni benefacti gloriam alia tulerit: atque an vere dicatur *narrari in memoriam* eius quæ fecit? ſi factũ eius alteri tribuatur? At audi quantis clamoribus, atque apparatu mentiatur. *Putauit Baronius, abſque Romana Eccleſia foret, vacillaturam fidem vaticiniorum Chriſti.* Minime id ille quidem: ſed niſi euaderet quod futurum ille prædixerat, vt Eccleſia toto orbe terrarum mulieris eius memoriam celebraret, quæ reuera Dominũ vnxit; negauit verum futurum fuiſſe, quod eſt pollicitus Dominus fore, vt *vbicunque prædicaretur hoc Euangelium, narraretur & quod illa fecit memoriam eius.* Sed perge, Caſaubone, ac mendacium tuum exaggera. *Quid igitur vetat, quominus iſtud Tertulliani Baronio aptemus ex Apolog. cap.* V. *& dicamus; Apud vos de humano arbitrio diuinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo iam Deo propitius eſſe debebit.* Imo vero, quia apud nos *humanum arbitrium de diuinitate penſitatur: & ſi quid Deo placuerit, id homo indeclinabiliter amplectitur:* Nō dubitamus, quin quod fore denunciauit, id etiã in mentibus eorũ effecerit, vt eam celebrent, cui facti eius gloria iure debetur. Ob eamque rem,

vt ignem fumo, ſolem aduentantem matutino ſplendore, motu ſenſuque vitam; ſic fidelium ea de re conſenſione minime dubium vaticinij ſenſum agnoſcimus. Nihil igitur opus eſt, vti Baronium Caſaubonus, grauis ſcilicet, ac locuples auctor, *metu liberet, quod credat, agat quicquid libuerit, vel Romana, vel quæuis alia Eccleſia, veritas oraculorum diuinorum extra omnem poſita eſt aleam.* Nam id quidem Baronius diuina fide certum, & compertum habet; quod ni ita eſſet; dubitare mendaciſsimi hominis teſtificatione cogeretur? ſed, amabo te, Caſaubone, Græculi nonnihil adhibe, vt vel in cælum ire te ne miremur. *Cælum*, inquit, *& terra tranſibunt: ſcriptura θεοπνεύστου iota vnum, apiculus nullus præteribit. Sed in æternum manebit.* Sciebam equidem verbum ſummi patris, vt ab omni æternitate progenitum; ita etiam in æternum manſurum eſſe: ſcripturam autem, quanuis diuinitus inſpiratam, in æternum eſſe manſuram, vt verum fatear, neſciebam. Cui enim vſui eſſe vel cælitibus, vel inferis poteſt, vt poſt iudicij diem ſeruari eam neceſſe ſit? Quis vero ſobrius dixit vnquam vaticinij ſenſum ad euentum exigere: id vero eſſe *firmitatem verbi Dei in hominibus collocare? hoc eſt creaturam creatori anteponere?* quod ille per calumniam ſubijcit. Ego vero, ſi quis hoc loco, vt ſuſpicione fraudis Caſaubonum liberet, *craſſam illi ignorantiam* velit affingere non difficile patiar. Video enim breuius à Baronio rem eam expoſitam, quam, vt eam capere Grammaticus, neſcio quis ope Diomedis poſſet. Sed lectorum tædio tandem aliquando conſulamus.

Caſauboni in reliquo opere in Baronium Calumniæ.

CAPVT VI.

QVA ſe fide in Baronium toto hoc opere gerat; ſatis ea docere poſſunt, quæ ſuperioribus capitibus prolata ſunt. Sed ne quis oblitum eum deinde ſui meliore fide egiſſe exiſtimet; libet è reliquis exercitationibus nonnihil etiam afferre. Nimirum, quam fieri non poteſt, vt Satanæ ſpiritum exuant; quam fieri non poteſt, vt non mentiantur, & calumnientur hæretici.

Audi vero feſtiuam ridiculi hominis impoſturam. Annam Prophetiſſam, quod *non diſcederet de templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte, ac die*, hoc eſt, quod vitam degeret, eorum, quos ἀσκητὰς antonomaſticè noſtri vocant, quam ſimillimam: Cyrillus Ieroſolymit. Catech. x. vocat *continentem, religioſiſsimam, & ἀσκητρίαν*, quam vocem interpres Cyrilli appoſitè admodum vertit; *monialem*, quod ἀσκητοῦ vocabulum, cum abſolute, ac ſine addito ponitur, non minus apud Græcos proprium monachorum ſit, quā apud Latinos religioſi nomen. quanquam n. Chriſtiani omnes, cum ad pietatem ſeſe exerceant,

ceant, ἀσκηταί; & cũ verã Dei religionem colant, religioſi dici poſſunt; tamẽ ea vocabula propter excellentem eorũ pietatem, atq; religionem, ijs veluti propria ſunt impoſita, qui exequendis Chriſti Conſilijs, ſeueriorem inter Chriſtianos diſciplinam ſectantur. Ergo cum Baronius an. Chriſti 1. num. L 1. eum Cyrilli locũ de Anna diſputans, his verbis protuliſſet. *Quomodo Anna è templo nunquam diſceſsiſſe dicatur, vt merito eandem S. Cyrillus Ieroſolymitanus religioſiſsimam monialem appellet, conſule quæ ſuperius dicta ſunt.* Hic Caſaubonus oblatam ſibi anſam calumniandi hominis ratus exerc. II. c. XIII. bene longa, eaq; inepta diſputatione demonſtrare nititur male ab interprete redditã, *monialem*; ac Baroniũ interpretis fidẽ temere ſequutũ, non mediocriter hallucinatũ eſſe. Sed ne locus impoſtura careat, vtq; lectores exiſtiment Annam, quã Euangeliſtæ teſtimonio conſtat, ſeptem ipſos annos in matrimonio trãſegiſſe, virginem à Baronio fieri, hac inſcriptione caput notat. *An recte dicatur Anna Propheti ſſa fuiſſe virgo monialis.* Vbi autem apud Baronium eo loco virginitatis nomen? niſi cum ipſis B. Lucæ verbis, *vixiſſe eam ſcribit cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua, & fuiſſe viduam vſque ad annos octoginta quatuor.* Sed prodigioſo mendacio Catholico ſcriptori conflanda fuit inuidia; vt confirmandi monaſtici ordinis, ac virginitatis ſtudio, aperte diſceſsiſſe ab Euangeliſta crederetur.

Iam vero Cyrilli interpretem quod ἀσκητρίαν monialem reddiderit, cur tandem tam acriter reprehendit? Quia *ſi ἀσκεῖν*, inquit, *& ab eo deducta, in ſolis monachis & monialibus locum habent; ſequeretur inde, omnes Chriſtianos eſſe monachos, & moniales: de omnibus enim id verbum promiſcuè vſurpatur apud Patres.* Hæc eſt Caſauboni à notatione nominis Grammatica prorſus argumentatio; qua nunquam vſus eſſet; ſi intellexiſſet quantam theſauris, ac lexicis cladem pararet. Nam eius quidẽ argumentationis nulla plane vis eſt, niſi pro comperto accipiat, *de quibus verbum aliquod dicitur; de ijs deducta etiam ab eo nomina verè dici.* Quid ſi autem eo poſito, ita quiſpiam argumentetur. Reges à regendo, conſules à conſulendo, ab imperando imperatores, à fingendo figuli dicti ſunt: reges igitur ſunt, qui ſiue ſuo, ſiue alieno iure, non res modo publicas, ſed priuatas etiam, ac ſi libet, equos, ac pecudes regunt; conſules, qui vnicuipiam, aut ſibi ipſi priuatim, rebusque ſuis conſulunt; imperatores, qui vni, aut alteri mancipio imperant; poëtæ vero etiam, ac ſtatuarij figuli, auctore quidem Caſaubono, dici poterunt.

Exerc. II. cap. XVII. pag. 195. *De angelo*, inquit, *qui Ioannis infantis, poſt matris obitum, in ſpelunca curam habuit, citat Baronius Cedrenum, quem ipſe alibi ſæpe cũ rerum antiquarũ parum idoneum ſcriptorẽ iure appellet: hanc tamen narrationem tuetur; & ait haud adeo impoſsibilẽ videri debere.* Baronius vero neq; ſententiam tuetur; & quanti Cedreni teſtimonium faciat; ſatis indicat, cum ita

ſcri-

ſcribit num. LVI. *Cedrenus addit, Elizabeth poſt dies quadraginta in eadem ſpelunca diem obiiſſe, Ioannis vero curam ab Angelo eſſe ſuſceptam. Sed licet hæc tam antiqua ab eo ſine certo auctore ferantur; tamen quod ait de ſuſcepta cura ab Angelo, haud adeo impoſsibile videri debet, ſi quis mente recolat Iſmaeli à matre proiecto Angelũ adſtitiſſe.* Quo loco neque quidquam Cedreno de re tam antiqua, ſine certo auctore affirmanti tribuit: & cum rationes aliunde quærit; cur res non impoſsibilis videatur, non rem confirmat, ſed veriſimilem eſſe demonſtrat; ac ne id quidem abſolute, ſed ex hypotheſi. Cum enim duas habeat partes Cedreni narratio de Eliſabethæ poſt quadraginta dies morte, quod res ea neq; probari neq; improbari ſolida vlla ratione poſsit, nihil de ea diſputat. Suſceptam ab Angelo infantis pueri curam, ſi matre re vera mortua, ſolus interim in ſpelunca delituit; non improbabiliter ab eo creditum, ac literis mandatũ docet. Nam & educari, atque incolumem ſeruari eum oportuit, dum olim miniſterio ſuo perfunctus, pro iuſtitia caderet: neq; alienum aut à Ioannis dignitate, aut ab eius benignitate videri debet, qui hoc idem Iſmaeli aliquando præſtitiſſet.

Hinc porro ſatis intelliges lege ſua Caſaubonum aut *craſſæ ignorantiæ*, *aut iure ſuſpectæ fraudis conueniri*, cũ prolatis Baronij verbis ait. *Narrationẽ hanc haud adeo impoſsibilem videri debere. Atqui hoc non quæritur*, inquit, *Nam Deum quidem omnia, quæ vult poſſe; impius eſt, nec Chriſtianus, vt iam antea dicebamus, qui vel leuiſsime dubitat. Sed negant λογικῶν παῖδες valere argumentationem à poſſe ad eſſe.* Quaſi quiſquam non plane ſtolidus, modo locum inſpexerit, dubitare poſsit, num alia ſit eorũ verborum apud Baronium vis, quam ſi dixiſſet non eſſe adeo improbabile, aut abhorrens à vero: nam & obtinuit ipſa in loquendo, vulgi conſuetudo, vt quæ minus probabilia, atque aliena videntur à vero; ea eſſe, ac fieri negemus poſſe. Et vero figuræ quam ταπείνωσιν vocant, hanc eſſe vim, vt minus dicendo, plus ſignificet, ne ipſi quidem grammaticorum ignorant pueri. Vt neceſſe non fuerit ad dialecticorũ pronunciatũ confugere, cum Grammaticos haberet domi ſuæ, quos ſuper ea re conſuleret Caſaubonus.

Magnas exercit. v. tragœdias in Baronium excitat, cum etiam *falſiſsimum eſſe dicat, quidquam eorum, quæ ad an. Chriſ.* VII. *ab eo commemorantur accidiſſe eo anno, aut omnino poſt Domini noſtri natiuitatem.* Quærerem de Caſaubono, niſi aliud hoc capite agerem, cũ Herodem ipſe biennio circiter poſt natum Dominum mortuum eſſe concedat: num ne Antipatrum quidem filium, cuius cædem paucis ante Herodis obitum diebus contigiſſe conſtat, necatum ab eo putet *poſt Domini noſtri natiuitatem.* Nam eam quidem hiſtoriam cum cæteris ad eum annum refert Baronius. in quem furore quodam animi, ac rabie repugnandi; non ratione, atque conſilio ſcribit. Sed hæc obiter nam ad Ca-

ſau-

Digitized by Google

ſauboni palmarem hoc loco calumniã propero. Euſebij enim è I. lib. hiſt. cap. VIII. ea verba citãs Baronius; *dum vxorem & liberos interficeret;* adſcripſit ad marginem al. *ſororem.* Cuius vel correctionis, vel notæ ea fuit cauſa, quod vxorem poſtremis temporibus necatam ab eo, proditum literis non ſit. Salomen autem ſororem paucis ante obitum annis occiſam ab eo; libri de temporib. qui Philoni adſcribuntur, aperte memorent; idq; ex Euſebij chronico ſatis ſibi colligere videretur Baronius: Neque vero dubitaret, quin Euſebius octauo illo capite libri primi hiſtoriæ de ijs calamitatib. loqueretur, quas poſt occiſos Bethlehemiticos pueros pertulit. Hic ne tam bonam calumniandi hominis occaſionem prætermiſiſſe videri poſſet, cũ ad Græca exemplaria prouocaſſet, in quibus eſt γυναικὸς non ἀδελφῆς, vt parũ ſit probabile alteram pro altera eſſe ſuppoſitam. *Eſto vero,* inquit, *Largiamur Baronio ita ſcribendum. Nempe ita Herodes Salomen ſororem ſuam bis interfecerit auctore Baronio, prius anno Chriſti ſecundo; iterum hoc anno.* [VII.] *Quam admirabilis hæc emendatio eſt? Imo, quod magis mireris, anno ſequente Salome viuit adhuc Baronio, & frater, qui iam bis occiderat, teſtamentum condens ampliſsimo legato illam proſequitur.*

Nimirum veritus eſt Caſaubonus, ne non ſatis idoneus Geneuenſis Euangelij miniſter videretur, niſi integrum afferret aceruum mendaciorum. Mendacium eſt, auctore Baronio, *Salomen bis interfectam ab Herode*: mendacium *eſt eius mortem vel in ſecundum, vel in ſeptimum Chriſti annum à Baronio referri*: mendacium eſt, *anno octauo Salomen adhuc Baronio viuere, ac fratrem, qui iam bis occiderat, ampliſsimo legato eam proſequutum eſſe.* Nã meminit ille quidem anno Chriſti II. num. II necatæ ab Herode ſororis ſuæ Salomes: ſed cædem eam anno ſuperiore contigiſſe diſertè ſcribit. Niſi forte cum annum Chriſti ſecundum, eundem primum ac trigeſimum Herodis regis fecerit num. I. ac Salomen deinde num. II. ex Euſebij chronico, ac ſcriptore librorum de temporib. anno trigeſimo regni ſui ab eo interfectam totidẽ literis ſcripſerit; dubitari à quoquam poteſt ad ſecundum ne, an ad primũ Saluatoris annũ cædem eam referendam exiſtimarit? Sed pro ſua ſapientia Caſaubonus, quo in loco rei cuiusquã mentio, quacunq; occaſione fiat, ad eum referendam eam exiſtimat. Quocirca quod anno etiam ſeptimo prolatis verbis ijs, quibus domeſticas Herodis calamitates à necatis pueris ad mortẽ compendio memorat Euſebius, Salomes mortem in ijs recenſet, anno ſeptimo iterũ interfectam eam auctore Baronio fabulatur. Nec animaduertit, quo ſtupore eſt animi, ſeptẽ ipſos annos, quos ſuperſtitẽ pueris Herodẽ fuiſſe putat, ijs Euſebij verbis à Baronio claudi. *Cũ ſtatim* (poſt admiſſum in Chriſtũ ac pueros infantes ſcelus) *nulla ne minima quidem dilatione interpoſita diuina vltione illũ, dum adhuc in vita manebat, exagitatum?* eo ipſo loco

V ſcribat

Digitized by Google

ſcribat ex Euſebio, quo morbum eius inſanabilem memorat, quē ad ſeptimum refert Chriſti Saluatoris annum. Neq; vero aberrare ab Euſebij mente Baronium illud argumento eſt, quod is in chronico, cùm natalem Chriſti diem ad annum 194. Olympiadis tertium referat; Herodis obitum nō ante quartum inſequentis Olympiadis annum conſignat. Quocirca niſi pugnare ſecum ipſe dicatur Euſebius, cum ſcribit. Herodem *domeſticis calamitatibus, quarum alia ex alijs orta ſunt florentem obſcuraſſe regni ſui ſtatum*; de vltione illa numinis loquitur; *qua eum ſtatim, ne minima quidem interpoſita dilatione, exagitatum* proxime dixerat. quam ſi in morbo tantum, ac morte velimus agnoſcere, cū quadriennio tardiorem eam fuiſſe in chronico doceat: verè ſcribere non potuit; *ſtatim, ne minima quidem interpoſita dilatione*, ſubſequutam eſſe.

Iam quod Herodi ſuperſtitem Salomen à Baronio fieri, eamq; ampliſſimo legato ab eo moriente auctā ſcribit Caſaubonus; prorſus inſanit. Audi enim quid is an. 11. num. 11. ſcripſerit, cum ex Ioſepho mentio Salomes incidiſſet. *Quod pertinet ad Salomen Herodis ſororem, cuius non hic tantum meminit Ioſephus: ſed & eam ſuperſtitem poſt fratris obitum dicit; aperte his contradicit Euſebius, & dictus auctor, qui Philo de temporibus inſcribitur, qui etiam anno trigeſimo ſui regni, vnà cum viro de tribu Iuda, neci traditam eſſe teſtatur.* Satis ea videri poſſent ad refellendam perditi hominis calumniam: qui quod à Baronio iam ante repudiatum vidiſſet; neq; de Herodis teſtamento, & Salome fratri ſuperſtite quicquam apud eū, niſi in Ioſephi narratione legiſſet; id, quaſi propriū viro præſtantiſsimo tribuere, eoq; nomine tā acerbe in eū inuehi auſus eſſet: Sed illud oēm mētiendi impudentiā ſuperat, quod eo ipſo octauo Chriſti Saluatoris anno, vbi hæc à Baronio tradita memorat Caſaubonus, poſt prolata de Herodis obitu, ac teſtamento Ioſephi verba, hæc ipſa verba ſubijcit num. x. Baronius. *Quem* (Ioſephū) *& ſi in cæteris probemus, in his, quæ de Salome Herodis ſorore, eiuſq; viro narrat, ſecundū ea, quæ nuper diximus, & auctoritate Euſebij mendacij redarguitur.* Et ſuperſtitē tamen adhuc à Baronio fieri. & quidē luculento admodū legato auctā Salomen cōminiſcitur Caſaubonus. Ergo cū Salomes ab Herode ſublatæ ter meminerit Baronius; ſemel ſecundo Chriſti anno, iterū ſeptimo, tertiū octauo num. x. mortē tamen eius cōtigiſſe putat primo Chriſti redēptoris anno ſtatim poſt puerorū infantiū carnificinam: ac Ioſephū anno ſecundo num. 11. reprehendit quod cū anno ſuperiore viuere deſijſſet; eam tamē etiam tum ſuperſtitem faciat. Sed impijs, ijſque calumniatorib. mentiendi nullus eſt finis.

Itaq; exercit. VI. 11. capite noua hominē calumnia onerat. *Referri n. ait reditum Domini noſtri in Iudæā ex Aegypto in octauū eius annum* à Baronio num. eius an. XIII. quod cùm fieri non potuiſſe, eā ob rem putet Caſaubonus quod

proba-

Digitized by Google

probabile nõ videatur, omnia ea, quæ ab Herodis obitu ad inſtitutum Archelaũ Ethnarchã ab Auguſto ſunt geſta *intra vnius anni curriculum accidiſſe*; falſum *quoq; eſſe* dicit *hoc anno relatũ Dominũ in Iudæam*: atq; *quid verbis opus*, inquit, *ipſe Baronius ſtatim mutat ſententiam, & in annũ ſequentem refert nonum à natiuitate.* Quis iam vertiginis, h.e. hæretico, ſpiritu neget agitari Caſaubonũ? cui etiam quæ ſtant, nutare, atq; circumagi videantur. Nõ dixit Baronius tertiodecimo illo octaui anni numero Chriſtum Dominũ eo ipſo, quo Herodes mortuus eſt, anno relatũ in Palæſtinam: ſed cum ex Euangeliſtæ verbis colligi videretur, nõ multo poſt exceſſum Herodis Ioſephum ab Angelo monitũ, *vt tollẽs puerũ, ac matrem eius reuerteretur in terram Iſrael*: & tamen Eccleſiaſticis tabulis ſeptimũm Ianuarii diẽ reditu eius conſignatum, eoq; in annũ inſequẽtem reijciendũ neceſſario videret; poſt allata Euangeliſtæ verba, ac varias de Chriſti reditu ſcriptorũ opiniones, rem ita tẽperauit, vt octauo anno Herodem mortuũ, Archelaũ inſtitutũ ab Auguſto regem, Ioſephũ diuinitus monitũ, vti *rediret in terram Iſrael*, ſed nono demũ ineunte, *cum puero ac matre eius reuertiſſe* diceret. *Cæterum*, inquit, *& ſi hoc anno Herodes obijt, & Archelaus regnum accepit, & angelus in ſomnu Ioſephum admonuit; tamẽ quoniã tum martyrologiũ Romanũ, tum cætera teſtantur contigiſſe Chriſti reditũ ex Aegypto ſeptima Ianuarij; reliquũ eſt, vt dicamus id nequaquam factum hoc anno, ſed ſequentis initio: quandoquidẽ prope paſchatis celebritatẽ Herodem hoc anno efflaſſe animam cognouimus.* Quæ hic ſententiæ mutatio? Quid minus tibi cohærens? Quid vlla ex parte nutans, præter calumniatoris vel fidẽ, vel cerebrum? Sed finem imponamus capiti, à luculentiſſima eius calumnia caput inſequens auſpicaturi.

Alia Caſauboni in Baronium calumnia. CAP. VII.

VIx vllus eſt mẽdacijs, ac liuore Caſauboni toto opere inſignior locus quam exerc. IX. c. III. pag. 223 & ſequenti. Nam quod Baronius an. XVI. num. VIII. de Latinæ linguę dignitate diſputans, eã linguæ Græcę anteferre viſus eſſet; Caſaubonus, qui cũ latinitate multis inferiorẽ ſe ſine controuerſia, cerneret, Græca præſtare omnib⁹, ſtultè ille quidẽ, ſed exiſtimaret tamẽ, abiectius artificiũ ſuũ tractari, eoq; affectũ ſe ratus contumelia; exarſit videlicet in Baroniũ: & quando alia ratione non potuit, conuicijs ſe, atque mẽdacijs vltus eſt. Atq; illud in primis, quod cum aduerſariorũ odio coniunctũ, aſſenſionẽ habiturũ eſſet in vulgo, opportunũ calumniæ credidit: ꝙ ei diſputationi ſubiecit vir eruditiſsimus, ſatis ex eo colligi, *non eo ordine, quo ab Euangeliſtis recenſentur*, linguarum, Hebraicæ, Græcæ, & Latinę *inſcriptiones in titulo crucis poſitas eſſe: Nam diuerſi, cum inter ſe reperiantur, non ordinẽ ipſos ſecutos eſſe, ſed tantum quod factum eſt inſinuaſſe. Sed Latinam inſcriptionem primo loco poſitam eſſe.* Nimirum cum Romani primas ei linguæ deferrent,

Digitized by Google

qua populus terrarum dominus vteretur, atque vt ex Valer lib. II. cap. III. notat num VII. Baronius, *id agerent, vt Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur, ac vlla non in re pallium togæ ſubijci debere arbitrarentur, indignum eſſe exiſtimantes illecebris, & ſuauitate literarum imperij pondus & auctoritatē domari.* Veriſimile nō eſt eos potiores partes in titulo, quē ipſi ſcriberent, Hebraicę, ac Græcæ concedere voluiſſe. Quē Baronij locū furenti, quā ſcribenti ſimilior ſic exagitat Caſaubonus. *Magna animo meo inceſſit admiratio; quis enthuſiaſmus tranſuerſum egerit hunc Caſarē, vt tam alieno loco de titulo crucis Dominicæ diſputaret.* Nō fuit difficile, cū ex inſcitia naſcatur admiratio, Caſaubonū tam leui, ac nullà potius de cauſa tāta admiratione affici. Sed audiamus cætera, mirabimur vel *craſsiſsimam miſeri hominis ignorantiā*, vel apertiſsimā impudentiā in mentiendo. *Nec minus miror, auſum hac dicere, idq; Romæ qui non neſciret, fruſtū è ligno tituli huius inter alias reliquias Romæ coli: quod lignū ſi falſum non eſt, collectio Baronij falſa eſt. Sic rectè Baronius colligit; falſum eſt illud lignū falſæ reliquiæ: & qui venerationē illi hactenus exhibuerunt, falſi ſunt. Nam in eo ligno prima eſt Hebraica inſcriptio, ſequitur Græca, tertio loco Romana eſt.* Imo quia inſcriptiones illæ ita in eo ligno poſitæ ſunt, vt anceps videatur ordinis earū interpretatio; monendū hic obiter lectorē, ſcriptor egregius cēſuit, locū quē in eo ligno Romana inſcriptio tenuit, primū fuiſſe dignitate. Id quod ita eſſe deinde an. XXXIV. num. XI demonſtrat: quam diſputationem cum viderit, ac non ita multo poſt etiam deprauet, hoc loco Caſaubonus, lectoribus nimirum imponit, cùm pro comperto accipit primum in eo ligno locum Hebraicæ inſcriptioni tributum eſſe.

At etiam, ne blaſphemia locus interim careret; in reliquias inuehitur; & quotquot vbique terrarum ſunt, in dubium reuocat. *Per Deum immortalem*, inquit; *ſi etiam ligni illius, quod os & linguam, vt ita dicam, habet, ac pro ſe loquitur, fides vacillat; quid erit certitudinis in crucis ligno, quod vel Romæ, vel alibi adoratur? Quid in cæteris reliquijs? Iſtud igitur pius lector apud ſe reputet.* Ita vero fides tibi, atque animus vacillaret, Caſaubone; nec iudicium in te deſideraremus, nec deteſtaremur mendacitatem. Quale enim eſt quod ſubijcis? *Baronium de illo ligno certi nihil habuiſſe, & fortaſſe etiam in illam partem inclinare, vt falſum atq; adulterinū crederet; hic locus manifeſtiſsime arguit: Idem tamen in hiſtoria paſsionis cum vulgo loquitur, & ſine vlla dubitatione illud fruſtum ligneum pro vero cognoſcit. Vbi penitus mutata ſententia, etiam de ordine trium titulorū diſputat ſubtiliſsime.* Quæ ſi vera ſunt, neceſſe eſt Baronium an. XXXIV. tituli, qui Romæ ſeruatur, indicio, docere primū in titulo crucis locū Hebraicæ linguæ tributum eſſe, cum hic eum Latinæ conceſſerit. Id quod apertius etiam verbis conſequentibus illi tribuit Caſaubonus. *Hic vero Baronius ſuam ſententiam (illam dico quam hic probat in anno Chriſti XVI. non quod tuetur in anno*

XXXIV),

XXXIV) *magni teſtis auctoritate confirmat*, *Nicolai I. Romani Pontificis Cuius verba ſi rectè capit Baronius, & Papa, vt ſit veriſimile, mentitus non eſt, ilicet de ligno, quod Romæ colitur, actum eſt. Nam illud ſubdititium eſſe, omninò ex hac Baronij ſententia, & Nicolai Papæ verbis ſequitur.* Baronius anno 34. num. 119. ordinem dignitatis ab ordine ſitus diſtinguit. Nam locus ſitu prior ille dicitur, qui cœlo vicinior eſt; dignitate, qui tribui honoratiori ſolet; ac Latinam inſcriptionem locum ſitu poſtremum, dignitate primum in crucis titulo obtinuiſſe contendit. *Scriptus eſt*, inquit, *à Pilato cauſæ titulus, qui ſuper crucem affigitur eo ordine, quo ponitur à Ioanne nempè Hebraicè, Græcè, & Latinè, vt apparet in parte tituli, quæ Romæ exſtat.* Habes hic ordinem loci, qui vnus ex ipſo titulo dignoſci poteſt. de ordine dignitatis hæc ſubijcit. *Ita tamen vt ſecundùm ea, quæ à nobis ſuperius dicta ſunt* [anno 16. ſic enim ad marginem adnotat] *& quæ I. C. habet in ipſius ordine nobilior locus, ac proinde prior ille ſit viſus, qui Chriſtò vicinior eſſet: ſicq́; Latina prior, nouiſſima verò Hebraica, vt quæ Græcâ inferior, & barbara à Romanis haberetur, poſita eſſet inſcriptio.* Satiſne diſertè duos hos *loci*, ac *dignitatis* ordines diſtinguit Baronius? Satis apertè. memor eorum, quæ ad annum 16. dixerat, exponit ipſe, quo ſenſu primum in titulo crucis locum linguæ Latinæ tribuerit? Vbi igitur illa ſententiarum apud Baroniū vel mutatio, vel pugna? niſi in hominis, aut ſtolidi capite, aut nequiſsimi mendacio: qui non tam Baronij, quàm ſacrarum reliquiarum exiſtimationi officere malignitate ſua vellet. Porrò ne temerè affirmaſſe videretur vir eruditiſsimus, locum, quem in titulo crucis obtinuit Latina inſcriptio, poſtremum illum quidem ſitu, ſed primum fuiſſe dignitate; exemplis etiam id confirmat. *Siquidem apud eos*, inquit, *in theatro locus infimus Senatorum, ſummus verò plebis: & in triumpho poſtremus Imperatoris: ſed, & in triclinio, nouiſsimus Conſulis erat: ſicq; ſedendò, procedendò, & recūbendò locus vltimus, primus eſſet.*

Iam in ijs Nicolai Pontificis verbis, quando tantum eſſe momenti putat, ad conuellendum eum Crucis titulum, quem inimicus crucis Chriſti Romæ religioſè coli moleſtè fert: operæ pretium feciſſet, ſi aut indicaſſet, qui tandem id ex ijs colligeret; aut verba ipſa protuliſſet, ne credere mentienti inaudita cauſâ lectores cogerentur. Sed ea quando fallendi ſtudio Caſaubonus reticet, ego proferam. *Hæc*, inquit [lingua Latina] *cum Hebræa, & Græca à cæteris diſcreta inſignem principatum tenens omnibus nationibus prædicat Ieſum Nazarenum Regem Iudæorum.* Quid enim? ſi locum dignitate principem obtinet, quamuis ille ſitu poſtremus ſit; inſignem principatum tenere immeritò dicetur? Aut ſi cum Hebræa & Græca inſignem principatum ideò tenere dicitur, quod cum duabus illis locum in crucis titulo præ cæteris reperiſſet; quid eſſet in ijs verbis, quo tantopere triumpharet Caſaubonus?

Capite etiam exercitationis eius 11. accuſat Baronium, quòd vocationem eam Petri & Andreæ, quam Euangelij ſui cap. 1. deſcribit B. Ioannes; ann. 31. num. XXII. cùm ea confundat, quæ apud Matthæum & Lucam legitur; cùm tamen is eo num. præter nuda Ioannis Euangeliſtæ verba de eorum Apoſtolorum vocatione nihil ſcribat. Num. verò proximè conſequenti duas haſce vocationes ipſis diſtinguit B. Epiphanij verbis. *Occurſus Andreæ,* inquit, *primus contigit, cùm minor eſſet Petrus tempore ætatis. Poſtea enim rurſus, quando perfecta renunciatio facta eſt; ipſe fratrem ſuum præceſſit.* Et cùm num. 21. priorem eorum vocationem ex Ioanne narrauerit: anni eius 57. poſteriorem è reliquis Euangeliſtis memorat: cùm etiam diſertè poſtea contigiſſe eam, dicat: *Quid verò,* inquit, *poſt hæc ſequutum ſit; in hunc modum narrant Euangeliſtæ. Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius,* & reliqua. Confunditne igitur eas vocationes Baronius, an mentitur Caſaubonus? Antiquum vterque ſcilicet obtinet, vt alter fideliter ſcribat hiſtoriam, alter per calumniam omnia miſceat.

Niſi ligneum hominis ingenium multis, iiſque minimè dubijs documentis noſſem; illud etiam calumniæ verterem, quod exercit. 13. cap. 12. ita ſcribit. *Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. Propterea inter duodecim Apoſtolos vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. Sed cur non Ioannes electus eſt virgo? Ætati datum eſt, quia Petrus ſenior erat. Baronij iudicium de hac ſententia, & eius auctore Hieronymo, operæ pretium eſt audire. Ex his ait, apparet quàm turpiter errent, qui primatum putant Petro collatum, quia cæteris ſenior eſſet. Quo ſpectat hæc vehementia, & B. Hieronymus, alijq; eiuſdem ſententiæ Patres quàm digni ea contumelia fuerint, vt turpiter errare dicantur, lectorum eſto iudicium.* Eſto ſanè lectorum; nam ſcriptoris quidem, niſi ſi de induſtria Baronij locum deprauauerit, nullum planè fuit iudicium. Hieronymus enim Petrum, totius ordinis caput diuina electione conſtitutum diſertè docet: neque eius rei cauſam in ætatem vlla ratione refert. Sed cur Ioanni Petrus prælatus ſit; id vnum ætati tribuit. Grandior ergo Ioanne Petrus; alij ex Apoſtolis Petro grandiores: Prælatus ſanè Ioanni fuerit ætatis prærogatiua; vt cæteris præferretur, ætate non meruit. Neque Baronius turpiter erraſſe ſcribit; qui ætatis gratia vni cuipiam ex condiſcipulis: ſed qui cæteris omnibus prælatum dicunt. *Ex his,* inquit, num. XXIV. *apparet, quàm turpiter errent, qui primatum putant Petro collatum, quod cæteris ſenior eſſet. Nam quod ad hoc ſpectat, & ſi non alij, certè Andreas maior erat ætate, prior in vocatione, & in perfectioris vitæ electione Petro præſtabat.* Sed Caſaubonus ex ann. 32. num. VI. translatis in hunc locum Hieronymi verbis; truncam ex num. XXIV. ann. 32. ſubiecit Baronij ſententiam; calumniandi libidine; an craſſa ignoran-

rantia ? an vtraque ? Lectorum eſto iudicium. Liuorem quidem virulenti cuiuſdam animi & hæc præ ſe ferunt, & horum ſimilia nonnulla.

Quale illud eſt exercit. eiuſdem cap.31. vbi de Abagari Edeſſeni Toparchæ ad Dominum Epiſtola diſputans, profeſſus malle ſe aliorum audire iudicia, quàm quicquam pronunciare. *Miror tamen,* inquit, *auctoritatem Romani Concilij, & Papæ Gelaſij adeò contemni hodie, & pro nihilo duci ab illis, quibus ſingula verba Paparum multò poſteriorum, puta alicuius Hildebrandi, vel Bonifacij VIII. aut Alexandri VI. totidem ſunt oracula diuina* Quid autem ſcripſit, aut quid omninò hac de re diſputans innuit Baronius, tam graui caſtigatione dignum? *Quod pertinet,* inquit ann.31. num. LX. *ad dictarum epiſtolarum fidem, eò quòd non reperiantur ab Euangeliſtis conſcripta, idcircò Gelaſius Papa recenſet illas inter apocrypha, quaſi non hagiographa; non tamen vt eas ab Eccleſia omnino proſcribat, ſicut nec complures alios libros, quos proximè recenſuit.* Eiuſmodi ſunt opuſcula Tertulliani & Clementis Alexandrini, &, quod magis mirere, Euſebij Cæſarienſis hiſtoria; quam tamen ſupra *propter rerum notitiam ſingularem*, inquit, *quæ ad inſtructionem pertinent, vſquequaque non dicimus remouendam.* Pergit Baronius poſt allata pro ijs epiſtolis veterum teſtimonia. *Hæc verò,* inquit, *non ſic à nobis ſunt recitata, vt apocrypha in hagiographa trãsferri velimus: ſed tum, ne quid lectorem prætereat, tum etiam ne ea quis omnino contemnenda exiſtimet; quæ maiores complures venerati eſſe noſcuntur.* Quid in his verbis temerè? quid inconſideratè dictum? quid non in decretum Gelaſij venerationis plenum? Et miratur tamen Caſaubonus *Concilij Romani, & Papæ Gelaſij auctoritatem à Baronio, atq; ab ijs contemni, ac pro nihilo duci, quibus ſingula verba Paparum multò poſteriorum totidem ſunt oracula diuina?* quaſi Dei miniſtri, in quibus Chriſtus audiri ſe imperat, perindè ac vina pretium vetuſtate contrahant: neque ſacroſanctam poteſtatem, ſed ætatem in ijs Eccleſia Dei veneretur.

Tribuatur ſanè etiam illud inſcitiæ; neque perſpicaciſsimo calumniatoris ingenio, quamuis mendacio proximum, quod exercit. 14. expendere ſe ait in cap. 6. Epigraphe dictum Baronij; *Petrum ferijſſe Malchum, quia erat Galilæus*, Inſcriptioni ipſa capitis diſputatio reſpondet cumulatè; *quia dixit Ioſephus, Galilæos fuiſſe μαχίμους ἐκ νηπίων putat Baronius eam fuiſſe cauſſam, cur Petrus genere Galilæus, Malcho auriculam præciderit.* At nihil minus agit anno 32. num. VII. Baronius, quàm vt eius rei cauſam perueſtiget. Sed cùm per occaſionem electionis Apoſtolorum, de eorum quoque patria diſputaret, atque omnes eos Galilæos fuiſſe diceret, gentis mores breuiter ex Ioſepho lib. 3. de bel. cap. 2. perſtringens *pugnaces eos ab infantia, neque aut ipſos formidine, aut regiones eorum penuria occupatas eſſe dixit.* Atque; *Hinc videas,*

in-

inquit, *Petrum, ingentes ſumentem ſpiritus, ſolùm aduerſus cohortem militum intrepidè gladium euaginaſſe. ſeruum Principis Sacerdotum vulneraſſe. longè his audaciora experturum, niſi verbis Domini cohibitus eſſet.* Vbi non tam affertur facinoris eius cauſa; quàm Petrus non degener Galilæus oſtenditur: ac ſi textum ſermonis conſideres, Ioſephi de Galilæis elogium exemplo Petri confirmatur. Neque verò ſi afferri eo loco facti eius cauſa dicenda ſit, ea affertur, quod Galilæus eſſet; ſed quòd pugnax ac ferox, & formidinis prorſus expers, quod Galilæi plerunque ſolent. Et vrget tamen Caſaubonus cæteros Apoſtolos, quamuis Galilæi forent, nihil tale auſos: quocirca id non patriæ, ſed præferuido hominis ingenio tribuendum; perindè quaſi ad conſtitutionem corporis, atq; affectiones eas animi, quæ conſtitutionem comitantur, nulla ſit cœli, ſolique vis, qua fit, vt,

Nec terra ferre omnes omnia poßint;

ac pro regionum locique natura, non modò reliqua; ſed ipſa etiam animalia alia alibi generoſiora ſint. Itaque, ſi me audit, Phyſica iſta alios in vſus ſeponat: nam hic quidem, niſi captandi riſus gratia, locum non habent.

Exercitat. 15. cap. 3. Baronium acriter reprehendit, quod anno 33. num. 7. ſcripſerit: Herodis Tetrarchæ cum Areta Arabum Rege bellum multis annis duraſſe, quod cœptum Ioanne Baptiſta etiam tum viuo, Vitellio Syriæ præſide, nondum abſolutum erat. Atque inter cætera, *Quod ait*, inquit, *bellum hoc multos annos fuiſſe tractum, quia in eius explicatione Vitellij præſidis Syriæ mentionem facit Ioſephus; mirificam ſuam chronologiam etiam hic oſtendit.* Non ſanè magis ille mirificam Chronologiam, quam Caſaubonus imperitam malignitatem. Ac de hiſtoria quidem ipſa alio loco diſputaturus ſum. calumniarum hoc capite hominem mendaciſsimum poſtulo. Neque enim quia Vitellij mentionem facit in eius belli expoſitione Ioſephus, eam ob rem *tractum per aliquot annos bellum* affirmat Baronius. Quid ſi enim alia de cauſa in eius rei narratione iniecta eſſet Vitellij mentio? aut ſi eo Syriam adminiſtrante bellum id cœptum, atque abſolutum eſſet? qui poſſet effici diuturnum bellum illud fuiſſe. Sed quia datum Vitellio negotium à Tiberio auctor eſt, Ioſephus vt Aretam, à quo maxima clade affectus fuerat Herodes, armis compeſceret; ac ne id quidem ſatis; ſed quod ante cœptum bellum id fuerat, quàm Ioannes ab Herode necaretur, cùm extra controuerſiam ſit, à Ioannis Baptiſtæ nece ad Vitellium Syriæ præſidē annos aliquot fluxiſſe.

Perbreue eſt 4. exercitationis eius caput, neque tamen ſimplici impoſtura cōſtat. *Placet*, inquit, *Baronio ſeorſim: diſcubuiſſe viros, ac fœminas*, cùm quinque hominum millia tam exiguo pane ſunt paſta, *eam fuiſſe Iudæorum in conuiuijs conſuetudinem, probat ille ex ijs, quæ ſcribit Iudæus Philo de Eſſenis.* Id multis deinde reprehendit, quod è certæ familiæ ritibus, ad gentis totius mores in-

Digitized by Google

epta argumentatio ſit: vt ſi quis quòd factitari ab vna quapiam monachorum familia conſtet, id continuò ad totam Eccleſiam transferat. Laudo Dialecticam qua caſu an ratione? præter inſtitutum, non ineptè vſus eſt. ſed fidem deſidero. Nam in eo Chriſti conuiuio eam diſcumbendi ratione̅ ſeruatam eſſe ex Euangeliſtæ verbis, ac veteri Iudæorum conſuetudine colligit Baronius, quibus id in publicis conuentibus eſſet ſolemne. Quod ex Philone probat, id modo eſt viros in conuiuijs dextrum, fœminas ſiniſtru̅ latus tenere ſolitas, nec ſine lectiſternio, vel ſtramento aliquo, cuius loco in eo Domini conuiuio fœnum fuerit. Neque verò quanuis de Eſſenorum diſciplina illum de vita contemplatiua librum ſcripſerit Philo; morem eum conuiuiorum veluti eius diſciplinæ proprium memorat. Nam deteſtatus Ethnicorum conuiuiorum luxuriam; *Ex aduerſo*, inquit, *his opponam, quæ ex inſtituto Moyſis prophetæ certis diebus agitantur apud eos, qui totam vita̅ dedicarunt cognitioni naturæ.* Moſis aute̅ inſtituta nō ad vnam Eſſenorum familiam; ſed ad vniuerſam Iudæorum Gente̅ pertinuiſſe, nemo eſt, opinor, qui dubitat.

Iam ne capitis quidem eius clauſula vacat ſuſpicione fraudis. Quod ait Baronius *Marcum dixiſſe; contubernia; pro eo quod in Græcis habetur συμπόσια propterea dixiſſe, quia Marcum Euangelium Latinè ſcripſiſſe credebat.* ſatis aperta, atq; perſpicua erant ipſa per ſe Baronij verba; niſi malus animus, ac mens ad deteriora procliuis ea ſecus interpretari calumniatorem coegiſſent. Nam Baronio quidem id modo propoſitum eſt: vt doceat, cùm apud Marcum dicuntur conuiuæ illi *per contubernia iuſſi diſcumbere*, non id ſignificari iuſſos per familias diſcumbere; ſed potius in plures veluti cœtus tributos; idque ex Græco Euangelij vocabulo planum fieri, cùm συμπόσιον Græcè conuiuiu̅ ſignificet: vt idem ſit, *iuſſos eos per contubernia diſcumbere*; ac ſi diceret, iuſſos in diuerſa veluti conuiuia, ac menſas tribui. *Quod Marcus ait; Præcepit illis vt diſcumbere facerent omnes ſecundùm contubernia; non ſic accipiendum eſt*, inquit, *vt omnes per familias ſingulas promiſcuè recumberent. Nam propius explicat Græca dictio συμπόσια συμπόσια, hoc eſt, conuiuia, conuiuia. Nam idem mox ſubdit Euangeliſta; Et diſcubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos. Hæc illa erant conuiuia, ſeu contubernia, quæ magis propriè dicimus menſas.* Aut igitur nihil intererat Baronij qua lingua ſcripſiſſet Marcus; aut Græcè potius ſcriptum ab eo Euangelium loci huius opportunitas requirebat. Nam quòd Marcum dixiſſe contubernia ſcribit; perinde eſt ac ſi diceret, quod in Euangelio legimus contubernia.

Mirum eſt, inquit, exercit. eius cap. 7. *affirmare Baronium tanquam rem certam, Marcum Euangeliſtam vnum illorum Chriſti diſcipulorum fuiſſe, qui propter non intellectum myſterium de manducanda eius carne, ab illo dicuntur receſſiſſe Ioan. 6.66.* Mirum verò eſſet, potuiſſe Caſaubonum tam impudenter mentiri, niſi

Caluinianus,ac paraſitus fuiſſet. Nam Baronius non modò id pro certo nõ affirmat;ſed ne iudicium quidem ſuum interponit. Tradi id modo ait, eiuſque hiſtoriæ auctorem laudat Epiphanium. *Non prætermittimus*,inquit an.33. num. XIII. *dicere, vnum ex his, qui à Chriſto Domino receſſerunt,tradi fuiſſe Marcum qui poſtea Euãgelium ſcripſit:ſed per Petrum ad Dominum reuocatum. Id enim Epiphanius his verbis teſtatur.* Quæ in his verbis tam certa eius hiſtoriæ confirmatio? Aut quod omnino hiſtorici iudicium? Quãquam eo quidem capite ſi cum Epiphanio conferatur, lenius tractatur Baronius, Neque enim modò leuitatis accuſatur, *quod leuibus auditiunculis, neſcio vnde acceptis, facilè nimis aliquando fidem habuerit*; ſed tantum non ſacrilegij poſtulatur Epiphanius, quod vt hiſtoriam eam confirmet,*ſcripturarum laudat auctoritatem, ex quibus clarè id conſtare dicat.* ὡς enim, inquit, τοῖς τὸ εὐαγγέλιον ἀναγινώσκουσι σαφῶς ἡ παράστασις *cùm verbum nullum in toto illo Ioannis capite, ac ne in tota quidem ſcriptura; vnde ſimile quid de Marco colligi poſſit.* Quo loco niſi *craſſa admodum ignorantia* hominem excuſet, liberare Caſaubonum fraudis, non iam ſuſpicione; ſed aperto admodum crimine nulla ratione poſſum. Certè,cùm ita ſcripſiſſet Epiphanius; *Marcum vnum fuiſſe de ſeptuaginta duobus diſperſis ob verbum quod dixerat; Niſi quis ederit meam carnem, & biberit meum ſanguinem; non eſt me dignus, velut Euangelij verba legentibus clare indicatur*: videre nullo negotio potuit: poſtrema hęc eius verba non ad Marcum referri, cuius nulla eſt in Euangelio mentio; ſed ad diſcipulos, qui offenſi tanto myſterio à Domino receſſerunt.

Alia Caſauboni calumnia ex capite nono, & ſequentibus exercitationis decimaquinta.

CAPVT VIII.

INfinitus ſim, ſi ſingillatim omnia perſequar. omittam cætera. pauca modò quædam ex longiſsima Caſauboni ad ann.33.num. XVII. digreſsione adijciam. Exerc.ergo 15.toto cap.9.Baronium accuſat, quòd Matth.16. cùm interrogauit Dominus,*quem dicerent homines eſſe filium hominis,&c.* concilium ab eo cum Apoſtolis habitum doceat. quocirca etiam ſuperiore capite primam eam numerauit Baronianæ obſeruationis partem; *figmentum Baronij, de concilio inter Chriſtum & diſcipulos habito.* ac multis deinde, inprimiſque eo argumento refellit cap.9. *quòd concilium conuentus eſt iudicum: cùm in eo conuentu nemo præter Chriſtum iudex, nemo magiſter eſſet.*

Ego verò,ſi Baronius concilium illud fuiſſe diceret; non vererer hominẽ humanitùs lapſum fateri. Nam in tanto præſertim tamque vario opere, vt nunquam erres, ſperari, niſi ab eo non poteſt, qui immemor ſit humanæ cõditionis. Verùm cùm non cõcilium, ſed totidem ſyllabis TYPVM QVEN-

DAM *celebrandi concilij* in eo Domini cum Apoſtolis colloquio vir doctiſſimus expreſſum agnouerit; quid eſt, quod *figmentum* illi ſuum Grammaticus calumniator appingat? Facto enim, atque exemplo ſuo doctos exiſtimat à Chriſto Apoſtolos, vt ortas de fide in Eccleſia controuerſias, ad publicum paſtorum conuentum referant, atque ope numinis ritè prius implorata, auditis ſententijs, tandem de re tota conſtituant. Nam quòd in eo conuentu vnus Dominus iudex atq; magiſter eſſet; concilium verè non fuit, quod haberet cætera omnia concilij quàm ſimillima; norma quædam eſt iuſti, legitimique concilij. Chriſtus enim Dominus cùm poſt fuſas ad Deum preces, ſeductos à turba diſcipulos, de re vna omnium grauiſſima, eaq; varijs vulgi diſſentientis opinionibus in controuerſiam vocata ſententiam rogat: quid facto opus ſit, quæve obſeruanda deliberandi ratio in rebus Eccleſiæ dubijs indicat. Cùm antequam Apoſtolos ſententiam roget, de aliorum requirit opinionibus; diſceptationem cauſæ, atque agitationem in vtramque partem deſignat. Cùm quærit, quem ſe eſſe ipſi dicant; morem exprimit rogandæ Patrũ ſententiæ. Cùm Petrus dignitate, non ætate princeps, primus reſpondet; cenſendi ordo præſcribitur. Cùm denique poſt dictas ſentẽtias ipſe, qui vnus in eo conuẽtu iudex atq; magiſter eſt, comprobato Petri iudicio, ſententiam pronunciat, ac de re tota conſtituit, paſtorum, qui Eccleſię iure ſuo magiſtri, ac iudices ſunt, partes eſſe monet, pronuncianda ſententia, ſancire fidei dogmata. Quæ ſi ſeruentur; nihil ad exquiſitiſſimam legitimi concilij formam deſiderari poteſt. Ergo in hoc Domini facto, non conciliũ, ſed cõcilij habendi *typum*, ac ne eũ quidem abſolutè; ſed *typum quendam*, adiectione pronominis vim vocis eius imminuente, eſſe propoſitum Eccleſiæ, nec immeritò putat Baronius. Cùm nos non verbis modò; ſed, quod non raro obſeruant Patres, rebus etiam ſæpè docuerit: *vt quemadmodum ipſe fecit Dominus & magiſter; ita & nos faciamus*. quæ in Baronij verbis qui volet, facilè recognoſcet. *Eiuſmodi*, inquit num. XVII. *tanti ponderis & auctoritatis actio Chriſti TYPVM QVENDAM exprimit celebrandi concilij* Qui *typum* modò *quendam* cõcilij agnoſcit in eo Domini facto: rem ipſam profectò non agnoſcit. ſubijcit etiam quid habeat ſimile concilij. I. *Cum miſſis cæteris, ſolus cum diſcipulis poſt preces Deo oblatas, de ſumma rerum quæſtionẽ proponit. II. Et admirabili quodã ordine vt prius deſtruãtur errores, ac ſubinde ſolida firmitate veritas ſtabilis locetur, inprimis interrogat quæ ſit illorũ qui foris ſunt, opinio de filio hominis. III. Sed cũ deliramenta potius, & inſana ab illis dicta ferrẽtur, quid demũ ipſi de ea re ſentiãt, rogat ſententias omniũ. IV. Petrus primus omniũ, licet nõ ætate, vt ſæpius diximus, ſed dignitate, talem fert ſententiã, vt cauſã ipſe definiat; & quid ab omnib ſentiendũ eſſet, erudiat, atque decernat, ac fidei canonẽ perpetuò permãſurũ cõſtituat, vt nihil ferè tã eſſet op⁹ cõſulere cæteros tũc Apoſtolos, ac rogare quenã eſſet aliorũ de ea re ſentẽtia. V. Idcirco etiã ſatis*

X 2 *fuit*

ſuit Chriſto, Petrum fuiſſe locutum, ac quid de fide ſentiendum eſſet, clauum fixiſſe. VI. Quin & laudauit ſententiam eius, eamq́, non eſſe habendam vt communem, aut vulgarem, aut ex ſenſibus humanis: ſed diuinitus à Deo Patre illi per Spiritum ſanctum infuſam, cæteris audientibus, patefecit.

Habes perſpicuam Caſauboni in re tanta calumniam. accipe aliam non abſimilem è cap. 12. exercit. eius num. 17 pag. 380. & 381. Nam quæ de Petri ſententia hoc loco dixit Baronius, vt ſignificaret, loquente per os eius, qui ei reuelauerat, Patre cœleſti, immobilem fidei canonem ab eo editum eſſe; ita interpretatus ipſe, quaſi humano iudicio, atque auctoritate, ac ſuo nutu rem tantam à Petro peractam docuiſſet: *Eſt*, inquit, *in confeſſo apud omnes pios, cæleſtis doctrinæ dogmata neque auctorem alium poſſe habere, quàm Deum; neque aliunde, quàm à Deo auctoritatem habere, propterea Chriſtus veritati, quam Petrus pronunciauerat, velut ſigillum imponit, & confert auctoritatem.* Sunt iſta vera, Caſaubone. Sed vide, ne quàm verè iſta pronuncias; tam ea, quæ ſequuntur, vel ineptè ex ijs colligas, vel malignè. Qua enim ratione quia fidei nemo præter Deum auctor eſt; colligis ea, quæ ſubijcis? *Quare intolerabilis eſt Baronij ad hunc locum oratio. Petrus cauſam definit, decernit, fidei canonem cõſtituit: quid de fide ſentiendum eſſet, ſolus Petrus clauum fixit.* Neque enim negare potes ijs Apoſtoli Petri verbis, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, æternum fidei canonem contineri. Quid igitur reprehendis in oratione Baronij? quodne Petrum eorum verborum auctorem fecerit? at clamat Euangeliſta, rogante Domino, quem ſe eſſe Apoſtoli dicerent; *reſpondiſſe Simonem Petrum, Tu es Chriſtus, &c.* Quid igitur eſt, quod in oratione Baronij tolerari poſſe negas? *Per Deum immortalem*, inquit, *quis veterum Patrum ita locutus eſt? Quis dixit ſolum Petrum fidei noſtræ fundum eſſe ac baſim?* Crederem id Caſaubono minus probari, quod conſtituti fidei canonis gloriam vni Petro tribuerit, cum collegis non communicarit Baronius, niſi & ſuperiora repugnarent, vbi *intolerabilem eam Baronij orationem eſſe dixit, quod fidei conditor ſolus Deus ſit*: & conſequentia idem clamarent. *Quis piorum*, inquit, *hactenus non credidit Prophetas & Apoſtolos fuiſſe miniſtros voluntatis Dei, præcones, ac nuncios? fidei auctorem ſolum Deum?* Baronius igitur, ſi vera ſomniat calumniator, Petrum auctorem fidei, non Dei præconem in ea confeſſione facit. Qui autem id ei venire in mentem potuit; qui hanc numeri eius 17. clauſulam apud Baronium legiſſet? *Satis fuit Chriſto Petrum fuiſſe loquutum; ac quid de fide ſentiendum eſſet, clauum fixiſſe. Quin & laudauit ſententiam eius, eamq́, non eſſe habendam vt communem, vel vulgarem, aut ex ſenſibus humanis depromptam: ſed diuinitus à Deo Patre illi per Spiritum ſanctum infuſam, cæteris audientibus patefecit.* Pergamus.

Mitto, inquit, *abſurditatem abſurdiſſimam, & impietati proximam, in eo concilio (ſic enim vult Baronius) cui Ieſus Chriſtus verus Deus intereſſet, confeſſorum aliquem ſolum.*

Digitized by Google

ſolum ferre legem de fidei articulis. Perinde quaſi, cùm ſolum definiſſe, ac decreuiſſe Petrum dixit Baronius, cum vniuerſo conſilio, quo Chriſtus etiam ipſe comprehendebatur, non cum reliquis Apoſtolis Petrum contulerit. *Quid ipſi,* inquit, (Apoſtoli) *de ea re ſentirent, rogat Chriſtus ſententias omnium. Petrus primus omnium licet non ætate, vt ſæpius diximus ſed dignitate, talem fert ſententiam: vt cauſam ipſe definiat; & quid ab omnibus ſentiendum eſſet erudiat, atque decernat, ac fidei canonem perpetuo manſurum conſtituat: vt nihil ferme eſſet opus conſulere cæteros tunc Apoſtolos, ac rogare, quænam eſſent aliorum de ea re ſenſententiæ, ac opiniones. Idcirco etiam ſatis fuit Chriſto, Petrum fuiſſe locutum, ac quid de fide ſentiendum eſſet, clauum fixiſſe.* Quæ in his verbis ambiguitas, vt in deteriorem partem interpretando anſam calumniandi inueniret? præſertim cum & confeſsioni Petri Dominus ſuæ pondus auctoritatis addiderit, neque diſsimulatum id fuerit à Baronio, cum collaudatam à Chriſto eam ſententiam, eiusque oraculo patefactam dixit, eam *non ex humanis depromptā ſenſibus: ſed per Spirititum ſanctum è Deo patre deſcendiſſe?* Ergo in commune conſuluntur Apoſtoli: Petrus reſpondet; atque ita propoſitæ de Chriſto controuerſiæ breuiter perſpicueque ſatisfacit: vt cum nihil addi, nihil demi, nihil immutari poſſet, ſententiam cæterorum admurmuratione, atque admiratione comprobatam, Chriſtus ſua auctoritate confirmet; ac diuinitus Petro reuelatam pronunciet.

Iam diu recenſendis Caſauboni in Baronium calumnijs lectores fatigo. Itaque imponendus eſt aliquando huic diſputationi modus; ne quod initio dixi, totum fere eius librum huc transferam. Omittam igitur cæteras. vnam modo eam ex cap. illo XII. exercit. XV. num. 18. pag. 385. ſi adiecero, finem imponam. *Baronius,* inquit, *in hac hiſtoria* (cum Dominus Simoni dixit; Tu es Petrus &c.) *tempora confundit.* Caue ne tu potius aut prudens inuertas omnia, aut per inſcitiam perturbes. Sed quænā iſta eſt temporum in hac Baronij narratione confuſio? *Vult enim.* inquit, *promiſsionem factam à Chriſto* (cum ei prædixit fore vt Cephas aliquando vocaretur) *gratiam repēdente inquit propter confeſsionem: atque in præſentiarum Petrum eſſe feliciter conſequutum, quod fuerat ante promiſſum.* Baronius vt hoc vnquam ſomniarit, non dicam docto, atque erudito viro; ſed omnino homine tam indignum? An promiſsionem, quæ initio Euangelij Ioannis habetur, confeſsione, de qua hic Matthæus, duobus minimum annis priorem fuiſſe Caſaubonus fumoſus è coquina grammaticus animaduertere potuit? Baronius non potuit?; *à quo cum* multis alijs viris eruditiſsimis Euangelicæ hiſtoriæ tēpora ita ſunt *digeſta,* vt promiſsio illa ad primum ac trigeſimum annum Chriſti, hæc Petri confeſsio ad tertium ac trigeſimum referretur. Quid ſi id modo ſcribit Baronius prædicata tanto ardore animi Chriſti diuinitate, id

Digitized by Google

id à Chriſto gratiam rependente conſequutum eſſe Petrũ, quod fuerat antè promiſſum, vt Cephas appellaretur; tamen ne dubium eſſe cuiquam poterit, aut inſanire Caſaubonum, cum quærit. *Quomodo illud fiet: promiſsionem factam à Chriſto gratiam rependente?* aut nequiſsime calumniari? cum durius transpoſitis Baronii verbis abutitur, vt vir ſummus lectoribus ineptire videatur. Ea ſunt nũ. 19. *Hic, qui tam prõpto, & alacri animo, quæ diuinitus acceperat de Chriſti diuinitate, palam confeſſus fuit, & ab eo gratiam rependente, ſponſionẽ illam omnium maximam, quod Cephas vocandus eſſet, acceperat, in præſentia eſt id feliciter conſequutus, dicente ei Domino, Tu es Cephas.* Quis, cũ hæc apud Baronium legerit, niſi fungus omnino ſit, non intelligit, ita erratum in collocatione verborum; vt tamen ſatis appareat, quid ſibi voluerit vir doctiſſimus? Fac enim ita; *Et ſponſionem, quod Cephas vocandus eſſet, acceperat; ab eo gratiã rependẽte in præſentia eſt id feliciter conſequutus.* Quid planiꝰ? Quanquã ne ſic quidẽ male omnino collocata ſunt, modo exquiſita in verbis temporũ ratio habeatur. Qui enim dicit *gratiam ei rependi; qui ſponſionem acceperat*; ſatis indicat ſponſionem iam antè factam, repenſionem gratiæ in præſentia fieri. Itaque nulla fuiſſet ambiguitas, ſi ita dixiſſet; *Et ab eo, qui nunc gratiam rependit, olim ſponſionem acceperat.* Sed quia præſentis temporis participiũ interdum etiam ad præterita trahitur; opportunitatem calumniæ præbuit, quam inuertendis etiã, detruncandiſq; Baronij verbis auxit Caſaubonus: cui curæ fuit, offundendis ſummi viri gloriæ tenebris, veritatem obruere. Demens, qui non intellexerit veritatis Euangelicæ lucem, quicquid demũ fiat hominibus, extingui nequaquam poſſe; atque in ipſis etiam *tenebris lucere*, quamuis *eam tenebræ non comprehendant*. Vt ſtultum ſit, cum ſol ipſe Chriſtus, *qui à Deo datus eſt in lucem gentium, vt ſit ſalus eius vſque ad extremum terræ*, in Eccleſia ſplendeat occulendo per fraudem lucernæ vnius lumine, velle ei diem adimere.

De lege in eos lata, qui libros fatidicos legiſſent, deque Dea Syria ſacris errata Caſauboni.

CAPVT IX.

CAſaubonus è grammatico repente Theologus, nõ magno apud Caluinianos eo quidem nomine, in pretio fortaſſe fuit; ac ne vir quidem bonus haberi ceptus, poſtquam pede in aulam illato, vetere perſona depoſita, polypum induit. Vt minimè mirum videri dicturi ſint: ſi aut mendax, & calũniator aulicꝰ, aut parũ ſolidus è coquina Britãnica Theologus prodierit. Principatum ſe illi vel eruditionis, vel Græcæ eloquentiæ detuliſſe,

in eo quidem genere nihil inuenturam, quod carpere poſſit inuidia. Ego vero qui, quod in reſpõſione etiam ad eius Epiſtolã ingenuè profeſſus ſum, nihilo plus operæ in eo literaturæ genere poſui, quam quantum vel excolendæ in præſens adoleſcentiæ, vel ornandæ in poſterũ reliquæ vitæ, ac diſciplinis grauioribus ſatis eſſet, hanc illi laudẽ, quod in alijs etiam libris foci, nõ difficile permiſiſſem: niſi comprimendus fuiſſet eorũ faſtus; qui, quod magnam in hoc eruditionis genere ſapientiã repoſitã eſſe putant, Caſaubono inſigni, vt autumant, Grãmatico ſuæ ſuperſtitionis æmulo gloriantur. Atq; in Græcis quidẽ, quãuis eum Caluiniani ſui Athenis propemodũ ipſis magis Atticum faciant, quam parũ intellexerit ſatis ni fallor declarant ea, quæ vel à nobis ſupra diſputata, vel à viro præſtantiſsimo Careophilo notata ſunt: cũ faſtidioſa hominis inſcitia ſtomachatus, elegãtiſſimo etiã iambo eũ inſectaretur: de hiſtoriæ, deque antiquitatis cognitione agendum nobis hoc loco eſt.

Exercit. I. *c.* XI. id quod Baronius nũ. XX. appar. ex Iuſtino notauerat, propoſito capitali ſupplicio interdictũ Chriſtianis Sibyllinorũ verſuũ lectione, conuellere nititur. atq; *Hac lex*, inquit, *nõ fuit Chriſtianis hominib. peculiariter poſita, neq; poſt Chriſtũ natum lata: ſed iam inde à principio ſemper obſeruata, & ab ipſo Tarquinio, qui tres libros à Sibylla emit, triſti ſupplicio ſancita M. Attilij; qui inſutus culeo in mare fuit coniectus, quod diceretur, oracula Sibyllina ſua fidei commiſſa (erat enim duumuir S. F.) Petronio Sabino deſcribenda dediſſe.* ſupra vero; *Quam potiſsimum legem*, inquit, *reſpiciat Iuſtinus, dictu difficile eſt: ſed ex hiſtoria Romana ſatis compertũ eſt, fatidicos libros oẽs, &, vt veteres appellarunt, fatales, legi promiſcue à quouis non potuiſſe: cuſtodiebantur n. à quindecemuiris S. F. neq; aperiebantur, aut nihil certe ex ijs publicum proferebatur, ſine auctoritate, & iuſſu ſenatus.* Ratione etiã probare nititur, male à Baronio Iuſtini locũ intellectũ: ſed Caſauboniana illa, hoc eſt frigida & inepta. *Sane*, inquit, *ſi proprie ad Chriſtianos illa prohibitio pertinuiſſet; non eſt exiſtimandus Iuſtinus tam malus orator futurus, vt de lectione Sibyllinorum oraculorum apud ipſum Imperatorem gloriaretur. atqui ſubijcit ille;* ἀφόβως οὐ μόνον ἐντυγχάνομεν αὐτοῖς: ἀλλὰ καὶ ὑμῖν ὡς ὁρᾶτε εἰς ἐπίσκεψιν φέρομεν.

Neq; animaduertit Caſaubonus, primum in hiſtoria peccare ſe. Nã ſacra Prophetarũ volumina, cũ Græcè reddita toto terrarũ orbe ab omnib. legerentur; nunquam lege lata ab Romanis eorũ lectione cuiquã interdictũ eſt; & erãt tamẽ fatidici. Hydaſpis libros apud Ethnicos fuiſſe fatidicos, ex hoc ipſo Iuſtini loco, atq; ex Clementis Alexand. lib. VI. ſtrom. ſatis cõſtat, cuius meminit Baronius appar. nũ. XIX. At Hydaſpẽ Rõanis legib. à vulgi cõſcientia ſemotũ fuiſſe, nũquã ante Iuſtini tẽpora auditũ eſt: nõ ergo fatidicos oẽs libros vulgo legi Rõani noluerũt. Et certe nullos ab ijs aſſeruatos, è qb. ora-

cula

cula peterent, præter Sibyllinos, dubitari non poteſt, niſi ſi quid forte ſecus ad Britannicæ coquinæ fumum Caſaubonus ſomniauit: qui fatidicos omnes libros cuſtodiri à quindecemuiris ſolitos ſcribit. Ac ne nullos alios fatidicos à veteribus appellatos, præter Sibyllinos cominiſcatur: Legat Suetoniũ ſuum, cuius ea ſunt in Auguſto cap. XXXI. *Quicquid fatidicorũ librorum Græci, Latiniq; generis, nullis, vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, ſupra duo millia contracta vndique, cremauit, ac ſolos retinuit Sibyllinos.* Quæ ſi vera ſunt, & alios agnoſcebant Romani fatidicos libros: neque alios Auguſti ætate, niſi eos proſcripſerunt, qui Græci, Latiniq; generis, incertis auctoribus ferebantur.

Porro quod ſancitam eam legem Attilij ſupplicio memorat, diceret ille quidem nonnihil, ſi is eos libros deſcripſiſſet, aut alienæ commiſſos fidei legiſſet: nunc cum perfidia in eo ab Tarquinio vindicata ſit, qui quod arcanum eſſe princeps voluiſſet, id contra, quam iuſſus eſſet, cum Petronio cõmunicaſſet; quid ad rem ſuam poteſt ex eo deriuare Caſaubonus? Certe neque Dionyſius, neque Valerius Maximus aut vllam aliã afferunt cauſam, cur Attilius eo ſupplicio ſit affectus, aut animaduerſum in Petronium meminerunt. *Tarquinius*, lib. IV. Rom. antiq. inquit Italicarn. *duumuiros è nobilium numero creauit, & duos publicos miniſtros illis addidit: illis horum librorũ cuſtodiam demandauit; quorum alterum M. Attilium, quod viſus fuiſſet non bona fide ſe gerere, & ab altero publico miniſtro parricidij accuſatus fuiſſet, in culeum inſutum in mare proiecit.* Sed hic rem Paulo ſcribit inuolutius, neque ſatis explicat, quod fuerit ea in re ſcelus Attilij; neque tamen quẽquam alium memorat, in quem animaduerſum ſit. Valerius Max. rem eam accuratius ita deſcribit lib. I. cap. XIII. vel vt eſt in alijs codicibus, XIV. *Tarquinius M. Attilium duumuirum, quod librum ciuilium ſacrorum ſecreta continentem, cuſtodiæ ſuæ commiſſum, corruptus Petronio Sabino deſcribendum dediſſet, culeo inſutum in mare abijci iuſſit.* Nihil igitur non modo lege, ſed ne facto quidem Tarquinij in eos conſtitutum, qui Sibyllinos libros legerent, haberentur: ac ſi rem reſecamus ad viuum ne in eos quidem, qui legendos alteri oſtendiſſent. Sed in eos tantum, qui cum cuſtodiendos accepiſſent à principe, deſcribendos eos alteri tradidiſſent. Quanquam Tarquinij quidem factum legem in ea ciuitate ſancire non potuit; quæ eius odio non modo poteſtatem, nomenq; regium; ſed totam adeo gentem Tarquiniam, atque ipſum liberatorem ſuum Colatinum exegerit.

Iam vero ad exuſtum ciuili bello capitolium, cum Sibyllini etiam ij libri conflagrarunt, quos Tarquinius à Sibylla coemerat, nullo iure apud Romanos cautum eſſe ne quis eos libros priuatim haberet ſatis ex eo videtur colligi, quod lib. illo. IV. ſcribit Dionyſius. *Incenſo templo ſiue per inſi-*

dias

dias aliquorum, vt nonnulli exiſtimant; ſiue caſu fortuito eos quoque (libros) *cum reliquis donarijs igne ſuccenſos eſſe. Oracula vero,* inquit, *quæ nunc exſtant, è varijs locis ſunt cõportata, alia ex Italicis vrbibus; alia ex Erythris Aſiaticis, ex ſenatu conſulto miſsis legatis, qui eorũ exẽplar deſcriberẽt; alia alijs ex vrbibus, et à priuatis hominibus tranſcripta.* Liberè igitur ad id tempus, & publicè in alijs regionibus vrbibuſq;, & priuatim apud nonnullos ea oracula ſeruabantur: ac ne tum quidem vel vrbibus, vel priuatis adempta ſunt, quæ exſcribenda tantum ſenatus curauit; vt quæ alijs eſſent vſui, ijs populus Romanus ne careret. Adſtipulatur Dionyſio Tacitus, cuius ea verba ſunt; v. Annal. lib *Sanxit Auguſtus, quem intra diem ad prætorem vrbanum ferrentur; neq; habere priuatim liceret. quod à maioribus quoque decretum erat, poſt exuſtum ſociali bello* (ciuili dicere noluit) *capitolium, quæſitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam, & Italicas Colonias carminibus Sibyllæ ſeu vna, ſeu plures fuêre.* Ergo ſi vera narrat Cornelius, neque Auguſtus, neque ante eum ſenatus, ciuili bello poſt exuſtum capitolium publicè apud alias gentes haberi Sibyllæ carmina vetuerunt. Ac ne priuatim quidẽ, niſi in vrbe, atq; ijs in locis, quæ vrbani prætoris iuriſdictione continebantur. Cui enim perſuaſurus eſt Caſaubonus, iuſſos, qui Syriam, atq; extremas Hiſpanias incolebant, libros intra certũ diem ad prætorem vrbanum Romam deferre? quem neq; tanto locorum interuallo adire poſſent, neque vero cum eo commune quicquam haberent. Cur non prouinciali potius magiſtratui rem eam demandaſſet Auguſtus? qui & iure ſuo in contumaces animaduertere, & præſens inquirere in eos poſſet. Quid vero fuiſſet cauſæ cur legem eam ab ſociali bello repeteret Tacitus, ſi iam inde ab Tarquinio in Romanorum diſciplina viguiſſet? Aut cùm Tarquinio rege, nulli reperirẽtur in vrbe, præter eos, quos is emerat, Sibyllini libri; quid neceſſe fuit lege cauere, ne quis priuatim eos apud ſe haberet, quos, niſi ab duumuiris vulgarentur, nemo, vel ſi maximè vellet, poſſet habere, cum ſatis eſſet ab ijs diuulgandis duumuiros ſupplicio deterrere?

Cæterum qua pœna propoſita aut poſt exuſtum capitolium à ſenatu, aut ab Auguſto deinde cautum ſit, ne quis eos libros apud ſe priuatim haberet; neque ex Suetonio, neq; è Tacito quicquam conſtat. Legem autem de qua Iuſtinus eo loco diſputat, non eandem eſſe, illud argumento eſt, quod, cùm ab Auguſto fatidici tantum Græci & Latini generis libri, Suetonio teſte, proſcripti ſint; ea lege, quam commemorat Iuſtinus Hydaſpis etiã, ac Prophetarum volumina improbabantur; *mortis ſupplicium* inquit Iuſtinus, *aduerſus librorum Hydaſpis, & Sibyllæ aut Prophetarum lectores conſtitutum eſt*: id quod Baronium impulit, vt legem eam in Chriſtianos nominatim latam exiſtimaret. Nam Iudæos quidẽ nunquã à ſacrorũ voluminũ lectione Ro-

Digitized by Google

manis conſtitutionibus deterritos accepimus. Quod autem pro ijsdē Prophetarum, ac Sibyllinos libros accipi à Iuſtino, ſignificat Caſaubonus; digna eo capite reſponſio eſt, cùm is aperte diſtinguat *Sibyllæ* libros, *à Prophetarum, & Hydaſpis* voluminibus.

Porro cum ratiocinatur legē eā ad Chriſtianos propriè pertinere nō potuiſſe: *Quod Iuſtinus tam malus orator futurus non fuerit, vt de lectione Sibyllinorum oraculorum apud ipſum Imperatorem gloriaretur, cum de vaticinijs diſputaret*; vaticinari Cauſaubonus, ac furere voluit. Quid enim plus periculi ea gloriatio habuiſſet, ſi id nominatim in Chriſtianos Cæſarum conſtitutionibus eſſet cautum; quam ſi conſtitutum eſſet, ne cui mortalium id liceret? mortis certè periculum vtrobique par: neque minus apud Imperatorem odioſa Chriſtianorū cauſā reddebatur, ſi vni ipſi ex omnibus mortalibus legem in vniuerſum latam contemnerent; quam ſi, contempto mortis metu, ea lege teneri ſe non exiſtimarent, quam in odium religionis latam non dubitarent. Iam vero metuendum erit ne qui malum oratorem Iuſtinū dixit, quod de lectione Sibyllinorū oraculorum apud Imperatorē gloriaretur, qua interdictū Chriſtianis nominatim nō ignoraret; is bardū eū ac ſtolidū faciat, qui ſuſcepto Chriſtianę religionis patrocinio, in ea cauſa eſſe ſe liberè ꝓfiteretur, quā tot Imperatorū legib. iam pridē damnatā, ac popularib. etiā odijs orco deuotā conſtaret. Sed neq; in Iuſtino quicquā eſt, quod merito reprehendi poſsit, & Caſaubonus non malus modo rhetor, ſed peſsimus etiam dialecticus, qui ita ratiocinatur.

Contēptim etiā Baroniū exagitat exercit. XIV. *c.* IX. quod an. Chriſti XXXII nū. IV. de ijs Domini verbis; diſputans; *Cū oratis, nolite multum loqui* Mat. VI. 7. *dixerit exiſtimare ſe Dominū alludere voluiſſe ad eā, quæ in Syria erat, idololatriā. Cū videlicet*, inquit, *Deam Syriā circūferentes, quaſi diuino quodam perciti ſpiritu eſſent, fanaticè multa iactabāt: cuius ritus meminit Apuleius*. Cumq; negaſſet pri' intellexiſſe Baroniū morē illū, de quo loquitur: *quid eſt*, inquit, *fanaticè multa iactare? quis vnquā ſic loquutus eſt? Sacerdotes matris Deū, quæ & Dea Syria dicebatur, in ducenda pompa, & obeundis religionis ſuæ ritibus, ſoliti comā iactare, neſcio quæ inania interim fuditantes; obſeruabamus olim ad Lampridij Heliogabalū Græcos ſcriptores in huius ritus mentione σείειν τὴν κόμην ἄνετον dicere, quod Varro, Vlpianus I.C. Lampridius, Iſidorus, alij Latini ſemper dicūt iactare comā inter fanaticos. Apuleius plurib. expreſsit hoc modo; Deniq; capite demiſſo, ceruices lubricis intorquētes motibus, crinesq; pendulos rotantes in circulū. Lucianus in Aſino dixit; τὴν κεφαλὴν κάτωθεν ἐκ τοῦ αὐχένος ἑλίσσειν. Baronius qui nō intelligebat tot verborū circuitu hoc tantū ſignificari, quod alij ſcriptores dicunt, iactare caput, vel comā; pro eo dixit, iactare multa. putauit. n. iactare hic ſignificare πολυλογεῖν ac proinde hunc ritū ad multiloquium pertinere. qui error vix ferendus ſit in aliquo tyrone literas Latinas mediocriter callente*.

Id

Id ego inſcitiæ ne?an nequitiæ miſeri hominis tribuã,non facile ſtatuo. Cur enim ea Apuleij verba omiſit?ad quæ dubitare nõ poterat,quin reſpexiſſet Baronius; *Ab ingreſſu primo,ſtatim abſonis vlulatibus conſtrepentes, fanaticè prouolant.* Nam de illa quidẽ ceruicis iactatione,quam tam multis verbis, tamq; diſertè exprimit Apuleius,vt qui Latina modo verba intelligat,ne ſi velit quidẽ,poſſit non intelligere quorſũ ſpectent:ꝙ ad rẽ præſentem nõ faceret,Baronius nihil ſcripſit.De clamorib.illis inſanis, quibus delectari Deã Syriã exiſtimabãt,quod vetuſtiſsimus is eſſet in Syria ethnicorũ mos, atq; ad battologiã pertinerent,agere hoc loco voluit. Neq; vero nouũ,aut inſolens eſt in Latinitate,vt iactandi verbũ ad voces,rumoresq; referatur. *Iactantur*,inquit Cicero,*voces,quæ peruenerunt ad aures meas.* Atq; alijs locis; *Iactare terrorẽ, Iactare minas.* Mirum vt ſit,veniſſe in mentẽ Caſaubono reprehendere Baroniũ,quod dixit;fanatice multa iactare.Dicam vero etiam, ſcribat præclarus hic cenſor Latinitatis Liuio,cuius ea ſunt lib. xxxviii. *Matri magnæ à Peſsinunte occurrere cũ inſignibus ſuis,vaticinantes fanatico carmine.* Quod ſi geſtandis Eleuſinijs occupatus,aut Apuleium minus intelligere potuit,aut Latinitatis ſcriptores conſulere. At conſuluiſſet in eum locũ Apuleij Beroaldũ grammaticũ haud paulo meliorem ſe,qui ita ſcribit;*Fanaticè,furenter,& inſane. Fanatici autẽ furentes dicuntur,& proprie illi ſunt,qui circa fana,h.e.templa bacchãtur,& caput iactantes,per furorẽ vaticinantur,pro vt docet Vlpianus ad edilitiũ edictũ:qui apud Iulianũ quæri ſcribit ſi ſeruus inter fanaticos nõ ſemper caput iactaret.& aliqua profatus eſſet;nihilominus ſanũ videri; & ſi quis permanet in eo vitio,vt circa fana bacchari ſoleat,& demẽs reſponſa det,& ſi per luxuriã factũ eſt,redhiberi tamen non poſſe.* Ex quib. Vlpiani verbis vides in fanaticis vtrumq; reperiri;& iactationẽ ceruicis;& id, de quo loquitur Baronius,multiloquiũ,ac vaticinationẽ inſanam:quæ omnia vir doctiſsimus duob.verbis ſatis complexũ ſe credidit,cũ dixit; *Deæ Syriæ ſacerdotes fanatice multa iactaſſe.* Id quod Lucianus in ijs quæ ſcribit de Dea Syria poſt expreſſum reliquũ ſacrorũ eorũ ritũ,dixit; ἀίδειν ἔνθεα ϗ ἱερὰ ἄσματα. Cæterũ morem illũ inſanæ vociferationis,ſaltuſq;, ac vulnerũ ſibi in ſacrificijs infligẽdorũ,quẽ in ſacris Deę Syrię retentũ deinde cõſtat,iam inde ab antiquiſſimis temporib.apud Ethnicos in Syria viguiſſe,ex lib.3.Reg.c. 18. ſatis apertè videtur colligi. Certe morẽ eũ referunt,quæ de Prophetis Baal Deũ ſuũ inuocantibus eo loco ſcriptura cõmemorat in celeberrima illa cũ Elia Propheta Domini ſpõſione.Cum.n.ii *de mane vſq; ad meridiẽ Baal inuocaſſent, tranſilientes altare,quod fecerant,* feſtiua irriſione ſubiecit Elias *Clamarẽt voce maiore.Deũ enim eſſe, & forſitan loqui,aut in diuerſorio eſſe,aut in itinere,aut certe dormire,vt excitaretur.Clamabãt ergo voce magna,* inquit ſcriptura. *& incidebant ſe iuxta ritum ſuũ cultris,& Lanceolis,donec perfunderentur ſanguine.*

Digitized by Google

De Herodis diebus apud Perſium; deque Herodum hiſtoria errata Caſauboni.

Capvt X.

IAm illud planè ridiculum quod exerc. xv. cap. 1 quod caput verſibus omnino vndecim comprehenditur, ſibi ipſe non conſtat, atque vt Baronio incommodet Perſij locum interpretanti, non ea modo refellit, quæ in Perſium ipſe ſcripſerat; ſed odio veritatis amens, aliud pollicetur in Epigraphe, aliud præſtat. Scripſit Baronius anno Chriſti xxxii. num. xi. verſus eos Perſij: At cum

Herodis venêre dies, vnctaque feneſtra,
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuêre lucernæ,
Portantes violas.

de Herodis Agrippæ vltimi Iudæorum Regis natali intelligendos eſſe, *quo tempore*, inquit, *Perſius claruit*. Hic e.n. vero Caſaubonus, iniuriam ſibi fieri interpretatus, ſi quiſquã alius Perſij interpretationẽ vlla ex parte attingeret, in Baroniũ inſurgit: atq; hãc inſcriptionẽ exercitationis xv. c. 1. facit; *Perſij locus de Herodianis minus recte acceptus à Baronio*. Vbi autem apud Baroniũ ad Herodianorum ritus ea Perſij verba vlla ratione relata ſunt? qui hæc ad natalem Agrippæ refert? Audi vero cætera. *Herodianos*, inquit, *coluiſſe Herodem magnum & viuum, & mortuum, ad prolegomena oſtendimus. nunc propterea repetimus, quia Baronius male capit locum Perſij, quem profert. putat reſpexiſſe Poetam ad Herodem Agrippæ vltimi Iudæorum Regis*. Hic ego nõ dubito, quin quãquam in erratis nulla ſit loci huius mentio; tamen ita legendum ſit; *Ad natalem Agrippa vltimi Iudæorum Regis* alioqui. n. neq; ſenſus, neq; ipſa verborũ ſtructura conſtat. Cur autẽ Baroniũ ſic interpretantẽ reprehẽdat, ita ſubijcit; *Atqui, ſi ad Herodianorũ ſolemnia debet referri locus Satyrici; certum eſt nõ poſſe de alio Herode verba eius accipi, quam de magno*. Ita plane. Nã Herodiani quidem non alium, quam Herodẽ magnũ venerabãtur. Sed quid tandẽ ex eo, ſumme dialectice, colligis? *Perperam igitur*, inquit, *Baronius: vetus autem Perſij ſcholiaſtes rectè*. Qui tandem iſtuc? Quicquamne aut Baronius ſcripſit, quo ad Herodianorum ſacra verſus eos pertinere ſignificaret? aut ſcholiaſtes attulit, quo probaret? Scholiaſtæ quidem verba, quæ ſubijcit Caſaubonus affirmationem eius rei cõtinent: probationẽ, cur ita Satyricus intelligi debeat, nullã continent. *Herodes*, inquit, *apud Iudæos regnauit tempore Auguſti in partibus Syriæ. Herodiani ergo diem natalem Herodis obſeruabant, vt etiam Sabbata, quo die lucernas accenſas, & violis coronatas in feneſtris ponunt*. Pro ſua igitur ſapientia ita ratiocinatur Caluinianorum eruditiſsimus, ac ſi quis diceret; *ſi Caſaubonus quadrupes eſt; bruta animans eſt. bruta igitur animans eſt*.

Digitized by Google

eſt Caſaubonus. Oſtendendum enim ei fuit aut ratione aliqua, aut ipſius aſſenſione Baronij verſus eos ad Herodianorum ſolemnia reſpicere. At Baronius quidem anno Chriſti 32. num. 11. quem locum Exerc. 15. cap. 1. deſignat Caſaubonus, hæc tantum ſcribit; *De feſto die natali Herodis regis à Iudæis Romæ ſolemniter celebrari ſolito, putamus Perſium eſſe locutum, cùm ait;*

At cum
Herodis venêre dies, vnctaq; feneſtra,
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuêre lucernæ,
Portantes violas.

non tamen de Herodis regis, de quo eſt ſermo [Antipa Tetrarcha Galilææ, à quo beatus Ioannes capite plexus eſt] *natali die hæc ſunt intelligenda; ſed potius Herodis Agrippæ vltimi Iudæorum regis, quo tempore Perſius claruit, natus, vt ait Euſebius in Chronico, anno 21. Tiberij; mortuus verò 9. anno Neronis.* Quibus in verbis nullum ne veſtigium quidem Herodianorum exſtat. Non igitur perperam Baronius, qui ad Agrippam hæc eo argumento retulit, quòd is per id tempus rerum Iudaicarum potiretur: ſed perperam Caſaubonus, qui, quod nunquam in mentem viro doctiſsimo venit, id ei per calumniam appinxit, vt qui in Baronij ipſius ſcriptis non potuit, in calumnia quidem certè ſua reprehenſioni locum inueniret. In commentarijs quidem ſuis in Perſium de Herodis magni natali die, deque Herodianorum ritibus ea interpretatus, cùm videret poſſe eos verſus nihilo minus aptè ad Agrippæ natalitia referri. *Si quis malit*, inquit, *ad Herodem Agrippam, qui, viuente Perſio, regnum in Iudæa obtinebat, hæc referre, & de natali illius accipere, non de primi Herodis, haud valdè contendam.* Qua igitur de cauſa eam interpretationem in Baronio reprehendit, quam ne ipſe quidem in ſuis commentarijs reijcere auſus eſt? Sed negabit ille, ni fallor, interpretationem, quam ſatis alioqui commodam eſſe videt, reprehendere ſe: rationem modò ſibi diſplicere, quæ ad eam amplectendam Baronium impulit. Nam eo etiam ipſo in Perſium loco ſubijcit *putare ſe rationem falſam eſſe, quæ viros eruditiſsimos ita ſentire coegit. Quod mihi*, inquit, *non videtur: neque Epiphanium cùm legas, ita opinor ſentias.* Verùm quinam ij ſint viri eruditiſsimi; aut quæ tandem eorum, quam minus probat, ratio, non memorat. apud Baronium quidem, de quo hæc tacito nomine ſcripta eſſe non dubito, neque hic, neque vſpiam alibi inuenire quicquam potui, quo videretur morem hunc celebrandi diei natalis Herodis, ad Herodianorum inſtituta, veluti proprium referre. Sed Baronium viuum timuit, cuius arrodit oſſa demortui.

Mallem ego innuiſſet nobis Caſaubonus quibus rationibus ſibi perſuaſerit, primum Herodianorum ſectam ad Perſij tempora durauiſſe; deinde conſuetudinem hanc lætos, & feſtos dies, coronatis lucernis per feneſtras

diſpoſitis, celebrandi, non morem gentis potius, quàm Herodianorum proprium fuiſſe;non improbabiliter diſputare viſus eſſet. Nunc cùm neutrum ne attingat quidem, qui poteſt quicquam efficere? At *probaſſe ſe ſupra dicit ad prolegomena, Herodem magnum & viuum, & mortuum cultum ab Herodianis eſſe.* Nihil ille quidem minus. Locus is eſt Exercitation.1.cap.5.vbi nihilò plus probationis affert, quàm *quòd ſodalitas*, inquit, *in eius honorem inſtituta, manſit ſatis diu poſt mortem Herodis, vt ex Euangelijs, & Perſio apparet.* Atque ex Euangelijs quidem ſatis conſtat: *Herodianos inita cum Phariſæis ſocietate, cùm Chriſtum in ſermone capere conſtituiſſent:* aliquot poſt Herodis obitum annis manſiſſe; ſed plus triginta à Chriſti Domini morte annis deinde viguiſſe, quod neceſſe eſt, ſi tempeſtate Perſij eam colendi Herodis conſuetudinem retinebant, ex Euangelijs, non niſi Caluiniana aliqua ratiocinatione, colligi poteſt. Perſij, quem citat, locus, hic ipſe eſt; quem minus rectè acceptum à Baronio calumniatur: quapropter ſi ratiocinationem eius velimus expendere, huc tãdem recidit. *Perſius verſib. ijs ad Herodianorum, Herodem magnum etiam poſt obitum colentium, inſtituta reſpexit: ergo Perſius de Herodis magni natali, atque Herodianorum inſtituto hoc loco loquitur.* Qui autem conſtat id ſibi verſibus ijs Perſium voluiſſe? Nam idipſum, ni fallor, in controuerſia eſt. Ita planè: ſed ita intelligendus eſt Perſius, quia ita intelligendus eſt. Quid tandem eſt inſanire, ac prorſus furere; ſi iſtuc eſt ratiocinari? Sed magni iſti noui Euangelij myſtę nouam etiam Dialecticam ſua ſapientia dignam excogitarunt.

Iam verò morem eum non Herodianorum fuiſſe proprium; ſed gentis totius communem: ſatis ex eo veteris Scholiaſtæ loco videtur colligi, quem Caſaubonus laudat. *Herodiani*, inquit, *diem natalem Herodis obſeruabant, vt etiam Sabbata, quo die lucernas accenſas, & violis coronatas in feneſtris ponunt.* Quibus verbis cùm natalem eius diem iam coli deſijſſe ſignificet; & retineri tamen etiam nunc à Iudæis doceat conſuetudinem diebus Sabbatis lucernas accenſas, & violis coronatas in feneſtris ponendi; illud etiam ſimul indicat, morem illum dierum feſtorum coronatis lucernis colendorum gentis totius fuiſſe communem; quem ad natalem Herodis diem, quod feſtum eum eſſe vellent, Herodiani tranſtuliſſent. Quod ſi ita eſt, non video qua ratione efficere poſsit Caſaubonus *ad Herodianorum*, vt ait, *ſolemnia referri oportere locum Satyrici*, cùm eadem ratione morem eum Agrippæ ſtudioſi ad diem eius natalem celebrandum vſurpare potuerint; quo vſurpatum eum ab Herodianis contendit. Et verò cùm Herodianorum ignobilis adeò ſecta, atque obſcura fuerit apud Iudæos, vt eam Ioſephus eius tempeſtatis ſcriptor, vel prorſus ignorauerit, vel hiſtoria ſua dignatus non ſit; quis putet tantum Herodianorum fuiſſe in vrbe numerum, vt quod illi

age-

Digitized by Google

agerent,id vulgò totius gentis inſtitutum eſſe crederetur? Nam vnam quidem aut alteram lucernam violis coronatam quis in tanta vrbe obſeruaſſet? Herodes quidem magnus Iudæorum nationi maximè inuiſus, atque infenſus fuit,vt pauciſsimos repertos eſſe neceſſe ſit, qui tanto poſt tempore memoriam eius venerarentur. Agrippæ contra, non modo viuentis atque regnantis potentia; ſed apud Principem etiam gratia, atque adminiſtrandi regni minimè odioſa ratio facere poterat, vt dies eius natalis feſtis luminibus, more gentis ab Iudæis in vrbe recoleretur; vt multò melius Perſij verſus interpretatus ſit aliud agens Baronius, quàm vetus Scholiaſtes:peſsimè.verò Caſaubonus.

Quem,cùm Iudæorum ſtudioſus adeò ſit,miror in Agrippam regem,vnum ex omni Herodum gente popularibus ſuis cariſsimum,tam iniquum fuiſſe,vt ei non honorem modo natalitiorum inuiderit; ſed Iudæorum etiam regnum abrogarit. Exercit.quidem 1. cap. 2. pag.22. Baronium,atque Euſebium reprehendit, *quod vltimum eum Iudæorum Regem appellent. quaſi*, inquit, *ille Ieroſolymorum rex fuerit; quæ mera fuit virorum eruditiſſimorum hallucinatio* Quid igitur? Regem tu eum fuiſſe negas? Minimè verò. Nam Philippi patrui, atque Lyſaniæ tetrarchijs à Caio donatum, addito etiam honore regij nominis, ac diadematis, ſatis è Ioſepho conſtat, Antiq.lib.18.cap.8. Quid igitur reprehendis? Quod Iudæorum regem appellent eum,qui nunquam in Iudæa regnauerit: *Fuerunt quidem*, inquit, *& ſenior Agrippa, & iunior Reges Iudæorum: ſed non Ieroſolymorum: neq; τῶν κυρίως λεγομένων Iudæorum.* Nam pars ea regni Iudaici,in qua vrbs Ieroſolyma ſita eſt,quęque poſt magni Herodis obitum Archelao ceſsit, eoque in exilium trans Alpes miſſo, per Procuratores Cæſarum adminiſtrata eſt; commune ſibi gentis totius vocabulum,tanquam proprium, vendicat,in qua Agrippam negat regnaſſe Caſaubonus: quippe cuius imperium Philippi, ac Lyſaniæ tetrarchijs primùm, mox etiam poſtquam is in exilium eſt eiectus Antipæ ditione finitum ſit. Huc enim ſpectare videntur ea, quæ ſubijcit; *Herodes Antipas,& Philippus,neq; Reges vnquam fuerunt,ſed ethnarchæ: id quoq; non Ieroſolymorũ,ſed adiacentium regionum:vera Iudæa,amoto Archelao,in formulam prouinciæ,ſicut dicebamus, redacta, Syriæ acceſsit: cœpitq; tunc in eam mitti, qui dicebatur Procurator Cæſaris in Iudæa,vel Procurator Iudææ.*

Sed qui hæc diſputat Ioſephum non videtur admodum accuratè legiſſe. Quanquam enim Caio rerum potiente tetrarchiarum Antipæ, Philippi,atque Lyſanię finibus regnum Agrippæ continebatur:tamen propter egregiè nauatam operam ineunti imperium Claudio,quod reliquum erat regni Iudaici ab eo accepit. *Edictum*, inquit Ioſephus libr. 19. Antiq.cap. 4. *propoſuit* [Claudius], *quo Agrippam in Regno per Caium ante conceſſo confirmabat,*

mabat, collaudans ſimul eius operam, & induſtriam; addita inſuper Iudæa, & Samaria, quod olim ad eius aui Herodis [magni] *regnum pertinuiſſent. Has igitur velut familiæ debitas reſtituit. Abilam autem, & finitimam eius regionem in Libano, quæ Lyſaniæ fuerant, adiunxit de ſuo.* Quem locum niſi dormitans legiſſet; nunquam ſcripſiſſet Caſaubonus *Agrippam ſeniorem* τῶν κυρίως λεγομένων *Iudæorum regem nunquam fuiſſe.* Qui enim ad ea, quæ aui fuerant, quòd referendæ gratiæ ſatis non eſſent, de ſuo etiam addidit finitimam Libano regionem: qui Iudæam, ac Ieroſolymam, de auita, ac familiæ debita ditione eximere potuit? Aut quæ tandem ea Iudæa eſt, quam ſimul cum Samaria, & finitimis Libano regionibus ad Agrippæ regnum adiecit Claudius? Nam cùm, teſte Ioſepho, Antiq. libr. 18. cap. 8. & 9. iam ante Philippi Lyſaniæ, atque Herodis Antipæ tetrarchias accepiſſet à Caio; quid erat è Iudæa reliquum, quod à Claudio poſſet accipere, præter eam, quæ, veluti proprio, Iudææ vocabulo cenſetur? Auguſtus certè, vt auctor eſt lib. 17. Antiq. cap. 13. Ioſephus, *dimidia parte ditionis, quæ Herodis* [Magni] *fuerat, Archelao conceſſa, alteram dimidiam partitus eſt in alios duos Herodis filios, Antipam, & Philippū* Agrippæ ſenioris patruos. Cùm ergò Caij liberalitate Philippi, atque Antipæ tetrarchias iam obtineret, ſi quod erat auiti regni reliquum, recipere debuit; id profectò pars ea fuit, de qua deturbatus fuerat Archelaus. Aut igitur neget Caſaubonus Herodem magnum in Iudæa, ac Ieroſolymis regnaſſe; aut regnum τῶν κυρίως λεγομένων Iudæorum Agrippæ ne deneget. Certè ne beatus quidem Lucas, cùm eorum capite 3. meminiſſet, qui in Iudæorum gente dominabantur, plures his regionibus commemorauit, quas in Agrippæ regno Ioſephus enumerat. *Procurante*, inquit, *Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituræa, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ tetrarcha, &c.* E quibus cùm præter Philippi, & Herodis Antipæ tetrarchias, eam etiam, quæ Lyſaniæ dicitur, aut Caij munificentia iam ante poſsideret; aut ſimul cum Iudæa, atque Samaria acceperit à Claudio (nam in ea quidem re, niſi *Abilina*, quam Euangeliſta vocat, à Lyſaniæ tetrarchia diuerſa ſit, variare Ioſephum video) quæ poteſt alia Iudæa fingi, quàm ea, quam poſt amotum Archelaum ad ea tempora, Cæſarum procuratores adminiſtrarant?

At vnus in hiſtoria Ioſephi locus hominem negotijs, præſertim aulicis, occupatum facilè fugere potuit. Non eſſet id quidem ferendum in eo, qui negligentiæ alios accuſaret, cùm de re loqueretur, quam non ſatis teneret: ſed ſit ſanè ſatis Caſaubono, ſi nihil eſt in Ioſepho præterea, quod temeritatis eum, atq; inſcitiæ arguat. Certè lib. 19. cap. 7. tertium Iudææ totius regni annum exegiſſe ab Ioſepho Agrippa dicitur: cap. 5. 6. & 7. ter minimùm ſummum Pontificatum ab alijs in alios tranſtuliſſe: cap. 5. Ieroſolymitis tributum

butum remiſiſſe,quod ſoliti erant in ſingulas domos pendere: cap.7.muros Hieroſolymæ munire cœpiſſe,ac monitus à Cæſare, ab opere necdum perfecto deſtitiſſe, quæ niſi in eum, qui cum ſummo imperio Ieroſolymis, ac Iudęæ pręeſſet,cadere profectò non poſſunt: Nam illam Simonis legisperiti,qui populum in Agrippam concitabat,hiſtoriam,quam 7. illo cap. Ioſephus ſcribit, quis, non ſurgus, planeque Caſaubonus, legat, quin animaduertat Regem eum Ieroſolymorum fuiſſe? Et hallucinati tamen ſunt viri eruditiſsimi Baronius & Euſebius,cùm vltimum Iudęorum regem Agrippam appellarunt; qui Ieroſolymorum, & πῶν κυρίως λεγομένων Iudæorum rex nunquam fuit; quia ita Grammatico neſcio cui placet ad nidorem coquinæ Britannicæ veterem hiſtoriam trutinanti.

Non vrgeo (nam per imprudētiam excidiſſe id homini video) quod Antipatri filij cædem, quem paucis antequam moreretur diebus, Herodes ſuſtulit,ante Chriſtum natum patratam ab eo velit Caſaubonus; cùm ne ipſe quidem neget biennio circiter à Chriſti Saluatoris ortu Herodem vixiſſe.

Et quando in Herodum domo,atque hiſtoria ſumus; libet à Caſaubono quærere quo tandē conſilio exercit.15.cap.111.negauerit *per plures annos bellū Herodis cum Areta Arabum Rege tractum; neq; belli eius cauſam ante 20. aut etiam 21. Tiberij Imperatoris annum contractam eſſe: quòd Philippus Herodis frater eo anno mortuus ſit, ante cuius exceſſum nulla fuerint belli eius conflandi cauſa.* Neceſſe eſt enim aut fidem Euangelijs abrogari, quod pro Geneuenſi ſua in Deum fide nō magnoperè fortaſſe abnuerit Caſaubonus; aut bellum id pluribus annis tractū fuiſſe: ac ſi de Philippi morte vera narrat Ioſep.eo etiā tunc ſuperſtite,inter Aretam,atque Herodem irarum cauſas extitiſſe. Nā Ioſephus quidem Antiq. lib. 18. cap.7. eam ſimultatum,ac belli eius cauſam affert, quod Aretæ regis Arabum filia, quæ matrimonio Herodi tetrarchæ Galilææ iūcta erat, quum comperiſſet virum ſuum de ineundis cum Herodiade Philippi fratris ſui coniuge nuptijs ea conditione tranſegiſſe, vt ſibi repudium remitteretur,ad patrem prius ipſa refugerit. *Vnde,* inquit Ioſephus, *ſimultate nata, ſecuta eſt de Gamalitici agri finibus contentio, & contractis vtrinq; copijs, bellum per legatos geſtum eſt.* Certo autem certius eſt ſanctorum Euāgeliſtarum narratione,prius Herodiadē ab Herode tetrarcha vxorē eſſę ductā,quā Ioānes Baptiſta detruderetur in carcerē: id quod anno 15.aut ſi quid indulgere Caſaubono volumus,16.imperij Tiberij Cęſaris contigiſſe extra controuerſiā eſt. Bellum autem cum Areta rege ad annū Tiberij 23.eſſe tractum, Ioſephus auctor eſt cap.illo 7.lib.18.Antiq. cùm etiam ſubijciat Vitellium cum iuſſu Tiberij in Aretæ ditionē infeſto exercitu proficiſceretur,dum Ieroſolymis Paſcha tranſigeret,acceptis de Tiberij obitu literis,omiſiſſe bellum propter delatum in alium imperium. Annis ergo non minus ſeptem bellum id tractum fuiſſe neceſſe eſt.

Digitized by Google

Iam ne illud quidem in Caſaubono ferendum *anno 21. Tiberij Vitellium eſſe miſſum in Syriam, vt Pilato procuratori Iudaæ ſuccederet*. Qui enim Pilato ſuccederet is, qui ad gerendam Syriæ præfecturam, hoc eſt ad magiſtratum tantò ampliorem, mitteretur? vt etiam Pilatum crudelitatis, ac ſæuitię delatum, redactum in ordinem Romam ad dicendam apud Tiberium cauſam proficiſci iuſſerit, Iudææ procuratione Marcello demandata. *Vitellius*, inquit Ioſephus, libr. 18. cap. 5. extremo, *Marcello amico ad procurationem Iudææ miſſo, Pilatum iuſſit Romam proficiſci reſponſurum apud Cæſarem ad obiecta per Iudæos crimina.*

Ac ne illud quidem, ſalua Euangeliorum fide, defendi poteſt, belli eius cauſam contractam eſſe poſt Philippi tetrarchæ mortem. qui enim id potuit? cum ducta ab Herode Philippi fratris vxor bellorum cauſa fuerit, quod certum eſt anno imperij Tiberij Cæſaris 16. factum eſſe: Philippus autem *fato*, vt ipſe Caſaubonus ex Ioſepho notat, *functus ſit anno eius Imperatoris minimum* 20. Quòd ſi vel colligere hæc, quo ſtupore erat animi, ex Euangeliſta non potuit, vel, vt in alijs, ita in hac quoque re habendam illi fidem non cenſuit: at Ioſephum quidem ſuum audiſſet, cuius ea ſunt capite illo 7. lib. 18. Antiq. *Herodias in contemptum patriæ legis, denuò nupſit Herodi mariti germano, eodem patre genito, ac relicto priore adhuc ſuperſtite.*

Huius eſt illud perſimile, *bellum id ante annum* Tiberij 21. *geri non potuiſſe propter Herodis profectionem Romam: vnde*, inquit, *priuſquam rediÿſſet, & controuerſia Regum in bellum apertum erupiſſet annuo minus ſpatium præterÿſſe non poteſt. Ponamus igitur anno Tiberij vigeſimoprimo exeunte, bellum iſtud eſſe geſtum, citius enim profectò non poteſt.* Cùm autem Ioſephus auctor ſit cap. illo 7. lib. 18. Antiq. Herodem cùm Romam iter faceret atque ad fratrem diuertiſſet, captum Herodiadis vxoris eius amore, cum ea pactum eſſe; *vt cùm primum ille Roma reuerteretur in patriam, mulier migraret in eius domicilium; ac poſtquam expediuit negotia, propter quæ venerat, domum reuerſum*; ac tum demum priuſquam Herodiadem duceret, ab Aretæ Regis filia deſertum eſſe. Hæc, inquam, cùm ita ſint, ſi Herodes anno Tiberij vigeſimo Romam profectus eſt; neceſſe eſt aut Herodiadem ſex minimum annis ante in Herodis thalamum conceſsiſſe; quàm quicquam ea de re cum eo paciſceretur: aut à Ioanne Baptiſta præſenſione Prophetica tanto poſt futuram Herodis intemperantiam ſeptennio circiter ante increpatam eſſe.

De con-

De conuiuij magiſtro, ac loco Eccleſiaſtici XXXII. deq́ue ineptis atque impijs Caſauboni digreſsionibus.

CAPVT XI.

A Nuptijs ad conuiuia tranſeamus, ne minus apoſtatare Caſaubonum feciſſe vinum, quàm mulieres videantur. Exercit. 13. cap. 19. in Maldonatum, quem etiam *Ieſuitarum virulentiſſimum* vocat, inuehitur, cùm *errorem ei ridiculum*, *& craſſam* obijciat *ignorantiam*, quod de primo Chriſti miraculo diſputans, cùm præcipuum architriclini munus in eo poſuiſſet, *quòd curam*, inquit, *habebat vini, partem ſuam cuique diſtribuens, & prout volebat temperans. Is menſæ non accumbebat; ſed ſtabat, & conuiuium obibat, imperans miniſtris, quæ facto opus erant, &c.* Hæc, inquam, cùm in eum locum diſputans, de architriclini munere docuiſſet, *Is eſt ille*, inquit, *de quo Eccleſiaſtici cap. 32 num. 1. 2. 3 dictum eſt; Rectorem te poſuerunt; noli extolli. Eſto in illis quaſi vnus ex illis, &c.* Quòd ſi id erat architriclini munus, vt arbitratu ſuo quid quiſque, & quantum in conuiuio biberet, ipſe ſtatueret, ac toti conuiuio moderaretur; dubitari non poteſt, quin quamuis ipſe non diſcumberet; tamen ille ipſe eſſet, quem συμποσίαρχον Græci, modiperatorē appellarunt Latini; magiſtrum appellat Cicero; bibendi arbitrum Horatius; regem alij; alij dictatorem conuiuij; quanquam ſæpè etiam numero è diſcumbentibus alicui id muneris demandabatur. Non placet ea Maldonati interpretatio Caſaubono, quòd eo Eccl. loco agi de publico magiſtratu putat, quãuis & quæ proximè præceſſerunt, & quæ conſequuntur eo loco Eccleſiaſtici præcepta ad conuiuium ſine dubitatione pertineant. Ignoſci id poteſt homini ſupra vulgi ſenſum nihil ſapienti. Vt autem eo nomine tam acerbè doctiſsimum virum exagitet; id verò ferendum non eſt. *Priuatum miniſterium*, inquit, *neſciuit diſtinguere à dignitate, & honore publico*, id quod non alia ratione probat, niſi quod auctor Eccleſiaſtici ait ἡγούμενόν σε κατέστησαν. *ducem, vel magiſtratum conſtituerunt te.* Quid verò cùm apud Plutarchum lib. 1. ſympoſ. q. 4. viderit ἄρχοντα appellatum? & ἄρχειν dici eum, quem dicebamus conuiuij magiſtrum? Aut cùm apud Latinos regem, arbitrum, dictatorem, modiperatorem vocatum inuenerit? Ad publicoſne etiam magiſtratus voces eas reuocaturus eſt?

At *craßam eius* [Maldonati] *ignorantiam*, inquit, *confutant proxima verba; μὴ ἐπαίρου, ne efferaris. noli ſuperbire: ſcilicet architriclini ea dignitas eſt, vt metuendum ſit, ne animos è miniſterio ſumat aduerſus eum, cui operam addixit ſuam.* Sit ſanè craſſa iſta Maldonati ignorantia, quam communem habeat cum doctiſsimo viro Cornelio Ianſenio, quanquam, vt egregiè notat vir eruditiſsimus Fronto Ducæus, Caluinianos ferè omnes ea interpretatio

patronos habet; ita Ioannes Druſius Hebraicarum in Friſia literarum Profeſſor, qui cum coniunctis copijs Serrarium oppugnat Ioſephus Scaliger, cuiuſque doctrinam, & eruditionem tanti facit; ita Gulielmus Stuckius Tigurinus lib. 2. cap. 8. antiquit. conuiual. ita, vt ille ſcribit, *tota colluuies Paſtorum, & Profeſſorum Geneuenſium, qui Biblia Caluiniſtarum Gallica recenſuerunt anno* CIↃ. IↃ. XXXVIII. qui locum eum ita Gallicè verterunt; *Si tu es ordonnè maiſtre du banquet, &c. ſi ordinatus es magiſter conuiuij, ne efferaris ſupra cæteros.* Sed Caſaubonus in Athenæi cœnulis occupatus, Scripturarum interpretes legere non potuit. Non veretur horũ quiſquam, ne ſuperbire non poſſit is, qui magiſter ſit conſtitutus conuiuij. Plutarch. verò etiam ea, quã ſupra citauimus lib. 1. ſympoſ. q. 4. cuius eſt inſcriptio; *Qualem oporteat eſſe magiſtrum conuiuij*, hæc in eo inter cætera requirit. *vt ne moroſus, aut aſper vino fiat. Pericles*, inquit, *quoties Prætor creatus chlamydem primùm indueret, ſecum ſolebat colloqui, tanquam ſemetipſum commonefaciens; Animaduerte, Pericles, liberis hominibus imperas; Græcis imperas; Athenienſibus imperas: Ita noſter conuiuij moderator ſecum reputabit amicis ſe præeſſe; vt neq; permittat eos turpiter agere; neq; prohibeat voluptatibus. & oportet eum cum ſerijs bibentium ſtudijs eſſe accommodatum; tum à iocis eorundem haud alienum: ſed ad vtraq; probè temperatum, ita quidam, vt inſtar probi viri, nonnihil ad auſteritatem ingenio ſit propenſiore.* Quibus verbis id explicauit Plutarchus, quod paucis dixerat Eccleſiaſticus; *Noli extolli; ſed eſto in illis, quaſi vnus ex illis.* Quin etiam requirit Plutarchus in eo, qui conuiuio moderaturus ſit, *vt ſciat, quid vnicuiq; conuiuarum vinum afferat, ſaltem vt ætatum diſcrimina in bibendo teneat; vt ludicra ea admittat, quæ cum hilaritate excipiantur; ac ſine cuiuſquam offenſione; amicitiam confirment, aut etiam concilient, non dirimant.* Ex quibus ſatis conſtat quantum iuris in conuiuijs magiſtris bibendi à veteribus concederetur; & quàm moderatè vtendum ijs poteſtate illà eſſet; ne munus ſuum cum conuiuarum offenſione obirent.

Neque verò rectè diſputat Caſaubonus *Architriclinum patriſfamilias operam addixiſſe ſuam:* Nam conuiuiorum præſides, aut conuiuis diſcumbentibus nihilo inferiores, aut etiam ſuperiores nonnunquam fuiſſe, ſatis conſtat ex cap. 1. Eſth. ver. 8. Quanquam enim *quod Rex ita conſtituiſſet* in eo epulo, quod Aſſuerus populo vniuerſo dedit, *non erat, qui nolentes cogeret ad bibendum præpoſuit tamen menſis ſingulos de principibus ſuis:* ita cùm vulgus diſcumberet, architriclini munus obibant principes. Iam quod ſubijcit non à conuiuis, ſed à ſolo patrefamilias architriclinos creari; bona eius cum venia, nõ ſatis obſeruaſſe videtur Caſaubonus; quod à Plutarcho ſcriptum eſt quæſt. illà 4. quam paulò ante citauimus. *Crato*, inquit, *affinis, & Theoſocius noſter quodam in conuiuio, cùm iam cœptum eſſet largius potari, & de-*

& deſitum, mentionem intulerunt de Magiſtro compotationum, cenſueruntque me, vt qui ſertum gererem non debere negligere conſuetudinem iam omnino exoleſcentem de eo, qui praeeſſet conuiuio: ſed eam in vſum revocare. Hæc ſententia ita placuit reliquis, vt vniuerſi cum ſtrepitu me ad id cohortarentur. Ibi ego quando, inquam, vobis ita videtur, ego me conuiuij modiperatorem conſtituo, iniungoque reliquis vt in conuiuio bibant ſuo quisque arbitratu &c. Quanquam talis etiam arbiter conuiuij, non conuiuarum ſuffragijs nonnunquam creabatur; quo ſpectat illud Horatij.

Nec regna vini ſortiere talis lib. 1. ode 4.

cui eſt illud perſimile, Ode 7. lib. II.

quem venus arbitrum
Dicet bibendi?

Non ergo, quod Caſaubonus vult, vnius patrisfamilias deſignatione magiſter conuiuij creabatur; ſed etiam ſortitione, aut conuiuarum ſuffragijs.

Sed Caſaubonus inuictum, vt ſibi videtur, argumentum è grammatica petitum opponit. *Cur igitur*, inquit, *numero multitudinis dixiſſet* κατέστησαν; *potius enim dicendum erat* κατέστης *creatus es; vel ſimile quid.* Ego vero quanquam ſatis probatum Plutarchi teſtimonio iam eſt, à conuiuis etiam moderatorem conuiuij deſignari ſolitum eſſe; tamen ſi, animi gratia, conceſſero ad ſolum patremfamilias deſignandi eius munus pertinuiſſe; nihil mihi à putida Caſauboni grammatica metuam. Nam non inſolens apud ſcriptores eſſe, vt pro verbis paſſiuæ vocis, quibus incertæ perſonæ actio ſignificatur; tertia perſona numeri multitudinis actiui verbi vſurpetur, notius eſt, quam vt probatione egeat. qualia ſunt illa Virgilij:

Iuppiter hoſpitibus nam te dare iura loquuntur.
Pro *hoſpitibus diceris iura dare.* & illud in Georgicis.
Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæſitas ad ſacra boues Iunonis.

quod idem valet; ac ſi dixiſſet Poëta; *Non alio tempore ad ſacra Iunonis boues dicuntur quæſita.* Eiuſdem characteris eſt etiam Tibullianum illud.

Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
Carmina victori concinuiſſe Ioui.

Quod perinde eſt, ac ſi diceret; *Qualis fuiſſe diceris cum victori Ioui carmina concinuiſti.* Ac ne Poëticum locutionis genus excipiat, eiuſdem notæ ſunt Ciceroniana illa. *Speluncæ, qua ferunt Ditem Patrem cum curru repente extitiſſe.* & ; *Apollinem ex hyperboreis Delphos ferunt aduenisſe.* &; *Hominem, vt ferebant, acerrimum.* Quod ſi Græca etiam deſiderat, notæ huius eſt Euripidæum illud Διὸς πεφυκὼς, ὡς λέγουσι, Τάνταλος. Nihil igitur eſt quod a-

ctiuis hiſce ſuis,ac paſsiuis verbulis cauilletur Caſaubonus. Potuit enim Eccleſiaſtici ſcriptor actiuũ verbum numeri multitudinis pro paſsiuo incertæ perſonæ ſupponere.

Vide autem quam nihil ſit in grammaticis hiſce Sophiſmatis homini inepto præſidij. Concedamus ſane,quando deſipere cum vulgo mauult, quam ſapere cum doctis,& eruditis viris, eum Eccleſiaſtici locum de publicis Magiſtratibus,honoribusque intelligi oportere; ita ne erit rationis, ac mentis expers,vt Magiſtratus eos,qui à rege,non à multitudine,demãdantur,ea Eccleſiaſtici præceptione neget comprehendi? At rex tamen vnus homo eſt,nec poteſt ad eum multitudinis numerus accommodari,niſi forte Britannicæ maieſtatis gratia,licere ſibi velit Caſaubonus ita dicere, Anglum aliquem magiſtratum alloquenti; *Magnus Britanniæ Rex rectorem te poſuerunt.* Nam quod ſubijcit verba proxime conſequentia; *Eſto in illis, quaſi vnus ex illis*; *nulla ratione poſſe Magiſtro, vt ait, pincernarum conuenire*; Maldonatum quidem nihil premit,qui architriclinum non vnum neſcio quem è famulorum numero,principem pincernarum; ſed arbitrum conuiuij,ac dictatorem eſſe putat;qui bibendi ac totius conuiuij leges ferebat, vt ex Plutarcho ſupra docuimus. Quo ſpectare etiam Tullianum illud putat Lambinus ad Horatij Odam 4.lib.1. *Iſte prætor ſeuerus ac diligens, qui P. R. legibus nunquam paruiſſet:illis diligenter legibus,quæ in poculis ponebantur, obtemperabat.* Catullus etiam; *Ingeri ſibi calices amariores* poſtulat; *Vt lex,* inquit,*poſthumiæ iubet magiſtræ.* Qui ergo leges in conuiuio dictatorio more ferre poteſt;hunc iubet Eccleſiaſtic. ita ſe gerere,vt eum,quem loco ſupra citato magiſtrum conuiuij inſtituit,gerere ſe Plutarchus iubet. Sed Caſaubonus errore hominum potius,quam re vera doctus,& eruditus,dũ nihil relinquit intactum, omnia confundit,ac miſcet.

Ex quo etiam fonte manauit id,quod in his eius ſcriptis frequentiſsimũ eſt,vt dum ſacris profana miſcet,ac ſi quid in profanis ſcriptoribus obſeruaſſe viſus eſt, *opportune,importune* lectoribus ingerit,rerum ſacrarum originem ab Ethnicis plerumque petat. Quis riſum teneat, cum exercit. xij. cap. vij. Græcorum ſcriptorum teſtimonio probare nititur locuſtas, cicadas ac neſcio quas alias id genus beſtiolas *edules olim fuiſſe.* quibus teſtimonijs cum rem confeciſſe ſibi videretur; ita locum illum clauſit; *Cum igitur ex huiuſmodi teſtimonijs ſexcentis certo conſtet ἀκρίδας, quibus prodromus Ioannes veſcebatur locuſtas fuiſſe;mirum eſt Iſidorum Peluſiotam virum doctum, & proxima Paleſtinæ loca incolentem,id negare ſuſtinuiſſe.* Ac Paulo poſt, prolatis eius verbis;*putauit*,inquit,*tam eruditus vir,rem eſſe inauditam, ac execrabilem veſci locuſtis.* nimirum Græcos ſcriptores Caſaubonus neſcio quis in coeno Lemani lacus Græcà coaxare verius,quam ſonare doctus, legere ac locuſtarum,

rum,cicadarumque in ijs eſum obſeruare potuit: vir Græcus,idemq; do-ctiſſimus, florente etiam tum Græca eloquentia natus,non potuit. vt plane inauditum illi fuerit,fuiſſe olim in Græcorum quiſquilijs qui beſtiolis illis veſcerentur. Eius quidem verba nihil eiuſmodi indicant. *Illæ acrides,* inquit,*quibus veſcebatur Ioannes,non ſunt animalia Scarabæis ſimilia, vt imperitè quidam exiſtimant. Abſit.* Quæ non inſolentiam, ſed horrorem potius, ac deteſtationem cibi,vt exiſtimabat,foedi,atque immundi ſignificant, quēadmodum etiam nunc ranas, teſtudines,cocleas noſtri homines deteſtantur.qui vſque adeo non ignorant in Italorum edulijs eas eſſe,vt eas etiam *βατραχοφάγους* vulgo per ludibrium appellent. Quod ſi vſitatiſsimus ille cibus apud Græcos,ac cæteros Ethnicos fuiſſet; tamen immundus Hebræis videri poterat;quibus Suilla caro,quibus anguillæ, ac permulta alia piſciū genera eſſent immunda; quæ cæteris gentibus etiam in delicijs ſunt. Quocirca ineptè prorſus locuſtariam illam,ac cicadarium eruditionē nobis obtrudit, *cupreſſum,quam ſimulare* nouerat loco alieno prorſus *appingens* Caſaubonus.cicadis quidem certe,*quod volucres eædem,atq; quadrupedes ſint, neque poſteriores pedes longiores habeant,quibus ſaliant,* veſci per legem Iudæis non licuit,quibus tamen Græcorum nonnullos vſos affirmat Caſaubonus. Quanto ad rem accommodatius attuliſſet verſum XXII.cap.XI. è Leuitico, vbi inter animalia,quibus veſci fas eſſet,*brucus,atracus,ophimachus, ac locuſta* numerantur,*quod animalia ſint volucria illa* quidem,*& ſuper quatuor pedes ambulantia; ſed habeant tamen longiora retro crura, per quæ ſaliant ſuper terram.* Sed in Athenæo Caſaubonus,non in ſcripturis verſatus eſt.

Illa vero minime ferenda peruerſitas, quod exercit. II. cap. XI. de ſacro Epiphaniæ die diſputans; *Appellatio,* inquit Ἐπιφανίων *è ritibus paganorum,vt alia multa, pio propoſito, fuit in Eccleſiaſticam obſeruationem deriuata.* Qui tandem iſtuc probas,Caſaubone? *Græci ſcriptores,* inquit,Ἐπιφανείαν *appellant,apparitionem numinis, quoquo tandem modo Deus aliquis ſua præſentiæ ſignum dediſſe crederetur.* Audio:nam θεὸν etiam,& ἄνθρωπον Græci ſcriptores dicunt; cum Deum,aut hominem ſignificant. vt verendum nobis magnopere ſit, ne Deum etiam & hominem è paganorum ritibus deriuatos in Eccleſiam habeamus. Inueneras nimirum apud Diodorum Siculum, Iſidem per quietem ſeſe offerre ſolitam φανερῶς ἐπιδεικνυμένην τὴν ἰδίαν ἐπιφανείαν *ſua præſentiæ manifeſta indicia demonſtrantem.* atque apud Halicarnaſæum Dionyſium eam vocem ſæpius vſurpatam: quod, vt obſeruatum à te, ſignificares, iſtas nobis de paganorum ritibus ineptias obtruſiſti, cum non ignorares vocem eam plerunque in ſacris literis vſurpatam, vt peti ab Ethnicorum ſeu libris, ſeu ritib. neceſſe non fuerit. Citat ipſe Caſaubonus è ſecūdo libro Machabeorū

verū

verſum 24.cap.3.ex Epiſt.ad Tit.cap.2.verſ.11.2.ad Timoth.cap.1.verſ.11. cap.2.ad Tit.verſ.13.2.ad Timoth. cap.6. verſ.1.2.ad Theſſal.cap.2.verſ.8. quibus locis vocabulum id vſurpatur. mirum vt ſit, cum tam frequens vocabulum illud in ſacris literis inuenerit, maluiſſe Caſaubonum vocem eam ab Ethnicorum ritibus in Eccleſiam deriuare. His addi poſſunt ea quæ è veteri Teſtamento eruditè obſeruauit Fronto Ducæus: nam præter eum, cuius paulo ante meminimus ſecundi libri Machabæorũ locum, qui Græcè conſcriptus eſt, in verſione Græca ſeptuaginta interpretum ea vox habetur lib.2.Reg.cap.7.verſ.23. Amos cap.5.v.22. Vt è riuulis Ethnicorũ eam vocem haurire Paulo Apoſtolo neceſſe non fuerit: quam poſſet è ſacris veteris Teſtamenti fontibus petere. Sed qui Chriſtum ipſum Dei ſapientiam ſapere ex Homero docuerit; quid mirum ſi Apoſtolum etiam Paulum, aut vetuſtos Prophetarum interpretes è Diodoro ac Dionyſio rerum ſacrarum vocabula petere coegerit?

Sed eſt locus ad eam rem maxime appoſitus exercit.XVI.cap.XLIV. vbi per occaſionem nominis μυστείου longiſſimam de Ethnicorum myſterijs diſputationem inſtituit, atque à pagina 544. ad 550. totus in eo eſt, vt oſtendat, non nomina modo antiquæ ſuperſtitionis; ſed ritus etiam, atque cæremonias in Eccleſia retẽtas eſſe, *quod primi Chriſtianæ religionis antiſtites, Pauli prudentiam imitati, quod ille fecit, cum apud Areopagitas diſputans, vt ex ara ignoto Deo inſcripta occaſionem ſumeret verum Deum Athenienſibus annuntiandi*; *vt pertinaci, quod ait Beda, paganiſmo ſubueniretur, cum rei in totum ſublatio potiùs irritaſſet, & verba ſacrorum illorum quamplurima in ſuos vſus tranſtulerunt, & cũ doctrinæ veræ capita aliquot ſic tractarunt; vt videantur cum Paulo dicere gentibus voluiſſe; Quæ ignorantes colitis, hæc annunciamus vobis. Id porro pro tempore vtile conſilium, num in damnum veritatis poſtea verterit, eo loco diſputare ſe velle negat; fuiſſe tamen iam inde à principio Eccleſiæ viros magnos, qui ritus paganicos in Eccleſiam inuehi quererentur, & inuectos eo ipſo nomine reſpuerent, quia apud idola celebrarentur.* Tum longiſſima digreſſione ita de veterum myſterijs, ac ſuperſtitionibus diſputat, vt quicquid ea de re vſpiam aliquando legit, id in eam diſputationem corriuet; atque, vt omittam cætera ipſum adeo Baptiſmum, Euchariſtiam, peccatorumque confeſſionem ex impijs Ethnicorum cæremonijs, myſterijsque translatam in Eccleſiã perſuadere conetur.

Vt ſumma ſæpe ingenia in occulto latent.

Proh, qualis, quantusque Theologus in Criticorum ſcrutis, atque in Athenæi coquina ſepultus tamdiu iacuit; quem niſi Britannicum aurum è latebris illis elicuiſſet in apertam lucem, hactenus ſacramentorum auctorem, ſuæ poteſtatis originem, denique ipſa ſe ignoraret Eccleſia. Chriſtum quidem iſte, quod præclare Sermondus adnotauit, *Diaboli ſimiam, & imitatorem facit.*

Digitized by Google

ſacit. Nam ne Caluiniani quidem, aut quiſquam omnino hominum hactenus negare auſus eſt, baptiſmum, & Euchariſtiam, Chriſto auctore, in Eccleſiā inuectā eſſe, vt eam ob rem Lutherus in captiuitate Babylonica duo hæc Sacramenta retinenda ſibi eſſe dixerit, qui quod videret è 20. Ioan. capite peccatorum confeſsionem apertius colligi, quam vt commodè diſsimulari poſſet; mox tertiam eam ſacramentis adnumerauit. Neq; vero Caluinus, quiq; eum poſtea ſecuti ſunt, quanquam eximere eam è Sacramētis conati ſunt, neq; vllam confeſsionis obeundę neceſsitatem fidelib. impoſitam Chriſti inſtitutione eſſe volunt; negare tamen auſi ſunt à Chriſto eam profectam eſſe. Vide Caluinum tertio inſtit. cap. 4. §. 12. & 14. Excommunicationem etiam ab Ethnicis mutuatur Caſaubonus, cuius ferendæ poteſtatem 18. Matthæi capite tributam Eccleſiæ nemo neſcit; qua deinde vsū Apoſtolum, cùm Corinthium fornicariū, atq; alios nonnullos Satanæ traderet; ac Ioannē Apoſtolum, cùm ne; *Aue; quidem hæreticis dici permitteret,* notiſsimum eſt. Reſtat igitur, vt harum cæremoniarum, & Sacramentorū auctor, ſi vera blaſphemat Caſaubonus, à diabolo deſumpta, tradiderit Eccleſiæ, vt iam beneficij loco numerare poſsit, ſi Homerum tantum magiſtrū habuiſſe dicatur. Sed communicanda ea Lutherani Euangelij inuidia cum Chriſto fuit, ne Lutherus vnus hauſiſſe à Satana diceretur, quod deinde doceret Eccleſiam. *Quod ſi non defuerunt iam inde à principio Eccleſiæ viri magni, qui ritus, vt loquitur Caſaubonus, paganicos in Eccleſiam inuectos, eo ipſo nomine reſpuerent, quia apud idola celebrarentur;* ij profectò aut reſpuerunt ſacramēta Chriſti, aut hæc ad *ritus paganicos ſpectare* non exiſtimarunt. Caſaubonus certè dum dubitat, *num in damnum id veritatis poſtea verterit, vtile illud alioqui pro tempore conſilium:* illud ſimul in controuerſiam vocat, vtiliane ſint Eccleſiæ ſacramenta Chriſti, vtilis ea poteſtas, quam in ædificationem Apoſtolis ipſe tradidit. Neq; vero illud Cauſaboniano acumine indignum eſt, quod Chriſtus tanto ante, quam apud Areopagitas Paulus concionaretur, *eius prudentiam imitatus,* ex Ethnicorum ritibus ſacramenta in Eccleſiam ita traduxit, vt ille ex ara *ignoto Deo inſcripta occaſionem deinde ſumpturus erat, verum Deum Athenienſibus annuntiandi.*

At deerant, opinor, in Veteri Teſtamento ritus, quos in eorum ſacramentorum inſtitutione, ſi quem imitari vellet, Chriſtus exprimeret. Quā multæ in veteri teſtamento præceptæ ſunt ablutiones corporum, quibus adumbraretur baptiſmus tanto ante, quam iſta idolorum ſacra ab inferis emergerent? Quid propoſitionis panes? Quid Melchiſedechi ſacrificium? Nonne typus erant ſacramenti corporis & ſanguinis Domini? Nam leproſorū ſeparatio, atq; ea poteſtas, qua vel ætate Chriſti ſynagogæ antiſtites vtebantur, vt eos, quos impios crederent, *extra ſynagogam facerent,* atq; à

populo Dei abalienarent; ita excommunicationem, vimque eius totã exprimebant, vt Dominus cùm eam inſtitueret in Eccleſia, non alijs fere verbis ſignificaret, quam vt iuberet *eos, qui non audirent Eccleſiam eſſe ſicut Ethnicos, & publicanos.* Quidni igitur potius hæc ab Hebræis hauſta deprauaſſe diabolus, & corrupiſſe dicatur, quam Chriſtus, vt inferret in Eccleſiam, à diabolo mutuatus?

Nec ignoro equidem quæ ex Ethnicorum moribus, ſine vlla ſuperſtitionis ſuſpicione, retineri poterant; ea Patres retinuiſſe. Scio nonnullos, cum Chriſtianorum dogmatum rationem redderent, conatos oſtendere, vſque adeo non abhorrere à ratione naturali, quæ dicerent, vt bonã eorum partem etiam Philoſophi viderint, atque cõfeſſi ſint. Sed aut ritus gentilium, ſacraque ſacrilega imitari eos voluiſſe, aut docuiſſe vnquã quæ Chriſtus inſtituiſſet in Eccleſia, ea imitatione impiorum ſacrorum inſtituiſſe, id vero neque vnquam vidi, nec blaſphemia carere arbitror: quippe qui Gregoriũ Nazianzenũ vetuſtiſſimũ ſanctiſſimumq; Theologum, nec doctrina cuiquã, nec eloquentia concedentem, in orat. quam inſcripſit; *In ſancta lumina*; clamantem audiam. *Ceremonias ſe omnes, & myſteria Ethnicorum meras nugas eſſe cenſere; tenebroſumque dæmonum inuentum, ac perditæ mentis figmẽtum temporis ope, ac præſidio fultum, & fabularum impoſturis obtectum.* vt eam etiam ob rem, cum de ea animorum purgatione verba feciſſet, quã Chriſtianis myſterijs conſequimur, libere negauerit; *quicquam eiuſmodi Ethnicorum ſacerdotes profiteri poſſe.* Quo loco perinde quaſi diuinaret quid ea de re diſputaturus eſſet aliquando Caſaubonus, ea fere omnia, quæ de profanis eorum myſterijs hinc inde collecta, iſte profert; ac multo etiã plura paucis recenſet, oſtenditque nihil habere, quod cum Chriſtianis myſterijs conferri poſſit: cum etiam illud ſubijciat; *His quidem figmẽtis gentiles oblectentur, ac dæmones, à quibus in hanc amentiam impelluntur.* Sed de profana hiſtoria, moribuſque in præſentia dixiſſe ſit ſatis. quam parum in ſacra, atque Eccleſiaſtica antiquitate verſatus fuerit Caſaubonus, videamus.

De Scribarum ſecta, de anno Domini acceptabili, deque vaſe vnguenti, quo vnctus eſt Dominus errata Caſauboni.

CAPVT XII.

ALtera diſputationis huius pars in ſacra hiſtoria, inſtitutiſque veteris Eccleſiæ verſabitur: in qua mirum, quam rudus, ac plane hoſpes fuerit Caſaubonus. Pauca de plurimis ſeligam, ne infinitus in extremo opere

Digitized by Google

opere ſim:& vereor tamen,ne prolixior ea diſputatio videatur.

Exercit.I. cap.IX.pag.57. acriter in Baronium inuehitur, quod *exiſtimarit*,inquit,*Scribas ſectæ Phariſæorum eſſe membrum,quo nihil abſurdius dici queat.* Probationem etiam ſubijcit,quod Scribarum antiquiſſimus ordo fuerit, cuius originem quidem ab ipſo Moyſe,qui recentiſſimum eum facerent,à Dauide repeterent.neq; Babylone eum ordinem defeciſſe, Eſdram argumento eſſe poſſe,quem ſcribam fuiſſe conſtet. Neq; vero audiendum Epiphanium,qui ſcribas eodem tempore cũ Saducæis cœpiſſe auctor ſit:*niſi*,inquit, *de genere quodam peculiari ſcribarum placeat intelligi.*

At non Baronius modo,tam ſingulari eruditione vir,ſed nemo, qui ſacras literas vel leuiter deguſtarit, ignorat fuiſſe olim in populo Dei ſcribas,qui legem interpretarentur,docerentque multitudinem. Sed eos poſtea degeneraſſe; atque, omiſſo vero ſcripturarum ſenſu, humanis neſcio quibus,ac ſuperſtitioſis traditionibus addictos,*impoſuiſſe ſuper hominũ humeros onera grauia & importabilia*, è ſacra Euangeliorum hiſtoria notiſſimũ eſt. qui eam ob rem in Phariſæorum ſecta numerantur, ac plerumque etiam in diuinis noui Teſtamenti literis cum Phariſæis coniunguntur;quod vtrique exquiſitiorem legis obſeruationem profeſſi, ſuperſtitioſa quædã ſeniorum inuenta pro diuinis inſtitutis & ſeruabant ipſi;& populo venditabant, Quam ob rem etiam *anethi, & menthæ, & cymini* decimationes illis à Domino obijciuntur: cum etiam *excolare* dicantur *culices*. Atque hanc demum ſuperſtitioſam adeo ſectam aut cum Saducæis,aut non multo poſt ortam,ſcribit Epiphanius lib.I.Hær.15. Poſt *Saducæos*,inquit,*ſcribæ fuerunt per medium temporis, aut etiam cum ipſis ætatem degerunt. qui ſanè expoſitores legis fuerunt,velut grammaticam quandam ſcientiam exponentes; reliqua quidem velut Iudæi facientes: verum ſuperfluam quandam Sophiſticam expoſitionem inducentes, non ſolum ſecundum legem viuentes; ſed etiam abundantius vrceorum demerſiones,ac purificationes ſeruantes: poculorum item, ac patinarum, & aliorum miniſterij vaſorum tanquam videlicet ad ſinceritatem,ac ſanctitatem diſpoſiti: crebro itẽ manus lauantes; crebro purificationes quaſdã per aquas, & lauacra detergentes; &c.* Quæ omnia Phariſæi amplexi, ſuperſtitioſiora etiã alia, ac peculiaria quædam placita addiderunt,vt conſtat ex Epiphan. lib. eodem hær. 16.Ergo ſuperſtioſi illi diuinæ legis interpretes commune Scribarum nomen ſibi ſingulariter vindicarunt; & quod erat doctrinæ,factum eſt per eã occaſionem ſectæ vocabulum.Ex quo etiam nodus alter ſolui poſſe videtur. Quod cum Phariſæorum originem à paucis ante Chriſtum annis repetat B. Hieronymus lib.III. in Iſaiam; Ioſephus tamen Ionata Aſſamonæo ſummo Pontifice, hoc eſt plus centũ & quadraginta ante Chriſti Saluatoris aduentum annis viguiſſe eos cum Eſſenis, ac Saducæis teſtatur.

Digitized by Google

Nam Scribarum ſecta iam inde ab Aſſamonæi Ionatæ ſæculo appellari Phariſæorum nomine potuit, quod ſingularē quandā legis obſeruationem, ac ſanctimoniam profitebātur: eoq; à cætero populo ſegregabant, ſeſeq; ſimul cum Saducæis, aut non multo poſt initiū habuit, vt notat Epiphanius. Sed aucta deinde nouis hominum inuentis, ac placitis obſeruationum, ſuperſtitione, Phariſæorum nomen ijs propriè tributum eſt, qui ſe à Scribis etiam ipſis exquiſitiore ſanctimoniæ profeſſione ſeparaſſent. vt Phariſæorū cōmune vocabulum, Scribas quoq; complectatur: quod ipſum deinde antonomaſticè ad rigidiores illos ſuperſtitionū magiſtros translatū ſit: queādmodū cōmune Lutheranorū nomē tū rigidos, tū molles Lutheranos ſignificat; & ad eos tamē magis ꝓpriè refertur, qui Lutheri diſciplinā pra fractè tuētur; ſi qui tamen hodieq; ſunt eius placitorū omniū æmuli. Quæ cū ita ſint, immerito B. Hieronymum reprehendit è Scaligero Caſaubonus, quod tertio in Iſaiā cōmentario ad Samaim, atq; Hillelem Scribarum & Phariſæorum originem referat: qui non multo ante Chriſtum natum floruerunt, cùm facile potuerint ſchiſmatis eius auctores eſſe, quo factum eſt vt Scribarum, ac Phariſæorum duæ familiæ numerarentur id certe B. Hieronymus ijs verbis videtur innuere; *Duas domus Nazarei duas familias interpretantur Samai, & Hillel, ex quibus orti ſunt Scribæ, et Phariſai.*

Exercit. XIII. cap. XXXIX. Baronium reprehendit, quod Epiphanium ſequutus, duas in partes tempus prædicationis Chriſti diuiſerit, *in tempus acceptabile, & contradictioni obnoxium.* quod neque cum eo Iſaiæ, quem Epiphanius reſpexit, loco conueniat, neq; cum hiſtoria congruat. Ac de Iſaiæ quidem loco, quod ad rem præſentem non faciat, nihil diſputo: quod ad hiſtoriam ſpectat, id nobis diſcutiendum eſt. Negat verè à Baronio ſcribi *primum annum prædicationis Chriſti caruiſſe oppoſitione; quod & ſi veritatis hoſtes, cum non ſtatim diuinarent, quo Chriſti tam tenuia principia forent tandem peruentura, remiſsius initio egerint; ipſos tamen iam inde à primo anno conſpiraſſe in vitam Chriſti, ex Marco videatur poſſe colligi; qui etiam prius quam nomina duodecim Apoſtolorum proponat, ita ſcribit, III. 6. Exeuntes autem Phariſæi ſtatim cum Herodianis conſilium inibant, quomodo eum perderent.* Quo loco primum miror hominis ſapientiam, qui cùm non ſemel ipſe monuerit, narrationis ordinem non magnopere attendi oportere in ſcripturis, quod vt ex rabino neſcio quo, didicerat, *in ijs non ſit prius, ac poſterius*: nunc ex eo effici velit eam Phariſæorum cum Herodianis conſpirationem primo prædicationis Chriſti anno contigiſſe: quod Marcus eius ante meminerit, quam recenſeret duodecim Apoſtolorū nomina. Quid autem ſi ego contra ita ratiociner? Matthæus multò ante Apoſtolorum catalogum texit, quam coniurationis eius meminerit; multo igitur ante deſignauit Apoſto-

poſtolos, eoſque ad prædicandum Euangelium miſit Dominus, quam ea de re inter ſe Phariſæi, atque Herodiani agerent. Nam caput quidem decimum à miſsis ad prædicandum Apoſtolis; atque eorum enumeratione Matthæus auſpicatur: at ſanatæ manus aridæ die Sabbathi, & conſpirationis eam ob rem initæ hiſtoriam non ante caput 12. recenſet. qui igitur probare poteſt Caſaubonus eum narrationis ordinem, quem apud Marcum reperit, cum rei geſtæ ſerie potius congruere, quàm eum, quem in narrando ſecutus eſt B. Matthæus?

Deinde ineptus more ſuo; ac ridiculus eſt, qui cùm viderit ad annum Chriſti 32. num. 5. à Baronio Apoſtolorum electionem referri, ex eo tamen quòd prius perdendi Domini conſilium veritatis hoſtes inierint, quàm deſignarentur Apoſtoli; concludi exiſtimarit conſilium id ad annum Chriſti 31. pertinere, perinde quaſi fieri non potuerit, vt anno 32. ineunte Chriſti hoſtes conſpirauerint, nec ita multò poſt Apoſtolos elegerit Dominus. Id quod exiſtimaſſe Baronium illud argumento eſt, quòd anni 32. num. 4. conſpirationem hanc Phariſæorum cùm Herodianis memorat; ac num. deinde v. creationem Apoſtolorum narrat: probandum igitur prius fuit Caſaubono, aut non eodem anno vtramque rem accidiſſe, aut anno primo prædicationis Chriſti Apoſtolos eſſe deſignatos. Quanquam ſi 31. Chriſti anno iam exeunte ea omnia geſta eſſent; nihil impedire poſſet, quo minus primus prædicationis annus exactus pacatè, atque tranquillè dici poſſet. *parum enim*, vt vel vulgari prouerbio dici ſolet, *pro nihilo apud homines habetur.*

Exercit. 14. cap. 16. Baronium, atque eadem opera Suidam, ac, ne maieſtatem Imperij vereri fortè putaretur, magnum etiam Conſtantinum, leuitatis accuſat, quod *Græculi*, vt ait, *plani fraudem non animaduerterint. Nam cum diſertè ſcribat B. Marcus vas vnguenti, quo vnctus eſt Dominus, confractum à muliere fuiſſe; ſcribit tamen ex Suida Baronius, vas illud à magno Conſtantino Imperatore Cōſtantinopoli in foro collocatum; quòd ſi obſeruaſſet Baronius, intellexiſſet*, inquit, *planos fuiſſe, atq; impoſtores, qui olim Conſtantino vas vnguentarium venditarunt, quaſi illud eſſet, è quo fuerat Chriſtus vnctus: nam præter lapidis, aut potius vitri fragmenta; nulla potuerunt eſſe antiqui alabaſtri reliquia; atqui vas integrum habet narratio, quam ex Suida refert Baronius.* Sed quæro primùm vbi legerit apud Suidam à Græco aliquo homine vas illud ad Conſtantinum eſſe delatum: tum illud etiam, quibus verbis Suidas vas illud integrum fuiſſe memoret? Potuit enim magnam aliquam vaſis eius partem eo modo vas appellare, quo hominem manibus etiam ac pedibus debilem hominem appellamus; cùm etiam vulgi conſuetudo obtinuerit, vt maior pars totius appellatione ſignificetur. At hæc ſunt verba Suidæ, ipſo etiam interprete Caſaubono; *In parte inferiore fori erat vas vnguenti, quo vnctus eſt Chriſtus.* Quod

patronos habet; ita Ioannes Druſius Hebraicarum in Friſia literarum Profeſſor, qui cum coniunctis copijs Serrarium oppugnat Ioſephus Scaliger, cuiuſque doctrinam, & eruditionem tanti facit; ita Gulielmus Stuckius Tigurinus lib. 2. cap. 8. antiquit. conuiual. ita, vt ille ſcribit, *tota colluuies Paſtorum, & Profeſſorum Geneuenſium, qui Biblia Caluiniſtarum Gallica recenſuerunt anno* CIↃ. IↃ. XXXVIII. qui locum eum ita Gallicè verterunt; *Si tu es ordonnè maiſtre du banquet, &c. ſi ordinatus es magiſter conuiuij, ne efferaris ſupra cæteros.* Sed Caſaubonus in Athenæi cœnulis occupatus, Scripturarum interpretes legere non potuit. Non veretur horũ quiſquam, ne ſuperbire non poſſit is, qui magiſter ſit conſtitutus conuiuij. Plutarch. verò etiam ea, quã ſupra citauimus lib. 1. ſympoſ. q. 4. cuius eſt inſcriptio; *Qualem oporteat eſſe magiſtrum conuiuij*; hæc in eo inter cætera requirit. *vt ne moroſus, aut aſper vino fiat. Pericles,* inquit, *quoties Prætor creatus, chlamydem primùm indueret, ſecum ſolebat colloqui, tanquam ſemetipſum commonefaciens; Animaduerte, Pericles, liberis hominibus imperas; Græcis imperas; Athienienſibus imperas: Ita noſter conuiuij moderator ſecum reputabit amicis ſe præeſſe, vt neq; permittat eos turpiter agere, neq; prohibeat voluptatibus. & oportet eum cum ſerijs bibentium ſtudijs eſſe accommodatum; tum à iocis eorundem haud alienum: ſed ad vtraq; probè temperatum, ita quidam, vt inſtar probi viri, nonnihil ad auſteritatem ingenio ſit propenſiore.* Quibus verbis id explicauit Plutarchus, quod paucis dixerat Eccleſiaſticus; *Noli extolli; ſed eſto in illis, quaſi vnus ex illis.* Quin etiam requirit Plutarchus in eo, qui conuiuio moderaturus ſit, *vt ſciat, quid vnicuiq; conuiuarum vinum afferat, ſaltem vt ætatum diſcrimina in bibendo teneat; vt ludicra ea admittat, quæ cum hilaritate excipiantur, ac ſine cuiuſquam offenſione; amicitiam confirment, aut etiam concilient, non dirimant.* Ex quibus ſatis conſtat quantum iuris in conuiuijs magiſtris bibendi à veteribus concederetur; & quàm moderatè vtendum ijs poteſtate illã eſſet; ne munus ſuum cum conuiuarum offenſione obirent.

Neque verò rectè diſputat Caſaubonus *Architriclinum patrifamilias operam addixiſſe ſuam:* Nam conuiuiorum præſides, aut conuiuis diſcumbentibus nihilo inferiores, aut etiam ſuperiores nonnunquam fuiſſe, ſatis conſtat ex cap. 1. Eſth. ver. 8. Quanquam enim *quòd Rex ita conſtituiſſet* in eo epulo, quod Aſſuerus populo vniuerſo dedit, *non erat, qui nolentes cogeret ad bibendum præpoſuit tamen menſis ſingulos de principibus ſuis:* ita cùm vulgus diſcumberet, architriclini munus obibant principes. Iam quod ſubijcit non à conuiuis, ſed à ſolo patrefamilias architriclinos creari; bona eius cum venia, nõ ſatis obſeruaſſe videtur Caſaubonus; quod à Plutarcho ſcriptum eſt quæſt. illã 4. quam paulò ante citauimus. *Crato,* inquit, *affinis, & Theoſocius noſter quodam in conuiuio, cùm iam cœptum eſſet largius potari, & de-*

& deſitum, mentionem intulerunt de Magiſtro compotationum, cenſueruntque me, vt qui ſertum gererem non debere negligere conſuetudinem iam omnino exoleſcentem de eo, qui praeeſſet conuiuio: ſed eam in vſum reuocare. Hæc ſententia ita placuit reliquis, vt vniuerſi cum ſtrepitu me ad id cohortarentur. Ibi ego quando, inquam, vobis ita videtur, ego me conuiuij modiperatorem conſtituo, iniungoque reliquis vt in conuiuio bibant ſuo quiſque arbitratu &c. Quanquam talis etiam arbiter conuiuij, non conuiuarum ſuffragijs nonnunquam creabatur; quo ſpectat illud Horatij.

Nec regna vini ſortiere talis lib. 1. ode 4.

cui eſt illud perſimile, Ode 7. lib. II.

quem venus arbitrum
Dicet bibendi?

Non ergo, quod Caſaubonus vult, vnius patrisfamilias deſignatione magiſter conuiuij creabatur; ſed etiam ſortitione, aut conuiuarum ſuffragijs.

Sed Caſaubonus inuictum, vt ſibi videtur, argumentum è grammatica petitum opponit. *Cur igitur,* inquit, *numero multitudinis dixiſſet* κατέστησαν; *potius enim dicendum erat* κατέστης *creatus es; vel ſimile quid.* Ego vero quanquam ſatis probatum Plutarchi teſtimonio iam eſt, à conuiuis etiam moderatorem conuiuij deſignari ſolitum eſſe; tamen ſi, animi gratia, conceſſero ad ſolum patremfamilias deſignandi eius munus pertinuiſſe; nihil mihi à putida Caſauboni grammatica metuam. Nam non inſolens apud ſcriptores eſſe, vt pro verbis paſſiuæ vocis, quibus incertæ perſonæ actio ſignificatur; tertia pſona numeri multitudinis actiui verbi vſurpetur, notius eſt, quam vt probatione egeat. qualia ſunt illa Virgilij

Iuppiter hoſpitibus nam te dare iura loquuntur.
Pro *hoſpitibus diceris iura dare.* & illud in Georgicis.
Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæſitas ad ſacra boues Iunonis.

quod idem valet, ac ſi dixiſſet Poeta; *Non alio tempore ad ſacra Iunonis boues dicuntur quæſita.* Eiuſdem characteris eſt etiam Tibullianum illud.

Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
Carmina victori concinuiſſe Ioui.

Quod perinde eſt, ac ſi diceret; *Qualis fuiſſe diceris cum victori Ioui carmina concinuiſti.* Ac ne Poeticum locutionis genus excipiat, eiuſdem notæ ſunt Ciceroniana illa. *Spelunca, qua ferunt Ditem Patrem cum curru repente extitiſſe.* &; *Apollinem ex hyperboreis Delphos ferunt aduenisse.* &; *Hominem, vt ferebant, acerrimum.* Quod ſi Græca etiam deſiderat, notæ huius eſt Euripidæum illud Διὸς πεφυκώς, ὡς λέγουσι, Τάνταλος. Nihil igitur eſt quod a-

Digitized by Google

ctiuis hiſce ſuis, ac paſsiuis verbulis cauilletur Caſaubonus. Potuit enim Eccleſiaſtici ſcriptor actiuū verbum numeri multitudinis pro paſsiuo incertæ perſonæ ſupponere.

Vide autem quam nihil ſit in grammaticis hiſce Sophiſmatis homini inepto præſidij. Concedamus ſane, quando deſipere cum vulgo mauult, quam ſapere cum doctis, & eruditis viris, eum Eccleſiaſtici locum de publicis Magiſtratibus, honoribusque intelligi oportere; ita ne erit rationis, ac mentis expers, vt Magiſtratus eos, qui à rege, non à multitudine, demādantur, ea Eccleſiaſtici præceptione neget comprehendi? At rex tamen vnus homo eſt, nec poteſt ad eum multitudinis numerus accommodari, niſi forte Britannicæ maieſtatis gratia, licere ſibi velit Caſaubonus ita dicere, Anglum aliquem magiſtratum alloquenti; *Magnus Britanniæ Rex rectorem te poſuerunt.* Nam quod ſubijcit verba proxime conſequentia; *Eſto in illis, quaſi vnus ex illis*; *nulla ratione poſſe Magiſtro, vt ait, pincernarum conuenire*; Maldonatum quidem nihil premit, qui architriclinum non vnum neſcio quem è famulorum numero, principem pincernarum; ſed arbitrum conuiuij, ac dictatorem eſſe putat; qui bibendi ac totius conuiuij leges ferebat, vt ex Plutarcho ſupra docuimus. Quo ſpectare etiam Tullianum illud putat Lambinus ad Horatij Odam 4. lib. 1. *Iſte prætor ſeuerus ac diligens, qui P. R. legibus nunquam paruiſſet: illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur, obtemperabat.* Catullus etiam; *Ingeri ſibi calices amariores* poſtulat; *Vt lex,* inquit, *poſthumiæ iubet magiſtræ.* Qui ergo leges in conuiuio dictatorio more ferre poteſt; hunc iubet Eccleſiaſtic. ita ſe gerere, vt eum, quem loco ſupra citato magiſtrum conuiuij inſtituit, gerere ſe Plutarchus iubet. Sed Caſaubonus errore hominum potius, quam re vera doctus, & eruditus, dū nihil relinquit intactum, omnia confundit, ac miſcet.

Ex quo etiam fonte manauit id, quod in his eius ſcriptis frequentiſsimū eſt, vt dum ſacris profana miſcet, ac ſi quid in profanis ſcriptoribus obſeruaſſe viſus eſt, *opportune, importune* lectoribus ingerit, rerum ſacrarum originem ab Ethnicis plerumque petat. Quis riſum teneat, cum exercit. xij. cap. vij. Græcorum ſcriptorum teſtimonio probare nititur locuſtas, cicadas ac neſcio quas alias id genus beſtiolas *edules olim fuiſſe.* quibus teſtimonijs cum rem confeciſſe ſibi videretur; ita locum illum clauſit; *Cum igitur ex huiuſmodi teſtimonijs ſexcentis certo conſtet ἀκρίδας, quibus prodromus Ioannes veſcebatur locuſtas fuiſſe; mirum eſt Iſidorum Peluſiotam virum doctum, & proxima Paleſtinæ loca incolentem, id negare ſuſtinuiſſe.* Ac Paulo poſt, prolatis eius verbis; *putauit,* inquit, *tam eruditus vir, rem eſſe inauditam, ac execrabilem veſci locuſtis.* nimirum Græcos ſcriptores Caſaubonus neſcio quis in coeno Lemani lacus Græcà coaxare verius, quam ſonare doctus, legere ac locuſtarum,

rum,

Digitized by Google

rum,cicadarumque in ijs eſum obſeruare potuit: vir Græcus,idemq; doctiſsimus, florente etiam tum Græca eloquentia natus,non potuit. vt plane inauditum illi fuerit,fuiſſe olim in Græcorum quiſquilijs qui beſtiolis illis veſcerentur. Eius quidem verba nihil eiuſmodi indicant. *Illa acrides,* inquit, *quibus veſcebatur Ioannes, non ſunt animalia Scarabeis ſimilia, vt imperitè quidam exiſtimant. Abſit.* Quæ non inſolentiam, ſed horrorem potius, ac deteſtationem cibi,vt exiſtimabat,foedi,atque immundi ſignificant, quēadmodum etiam nunc ranas, teſtudines,cocleas noſtri homines deteſtantur.qui vſque adeo non ignorant in Italorum edulijs eas eſſe,vt eas etiam βατραχοφάγους vulgo per ludibrium appellent. Quod ſi vſitatiſsimus ille cibus apud Græcos,ac cæteros Ethnicos fuiſſet; tamen immundus Hebræis videri poterat;quibus Suilla caro,quibus anguillæ, ac permulta alia piſciū genera eſſent immunda; quæ cæteris gentibus etiam in delicijs ſunt. Quocirca ineptè prorſus locuſtariam illam,ac cicadarium eruditionē nobis obtrudit, *cupreſſum, quam ſimulare nouerat* loco alieno prorſus *appingens* Caſaubonus. cicadis quidem certe, *quod volucres eædem, atq; quadrupedes ſint, neque poſteriores pedes longiores habeant, quibus ſaliant,* veſci per legem Iudæis non licuit,quibus tamen Græcorum nonnullos vſos affirmat Caſaubonus. Quanto ad rem accommodatius attuliſſet verſum XXII.cap.XI. è Leuitico, vbi inter animalia,quibus veſci fas eſſet, *brucus, atracus, ophimachus, ac locuſta* numerantur, *quod animalia ſint volucria illa* quidem, *& ſuper quatuor pedes ambulantia; ſed habeant tamen longiora retro crura, per quæ ſaliant ſuper terram.* Sed in Athenæo Caſaubonus,non in ſcripturis verſatus eſt.

Illa vero minime ferenda peruerſitas, quod exercit. II. cap. XI. de ſacro Epiphaniæ die diſputans; *Appellatio,* inquit Ἐπιφανίων *è ritibus paganorum, vt alia multa, pio propoſito, fuit in Eccleſiaſticam obſeruationem deriuata.* Qui tandem iſtuc probas,Caſaubone? *Græci ſcriptores,* inquit, Ἐπιφανείαν *appellant, apparitionem numinis, quoquo tandem modo Deus aliquis ſuæ præſentiæ ſignum dediſſe crederetur.* Audio:nam θεὸν etiam,& ἄνθρωπον Græci ſcriptores dicunt; cum Deum,aut hominem ſignificant. vt verendum nobis magnopere ſit, ne Deum etiam & hominem è paganorum ritibus deriuatos in Eccleſiam habeamus. Inueneras nimirum apud Diodorum Siculum, Iſidem per quietem ſeſe offerre ſolitam φανερῶς ἐπιδεικνυμένην τὴν ἰδίαν ἐπιφάνειαν *ſua præſentia manifeſta indicia demonſtrantem.* atque apud Halicarnaſæum Dionyſium eam vocem ſæpius vſurpatam: quod, vt obſeruatum à te, ſignificares, iſtas nobis de paganorum ritibus ineptias obtruſiſti, cum non ignorares vocem eam plerunque in ſacris literis vſurpatam, vt peti ab Ethnicorum ſeu libris, ſeu ritib. neceſſe non fuerit. Citat ipſe Caſaubonus è ſecūdo libro Machabeorū

verū

verſum 24. cap.3. ex Epiſt. ad Tit. cap.2. verſ. 11.2. ad Timoth. cap.1. verſ. 11. cap.2. ad Tit. verſ.13.2. ad Timoth. cap.6. verſ.1.2. ad Theſſal. cap.2. verſ.8. quibus locis vocabulum id vſurpatur. mirum vt ſit, cum tam frequens vocabulum illud in ſacris literis inuenerit, maluiſſe Caſaubonum vocem eam ab Ethnicorum ritibus in Eccleſiam deriuare. His addi poſſunt ea quæ è veteri Teſtamento eruditè obſeruauit Fronto Ducæus: nam præter eum, cuius paulo ante meminimus ſecundi libri Machabæorū locum, qui Græcè conſcriptus eſt, in verſione Græca ſeptuaginta interpretum ea vox habetur lib.2. Reg. cap.7. verſ. 23. Amos cap.5. v.22. Vt è riuulis Ethnicorū eam vocem haurire Paulo Apoſtolo neceſſe non fuerit: quam poſſet è ſacris veteris Teſtamenti fontibus petere. Sed qui Chriſtum ipſum Dei ſapientiam ſapere ex Homero docuerit; quid mirum ſi Apoſtolum etiam Paulum, aut vetuſtos Prophetarum interpretes è Diodoro ac Dionyſio rerum ſacrarum vocabula petere coegerit?

Sed eſt locus ad eam rem maxime appoſitus exercit. XVI. cap. XLIV. vbi per occaſionem nominis μυςηρίκ longiſſimam de Ethnicorum myſterijs diſputationem inſtituit, atque à pagina 544. ad 550. totus in eo eſt, vt oſtendat, non nomina modo antiquæ ſuperſtitionis; ſed ritus etiam, atque cæremonias in Eccleſia retētas eſſe, *quod primi Chriſtianæ religionis antiſtites, Pauli prudentiam imitati, quod ille fecit, cum apud Areopagitas diſputans, vt ex ara ignoto Deo inſcripta occaſionem ſumeret verum Deum Athenienſibus annuntiandi; vt pertinaci, quod ait Beda, paganiſmo ſubueniretur, cum rei in totum ſublatio potius irritaſſet, & verba ſacrorum illorum quam plurima in ſuos vſus tranſtulerunt, & cū doctrina vera capita aliquot ſic tractarunt; vt videantur cum Paulo dicere gentibus voluiſſe; Quæ ignorantes colitis, hæc annunciamus vobis. Id porro pro tempore vtile conſilium, num in damnum veritatis poſtea verterit, eo loco diſputare ſe velle negat; fuiſſe tamen iam inde à principio Eccleſiæ viros magnos, qui ritus paganicos in Eccleſiam inuehi quererentur, & inuectos eo ipſo nomine reſpuerent, quia apud idola celebrarentur.* Tum longiſsima digreſsione ita de veterum myſterijs, ac ſuperſtitionibus diſputat, vt quicquid ea de re vſpiam aliquando legit, id in eam diſputationem corriuet; atque, vt omittam cætera ipſum adeo Baptiſmum, Euchariſtiam, peccatorumque confeſsionem ex impijs Ethnicorum cæremonijs, myſterijsque tranſlatam in Eccleſiā perſuadere conetur.

Vt ſumma ſæpe ingenia in occulto latent.

Proh, qualis, quantusque Theologus in Criticorum ſcrutis, atque in Athenæi coquina ſepultus tamdiu iacuit; quem niſi Britannicum aurum è latebris illis elicuiſſet in apertam lucem, hactenus ſacramentorum auctorem, ſuæ poteſtatis originem, denique ipſa ſe ignoraret Eccleſia. Chriſtum quidem iſte, quod præclare Sermondus adnotauit, *Diaboli ſimiam, & imitatorem facit.*

Digitized by Google

facit. Nam ne Caluiniani quidem, aut quiſquam omnino hominum hactenus negare auſus eſt, baptiſmum, & Euchariſtiam, Chriſto auctore, in Eccleſiā inuectā eſſe, vt eam ob rem Lutherus in captiuitate Babylonica duo hæc Sacramenta retinenda ſibi eſſe dixerit, qui quod videret è 20. Ioan. capite peccatorum confeſsionem apertius colligi, quam vt commodè diſsimulari poſſet; mox tertiam eam ſacramentis adnumerauit. Neq; vero Caluinus, quiq; eum poſtea ſecuti ſunt, quanquam eximere eam è Sacramētis conati ſunt, neq; vllam confeſsionis obeundę neceſsitatem fidelib. impoſitam Chriſti inſtitutione eſſe volunt; negare tamen auſi ſunt à Chriſto eam profectam eſſe. Vide Caluinum tertio inſtit. cap. 4. §. 12. & 14. Excommunicationem etiam ab Ethnicis mutuatur Caſaubonus, cuius ferendæ poteſtatem 18. Matthæi capite tributam Eccleſiæ nemo neſcit; qua deinde vsū Apoſtolum, cùm Corinthium fornicariū, atq; alios nonnullos Satanæ traderet; ac Ioannē Apoſtolum, cùm ne *Aue; quidem hæreticis dici permitteret*, notiſsimum eſt. Reſtat igitur, vt harum cæremoniarum, & Sacramentorū auctor, ſi vera blaſphemat Caſaubonus, à diabolo deſumpta, tradiderit Eccleſiæ, vt iam beneficij loco numerare poſsit, ſi Homerum tantum magiſtrū habuiſſe dicatur. Sed communicanda ea Lutherani Euangelij inuidia cum Chriſto fuit, ne Lutherus vnus hauſiſſe à Satana diceretur, quod deinde doceret Eccleſiam. *Quod ſi non defuerunt iam inde à principio Eccleſiæ viri magni, qui ritus, vt loquitur Caſaubonus, paganicos in Eccleſiam inuectos, eo ipſo nomine reſpuerent, quia apud idola celebrarentur*; ij profectò aut reſpuerunt ſacramēta Chriſti, aut hæc ad *ritus paganicos ſpectare* non exiſtimarunt. Caſaubonus certè dum dubitat, *num in damnum id veritatis poſtea verterit, vtile illud alioqui pro tempore conſilium*: illud ſimul in controuerſiam vocat, vtiliane ſint Eccleſiæ ſacramenta Chriſti, vtilis ea poteſtas, quam in ædificationem Apoſtolis ipſe tradidit. Neq; vero illud Cauſaboniano acumine indignum eſt, quod Chriſtus tanto ante, quam apud Areopagitas Paulus concionaretur, *eius prudentiam imitatus*, ex Ethnicorum ritibus ſacramenta in Eccleſiam ita traduxit, vt ille ex ara *ignoto Deo inſcripta occaſionem deinde ſumpturus erat, verum Deum Athenienſibus annuntiandi*.

At deerant, opinor, in Veteri Teſtamento ritus, quos in eorum ſacramentorum inſtitutione, ſi quem imitari vellet, Chriſtus exprimeret. Quā multæ in veteri teſtamento præceptæ ſunt ablutiones corporum, quibus adumbraretur baptiſmus tanto ante, quam iſta idolorum ſacra ab inferis emergerent? Quid propoſitionis panes? Quid Melchiſedechi ſacrificium? Nonne typus erant ſacramenti corporis & ſanguinis Domini? Nam leproſorū ſeparatio, atq; ea poteſtas, qua vel ætate Chriſti ſynagogæ antiſtites vtebantur, vt eos, quos impios crederent, *extra ſynagogam facerent*, atq; à

 popu-

Digitized by Google

populo Dei abalienarent; ita excommunicationem, vimque eius totã exprimebant, vt Dominus cùm eam inſtitueret in Eccleſia, non alijs fere verbis ſignificaret, quam vt iuberet *eos, qui non audirent Eccleſiam, eſſe ficut Ethnicos, & publicanos.* Quidni igitur potius hæc ab Hebræis hauſta deprauaſſe diabolus, & corrupiſſe dicatur, quam Chriſtus, vt inferret in Eccleſiam, à diabolo mutuatus?

Nec ignoro equidem quæ ex Ethnicorum moribus, ſine vlla ſuperſtitionis ſuſpicione, retineri poterant; ea Patres retinuiſſe. Scio nonnullos, cum Chriſtianorum dogmatum rationem redderent, conatos oſtendere, vſque adeo non abhorrere à ratione naturali, quæ dicerent, vt bonã eorum partem etiam Philoſophi viderint, atque cõfeſſi ſint. Sed aut ritus gentilium, ſacraque ſacrilega imitari eos voluiſſe, aut docuiſſe vnquã quæ Chriſtus inſtituiſſet in Eccleſia, ea imitatione impiorum ſacrorum inſtituiſſe, id vero neque vnquam vidi, nec blaſphemia carere arbitror: quippe qui Gregoriũ Nazianzenũ vetuſtiſſimũ ſanctiſſimumq; Theologum, nec doctrina cuiquã, nec eloquentia concedentem, in orat. quam inſcripſit; *In ſancta lumina*; clamantem audiam. *Cæremonias ſe omnes, & myſteria Ethnicorum meras nugas eſſe cenſere; tenebroſumque dæmonum inuentum, ac perditæ mentis figmẽtum temporis ope, ac præſidio fultum, & fabularum impoſturis obtectum.* vt eam etiam ob rem, cum de ea animorum purgatione verba feciſſet, quã Chriſtianis myſterijs conſequimur, libere negauerit; *quicquam eiuſmodi Ethnicorum ſacerdotes profiteri poſſe.* Quo loco perinde quaſi diuinaret quid ea de re diſputaturus eſſet aliquando Caſaubonus, ea fere omnia, quæ de profanis eorum myſterijs hinc inde collecta, iſte profert, ac multo etiã plura paucis recenſet, oſtenditque nihil habere, quod cum Chriſtianis myſterijs conferri poſſit: cum etiam illud ſubijciat; *His quidem figmẽtis gentiles oblectentur, ac dæmones, à quibus in hanc amentiam impelluntur.* Sed de profana hiſtoria, moribuſque in præſentia dixiſſe ſit ſatis. quam parum in ſacra, atque Eccleſiaſtica antiquitate verſatus fuerit Caſaubonus, videamus.

De Scribarum ſecta, de anno Domini acceptabili, deque vaſe vnguenti, quo vnctus eſt Dominus errata Caſauboni.

CAPVT XII.

ALtera diſputationis huius pars in ſacra hiſtoria, inſtitutiſque veteris Eccleſiæ verſabitur: in qua mirum, quam rudus, ac plane hoſpes fuerit Caſaubonus. Pauca de plurimis ſeligam, ne infinitus in extremo opere

opere ſim:& vereor tamen,ne prolixior ea diſputatio videatur.

Exercit.1. cap.IX.pag.57. acriter in Baronium inuehitur, quod *exiſtimarit*,inquit,*Scribas ſectæ Phariſæorum eſſe membrum,quo nihil abſurdius dici queat.* Probationem etiam ſubijcit,quod Scribarum antiquiſſimus ordo fuerit, cuius originem quidem ab ipſo Moyſe,qui recentiſſimum eum facerent,à Dauide repeterent.neq; Babylone eum ordinem defeciſſe, Eſdram argumento eſſe poſſe,quem ſcribam fuiſſe conſtet. Neq; vero audiendum Epiphanium,qui ſcribas eodem tempore cũ Saducæis cæpiſſe auctor ſit:*niſi*,inquit, *de genere quodam peculiari ſcribarum placeat intelligi.*

At non Baronius modo,tam ſingulari eruditione vir,ſed nemo, qui ſacras literas vel leuiter deguſtarit, ignorat fuiſſe olim in populo Dei ſcribas,qui legem interpretarentur,docerentque multitudinem. Sed eos poſtea degeneraſſe; atque, omiſſo vero ſcripturarum ſenſu, humanis neſcio quibus,ac ſuperſtitioſis traditionibus addictos,*impoſuiſſe ſuper hominũ humeros onera grauia & importabilia*, è ſacra Euangeliorum hiſtoria notiſſimũ eſt. qui eam ob rem in Phariſæorum ſecta numerantur, ac plerumque etiam in diuinis noui Teſtamenti literis cum Phariſæis coniunguntur;quod vtrique exquiſitiorem legis obſeruationem profeſſi, ſuperſtitioſa quædã ſeniorum inuenta pro diuinis inſtitutis & ſeruabant ipſi;& populo venditabant, Quam ob rem etiam *anethi, & menthæ, & cymini* decimationes illis à Domino obijciuntur: cum etiam *excolare* dicantur *culices*. Atque hanc demum ſuperſtitioſam adeo ſectam aut cum Saducæis,aut non multo poſt ortam,ſcribit Epiphanius lib.1.Hær.15. Poſt *Saducæos*,inquit,*ſcribæ fuerunt per medium temporis, aut etiam cum ipſis ætatem degerunt. qui ſanè expoſitores legis fuerunt,velut grammaticam quandam ſcientiam exponentes ; reliqua quidem velut Iudæi facientes: verum ſuperfluam quandam Sophiſticam expoſitionem inducentes, non ſolum ſecundum legem viuentes; ſed etiam abundantius vrceorum demerſiones,ac purificationes ſeruantes: poculorum item,ac patinarum ; & aliorum miniſterij vaſorum tanquam videlicet ad ſinceritatem,ac ſanctitatem diſpoſiti: crebro itẽ manus lauantes; crebro purificationes quaſdã per aquas, & lauacra detergentes; &c.* Quæ omnia Phariſæi amplexi, ſuperſtitioſiora etiã alia, ac peculiaria quædam placita addiderunt,vt conſtat ex Epiphan. lib. eodem hær. 16.Ergo ſuperſtioſi illi diuinæ legis interpretes commune Scribarum nomen ſibi ſingulariter vindicarunt; & quod erat doctrinæ,factum eſt per eã occaſionem ſectæ vocabulum.Ex quo etiam nodus alter ſolui poſſe videtur. Quod cum Phariſæorum originem à paucis ante Chriſtum annis repetat B. Hieronymus lib.III. in Iſaiam ; Ioſephus tamen Ionata Aſſamonæo ſummo Pontifice, hoc eſt plus centũ & quadraginta ante Chriſti Saluatoris aduentum annis viguiſſe eos cum Eſſenis, ac Saducæis teſtatur.

poſtolos, eoſque ad prædicandum Euangelium miſit Dominus, quam ea de re inter ſe Phariſæi, atque Herodiani agerent. Nam caput quidem decimum à miſsis ad prædicandum Apoſtolis; atque eorum enumeratione Matthæus auſpicatur: at ſanatæ manus aridæ die Sabbathi, & conſpirationis eam ob rem initæ hiſtoriam non ante caput 12. recenſet. qui igitur probare poteſt Caſaubonus eum narrationis ordinem, quem apud Marcum reperit, cum rei geſtæ ſerie potius congruere, quàm eum, quem in narrando ſecutus eſt B. Matthæus?

Deinde ineptus more ſuo; ac ridiculus eſt, qui cùm viderit ad annum Chriſti 32. num. 5. à Baronio Apoſtolorum electionem referri, ex eo tamen quòd prius perdendi Domini conſilium veritatis hoſtes inierint, quàm deſignarentur Apoſtoli; concludi exiſtimarit conſilium id ad annum Chriſti 31. pertinere, perinde quaſi fieri non potuerit, vt anno 32. ineunte Chriſti hoſtes conſpirauerint, nec ita multò poſt Apoſtolos elegerit Dominus. Id quod exiſtimaſſe Baronium illud argumento eſt, quòd anni 32. num. 4. conſpirationem hanc Phariſæorum cum Herodianis memorat; ac num. deinde v. creationem Apoſtolorum narrat: probandum igitur prius fuit Caſaubono, aut non eodem anno vtramque rem accidiſſe, aut anno primo prædicationis Chriſti Apoſtolos eſſe deſignatos. Quanquam ſi 31. Chriſti anno iam exeunte ea omnia geſta eſſent; nihil impedire poſſet, quo minus primus prædicationis annus exactus pacatè, atque tranquillè dici poſſet. *parum enim*, vt vel vulgari prouerbio dici ſolet, *pro nihilo apud homines habetur.*

Exercit. 14. cap. 16. Baronium, atque eadem opera Suidam, ac, ne maieſtatem Imperij vereri fortè putaretur, magnum etiam Conſtantinum, leuitatis accuſat, quod *Græculi*, vt ait, *plani fraudem non animaduerterint. Nam cum diſertè ſcribat B. Marcus vas vnguenti, quo vnctus eſt Dominus, confractum à muliere fuiſſe; ſcribit tamen ex Suida Baronius, vas illud à magno Conſtantino Imperatore Conſtantinopoli in foro collocatum; quòd ſi obſeruaſſet Baronius, intellexiſſet*, inquit, *planos fuiſſe, atq; impoſtores, qui olim Conſtantino vas vnguentarium venditarunt, quaſi illud eſſet, è quo fuerat Chriſtus vnctus: nam præter lapidis, aut potius vitri fragmenta; nullæ potuerunt eſſe antiqui alabaſtri reliquiæ; atqui vas integrum habet narratio, quam ex Suida refert Baronius.* Sed quæro primùm vbi legerit apud Suidam à Græco aliquo homine vas illud ad Conſtantinum eſſe delatum: tum illud etiam, quibus verbis Suidas vas illud integrum fuiſſe memoret? Potuit enim magnam aliquam vaſis eius partem eo modo vas appellare, quo hominem manibus etiam ac pedibus debilem hominem appellamus; cùm etiam vulgi conſuetudo obtinuerit, vt maior pars totius appellatione ſignificetur. At hæc ſunt verba Suidæ, ipſo etiam interprete Caſaubono; *In parte inferiore fori erat vas vnguenti, quo vnctus eſt Chriſtus.* Quod

hic, non dicam verbum, ſed ſyllaba, aut omnino apex, quo vas illud integrum fuiſſe Suidas doceat? Nam quod egregiè vir doctiſſimus Careophilus adnotauit, cùm *βικίῳ*, *vaſi*, articulum non appoſuerit Suidas, non video, qua ratione docere poſsit Caſaubonus, vas illud ipſum, è quo effuſum eſt vnguentum, cùm Dominus vngeretur, potius, quàm vas aliquod ſignificari, in quo nonnihil vnguenti eius aſſeruaretur. Cæterum hæc omnia Caſaubono facilè condonauero; ſi oſtenderit Dominum ſemel tantum vnguento delibutum eſſe. Cùm autem contendat ipſe, ne ab eadem quidem muliere id vel pietatis, vel beneuolentiæ argumentum exhibitum eſſe Domino: neque verò dubitari poſsit, quin bis minimum contigerit; ſemel in conuerſione mulieris apud Lucam; iterum *ante ſex dies Paſcha*, cùm crucifixus eſt Dominus: qui probare poterit tā ſeuerus hic hiſtoricorū, ac Cæſarū cenſor aut vtrumque vas eſſe confractum, aut vas illud, de quo Suidas loquitur, illud ipſum eſſe, quod fractum à muliere ſcribit B. Marcus cap. 14. Nam ſi, quod probabilius multò eſt, ter vnctus eſt Dominus; ſemel à muliere peccatrice; iterum *ante ſex dies Paſcha*, vt B. Ioannes auctor eſt cap. 12. denique biduum ante Paſcha, quod ex Marco nonnullis videtur colligi, multùm videlicet laborandum erit Caſaubono, vt doceat, vno B. Marci teſtimonio vaſa ea omnia fuiſſe comminuta. Non igitur aut Conſtantinus ei, à quo vas delatum eſt, ſiue Græco, ſiue barbaro leuiter fidem habuit; aut vlla vel in Suida eam hiſtoriam commemorante, vel in Baronio è Suida eam referente leuitas: ſed leuis, & inconſulta Caluiniani magiſtelli temeritas, qui de rebus ijs tam euidenter pronunciat, quas ſatis non tenet.

De ſacro Epiphaniæ Domini die futilis Caſauboni diſputatio.

Caput XIII.

Longam inſtituit diſputationem aduerſus Baronium exercit. 2. cap. 11. quod anni 1. num. XXXVI. ſcripſerit veterem Eccleſiam anniuerſario cultu celebraſſe diem aduentus Magorum. *Nam prima*, inquit, *Eccleſiæ naſcentis tempora ſi reſpicias, ſolemnitatis huius nullum veſtigium inuenies.* Ac paulò poſt ſubijcit *eam poſt aliquot ſæcula inſtitutam eſſe. Errare verò etiam in eo Baronium, quod putat* Epiphania *primitus fuiſſe inſtituta ad memoriam recolendam aduentus magorū: id & ipſa* Epiphaniorū *appellatione, & ſcriptorū vſu, & hiſtoria refelli.* Poſtquam autem de Epiphaniorū appellatione è Diodoro, Halicarnaſſeo, & videlicet, & videlicet, Athenæo ſuo diſputauit; qua de re capite ſuperiore non nihil diximus, de Scriptorum vſu hæc ſcribit: *In vetere Eccleſia Græca, ſolemnitatem illius diei* ἐπιφάνια *eſſe dictam, non quo magi aduenerant*

runt; ſed quo filius Dei aſſumpta humana carne è beata Virgine natus, mortalibus conſpiciendum ſeſe præbuit. Id Suidæ, id Euſebij, id Chryſoſtomi obſeruationibus in Paulum, id Caſsiani, atque Epiphanij verbis probat. Addit etiam ex Iſidoro Peluſiota, Euſebio, ac Nazianzeno diem eundem Theophania dici ſolitum. Eum porrò diem fuiſſe 6. Ianuarij, in quem diem plurimæ Eccleſiæ olim Natalem Domini retulerunt. *Quoniam autem,* inquit, *Theophania & Epiphania idem ſunt, vel ex hac oratione* [Gregorij Nazianz. in diem Natal. Dom.] *apparet, adhuc illo tempore ſolemnitatem Epiphaniorum cauſam habuiſſe in Eccleſia Conſtantinopolitana, non magorum aduentum, vt putat Baronius; neq; baptiſmum Domini, vt mox dicturi ſumus ex Chryſoſtomo; ſed Domini natalem. At non multò poſt illa Eccleſia edocta à Romana, natalem Chriſti cœpit celebrare die 25. Decembris. Chryſoſtomus in Homil. de die natali auctor eſt, quando ille eam concionem habebat, nondum fuiſſe annos decem elapſos, è quo primum is dies illi Eccleſiæ innotuerat. Ab illo tempore remanſit quidē appellatio Epiphaniorū diei ſextæ Ianuarij, ſed cauſa appellationis aliter, quàm antea reddi cœpit. Nam qui dies prius colebatur vt natalis Chriſti, poſtea cultus eſt vt baptiſmum eiuſdem repræſentans, & magorum aduentum. atque ita deſijt fieri commemoratio natiuitatis Chriſti die Epiphaniorum. Quod mihi videtur abſurdum: quoniam, vt probauimus, ἐπιφάνεια vox tam in Scripturis, quàm apud Patres aduentum Domini vel priorem, vel poſteriorem ſemper ſignificat: baptiſma verò, aut magorum aduentum nunquam.* Quæ ideo ſubiecit, nî fallor, Caſaubonus, ne, ſi antiquitati parceret, non Caluinianus agnoſceretur. Cæterùm tam multa ſunt in hac eius in Baronium diſputatione à veritate aliena, vt de induſtria videatur conquiſita hinc inde mendacia conglobaſſe. Quo enim ore auſus eſt ſcribere (vt à poſtremis incipiam) nunquam apud Patres baptiſma Domini, aut magorum aduentum Epiphaniam appellari? cùm ipſe ſubijciat Chryſoſtomum in ea, quam ſæpè citat, homil. de baptiſm. Chriſt. editionis Sauillianæ tō. 5. pag. 524. *auctorē eſſe, diē baptiſmi Chriſti dictum eſſe Epiphania, quoniam ad illum diem Chriſtus, quaſi latuerit omnibus incognitus:* Hieronymi etiam è lib. 1. comment. in Ezech. ea verba proferat; *ſignificat baptiſma, in quo aperti ſunt Chriſto cœli, & Epiphaniorum dies huc vſque venerabilis eſt, non, vt quidam putant, natalis in carne; tunc enim abſconditus eſt, & non apparuit, quod huic tempori congruit, quando dictum eſt; Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* cùm Leo magnus, cùm Auguſtinus, cùm cæteri Latini patres in ſermonibus de Epiphania diſertè doceant, vocem Epiphania ad Domini manifeſtationem referri: qua vel ſtella docente, à magis eſt agnitus, vel diuino Patris oraculo verus Dei filius denunciatus. Sed Caſaubono Patres ij non ſunt, à quorum fide ſemper abhorruit.

Ad Scripturas porrò quod attinet, è quibus de priore Domini aduentu

neſcio

neſcio quid blaterat, delirat, vt ſæpè alias. Neque enim prior Domini aduentus ſolo Chriſti natali die, aut pueritia continetur; alioqui Ioannes ſine controuerſia prioris aduentus prodromus, *Propheta altiſſimi* dici non poſſet, quod *praiſſet ante Dominum parare vias eius, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum.* Neque, quod angelus futurum prædixit, *praiſſet ante Dominum in ſpiritu, & virtute Eliæ, vt conuerteret corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam ſanctorum.* Quæ de puero vix ante ſex menſes nato dici profectò non potuerunt: neque adimpleta ſunt *ante diem oſtenſionis eius ad Iſrael,* hoc eſt ante 30. ætatis annum; cùm interim ſoli Deo notus, *creſceret, & confortaretur ſpiritu latens in deſertis locis.* Prior igitur aduentus Domini tota eius vita, inprimiſque prædicatione continetur, quam præcucurrit Ioannes in ſpiritu, & virtute Eliæ. Et verò quod ſcribit Apoſtolus 2. ad Tit. 2. *apparuiſſe gratiam Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudientem nos, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus.* quem locum, auctore Caſaubono, obſeruat in ho. de nat. Chriſt. Chryſoſtomus, nulla ratione poteſt de natali Chriſti Domini die præcisè intelligi. Gratiam enim, & eruditionem eam, qua contemptis, calcatiſque *ſæcularibus deſiderijs, ita viueremus in hoc ſæculo; vt expectaremus beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei*; neque accepimus, neque agnouimus è ſola Chriſti natiuitate: ſed quia *dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate; & mũdaret ſibi populum acceptabilem ſectatorem bonorũ operum*; idq; prædicatione ſua nos ipſe docuit. Ergò in tota Chriſti vita, ac præceptionibus manifeſtata eſt Dei gratia; neque prior eius aduentus vnius diei ſpatio clauditur.

Iam quòd homiliam neſcio quam Chryſoſtomi è tom. 5. edit. Sauil. profert, aut impoſtor eſt ipſe, aut impoſtori cuipiam fidem habuit. Equidem cum ea editio nondum ad manus meas deuenerit, Caſauboni ne ea, an alterius cuiuſpiam fraus ſit, qui ſuppoſititiæ homiliæ Chryſoſtomi nomẽ præſcripſerit, nihil affirmare poſſum: ſed impoſturam detegere non difficilè eſt. Certum eſt enim Gregorium Nazianzenum Conſtantinopoli diſceſſiſſe Conſtantinopolitani primi Concilij tempore, hoc eſt, anno Theodoſij Imperatoris 3. qui cùm annis 17. imperauerit, ab exceſſu Gregorij ab ea vrbe ad Arcadium Imperatorem Theodoſij filium, neceſſe eſt annos 14. interceſſiſſe: Chryſoſtomus porrò non niſi Arcadio rerum tertium iam annum potiente, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ gubernacula ſuſcepit. Quo fit vt orationes eæ, quas Nazianzenus habuit Conſtantinopoli, non minus annis 17. Epiſcopatu Chryſoſtomi antiquiores ſint. At quo tempore Nazianzenus in ea vrbe verſabatur diem eum quo Conſtantinopolitana Eccleſia baptiſmum Domini religiosè recolebat, non eundem fuiſſe cum die natali Domini oratio eius in ſancta lumina apertiſsimè demonſtrat. *Quanquam,*

quam, inquit ipſo initio, *ſanctus luminum dies, ad quem peruenimus, quemq́; hodie diuino beneficio celebrauimus, Chriſti mei, hoc eſt, veræ lucis omnem hominem in mundum venientem, illuminantis, baptiſmum pro principio habeat; tamen hanc quoque vim habet, vt me luſtret, atque expiet &c.* Et ſatis conſtat, ſi quis eam orationem legat, hoc eſſe eius argumentum. Porrò eam orationem paucis diebus habitam eſſe, poſt orationem *in die natali Domini*; & ipſum eius principium ſatis oſtendit, & apertè ſcribit ipſe Gregorius: *Chriſti quidem natiuitatem*, inquit, *congruenti ſolemnitate proſecuti ſumus; tum ego feſti dux, atque auſpex, tum vos, atque adeò cœtus omnis tam terrenus, quàm cœleſtis cum ſtella cucurrimus: cum magis adorauimus, cum paſtoribus diuinitùs colluſtrati ſumus, &c. Nunc verò facinus & myſterium aliud ſequitur. Chriſtus illuminatur, ſimul illuſtremur. Chriſtus baptizatur; ſimul deſcendamus, vt ſimul etiam aſcendamus.* Non eodem igitur die natalitia Domini, ac ſancta lumina, ſeu baptiſmus Chriſti Conſtantinopoli celebantur, quo tempore Nazianzenus eas orationes habuit, hoc eſt, ſeptemdecim minimum annis antè, quàm vrbis eius Epiſcopus crearetur Chryſoſtomus. Eas verò orationes ipſo Gregorij in eam vrbem ingreſſu, cùm adhuc hoſpes apud Conſtantinopolitanos eſſet, dictas ab eo fuiſſe, illud argumento eſt, quod eo ipſo, quem modo protuli loco, cùm orationis in natalitijs Domini habitæ mentionem feciſſet, quam magnoperè probatam animaduerterat; *Ei*, inquit, *qui alieno more in propria venit, gratia habeatur, quod externum hominem, & peregrinum gloria affecit.* Quod ſi ita eſt, ac ſequi Nicephorum in Chronico, & Gregorium preſbyterum, Græcum Nazianzeni encomiaſtem lubet, qui vndecim ipſos annos moratum eum Conſtantinopoli memorant; neceſſe erit eas orationes plus ſeptem, ac viginti annis eſſe conſcriptas antè, quàm Chryſoſtomus Conſtantinopolitanum Epiſcopatum capeſſeret. Sin Baronio potius fidem habemus, non plus triennali ſpatio eam eius commorationem concludenti; inter orationes eas, atque Epiſcopatum Chryſoſtomi annos minimum 20. interceſſiſſe neceſſe eſt. Qui potuit igitur Chryſoſtomus, niſi ſibilis & cachinnis excipi orationem ſuam vellet, apud Conſtantinopolitanos dicere, nondum decennium effluxiſſe, cùm in ea vrbe celebrando Domini natali die, eiuſque baptiſmo idem dies dicatus eſſet, aut omnino dies baptizati in Iordane Domini in ea Eccleſia non coleretur, cùm tam multis annis ante dies ſanctorũ luminũ à die natali Chriſti alius in Eccleſia Conſtantinopolitana cultus eſſet, neque de ea re, tanquam recente, quæque tum primum inueheretur, ſed iam in more poſita tanto antè diſputaſſet Nazianzenus? In ea quidem homil. quæ de Natiuitate Domini habetur in extremo tomo tertio, auctor eſt ſiue Chryſoſtomus, ſiue quis alius eius auctor, iam inde ab Apoſtolis toto orbe terrarum, præterquam in Palæſtina,

Digitized by Google

Epiphaniorum diem natalem non eodem cum natalitijs Domini die celebrari ſolitum.

Sed concedamus ſanè in Eccleſia Conſtantinopolitana natalem Chriſti Domini diem vigeſimoquinto Decembris tum primum celebrari cœptum eſſe, *atque per eam mutationem*, vt ſcribit Caſaubonus, *ſeparatam ſolemnitatem baptiſmi à ſolemnitate natiuitatis, contra opinionem, quæ diu olim in Eccleſia obtinuit, Chriſtum quo die natus fuerat, eodem trigeſimo anno vertente fuiſſe baptizatum*; qua ratione efficiet, niſi, more ſuo, quidlibet concludat ex quolibet, diem illum non eam etiam ob cauſam Epiphania à maioribus eſſe dictum, quod vocis è cœlo miſſæ, ac lapſi columbæ ſpecie Spiritus ſancti teſtimonio prodita eſſet latens eius diuinitas? Neque enim, ſi, niſi coniuncta prius, ſeiungi, ſepararique non poſſunt, *ſeparari duæ illæ ſolemnitates* potuerunt, niſi prius eodem die peragi ſolitæ fuerint. Erat igitur in Orientali Eccleſia feſtus baptizati Domini dies: ſed quod in eundem cum natalitijs eius incideret, duplici de cauſa in veneratione erat: neque minus Epiphania dici potuit, quod Deus, vt verbis beati Leonis vtar, *inuiſibilis in ſuis, viſibilis factus eſt in noſtris*, quam quod cùm ignorarent homines latentem in eo diuinitatem, quem ſimilem ſui per omnia cernerent; Deus etiam agnitus ſit... Neque enim apud Poetas modò deos ſeſe aliena ſpecie humanis aſpectibus offerentes, ac deindè agnitos legimus; ſed in ipſo etiam Chriſto Domino nunc *hortulani*, nunc *peregrini* ſpecie ſe repræſentante id factum ex Euangelijs nouimus. Neque verò minus manifeſtare ſe dici poteſt, qui cùm ignotus adeſſet, prodit ipſe ſeſe; quam qui ſe videndum offert. Beatus quidem Lucas 1. Euangelij ſui capite *diem oſtenſionis* vocat id tempus, quo Ioannes præcurſor Domini manifeſta ſpiritus gratia prædicare pœnitentiam cœpit. Quæ ſi in Ioanne oſtenſio dici potuit; cur non poſſet in eo, quem *Pater ſanctificauit, & miſit in mundum*, cùm exereret ſeſe contecta illa aſpectu hominis *gratiæ plenitudo, de qua nos omnes accepimus*. Neque aliò ſpectat, quod vt non ſemel in pulcherrima illa oratione loquitur Nazianzenus, illuminatus in baptiſmo Chriſtus à Græcis dicebatur. Neque enim is, *in quo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter*; *atq; in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, ſpirituali vlla luce perfundi de nouo potuit, cùm *ſit ipſe lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; ſed voce Patris, ac ſpiritus teſtimonio, quaſi manifeſta luce, reſplenduit apud homines, qui in ſeipſo *lux erat ſplendens in tenebris*. Ob eamque rem illuminatus à noſtris hominibus dictus eſt in baptiſmo, iſque dies ea de cauſa accenſis etiam luminibus, in Eccleſia celebratus. Definitio quidem Epiphaniæ quam è Græcis Scriptoribus affert Caſaubonus, in hanc, de qua diſputamus, manifeſtationem

Chri-

Chriſti,apertiſsimè conuenit: ἐπιφάνειαν enim, ſi vera memorat, *appellant apparitionem numinis, quoquo tandem modo Deus aliquis ſuæ præſentiæ ſignum dediſſe crederetur.* Dedit autem in baptiſmo Deus non vulgare ſignum præſentiæ ſuæ,ac numinis humanitate illa tecti.Dici igitur verè,ac propriè ἐπιφάνεια illa potuit.

Sed iſta,ſi placet,omittamus,ne nimis religioſè in hominem nonreligioſiſsimum videamur inquirere:illud ab Caſaubono ſcire velim, quam tandē conſecutionem hanc eſſe putet, *decennio circiter ante, quàm Chryſoſtomus Conſtātinopoli Eccleſiam regeret, à Romana Eccleſia didicerunt Græci Chriſtum Dominū, non ſexto Ianuarij, ſed vigeſimoquinto Decembris die natum eſſe; ob eamq; rem tranſlatâ in eum diem natalitiorum Chriſti memoriâ, diem baptiſmo eius ſacrum ab natalitijs ſeiunxerunt: ergo idem etiam in Romana Eccleſia, ac toto adeo Occidente contigiſſe dicendum eſt.* Quid ſi enim Apoſtolica traditione iam inde ab initio dies eos ita, vt nunc facit, & ipſa coluit, & Occidentem, cùm fidem in eum inferret ita colere docuit Romana Eccleſia? Neque enim neceſſe eſt, opinor,Romanos nihil ante didiciſſe,quàm Græcis traderent. Apud homines quidem, ſi quid aliquem doceas, id prius à te teneri, axiomatis inſtar eſt: quod ea de cauſa Caluiniani, fortaſſe, non ſuſcipient, quod apud eos magiſtri fidei alios ea docent, quæ nunquam ipſi didicerunt. Sed ſi fieri non poteſt,vt quod ipſe neſcis,alios doceas, ac prius, quod aiunt Philoſophi; *in actu debet eſſe is, qui de potentia in actum traducere alium debeat*; neceſſe eſt Romanos, quod de natali die, deque baptiſmate Chriſti alios docuerunt, id prius ipſos tenuiſſe. At quàm multò tempore ante, aut quibus auctoribus ſacros eos dies didicerint, ſciri profectò non poteſt ex eo, quòd non multò ante Chryſoſtomi Epiſcopatum Conſtantinopolitanis tradiderunt. Neque enim neceſſe eſt, quicquid ipſi ſciuerint,id alios continuò docuiſſe. Oſtendiſſet igitur prius Caſaubonus quod de Conſtantinopolitana Eccleſia vel ipſe commentus eſt, vel aliena fraude inductus, in ſua commentaria tranſtulit, hoc idem in Occidentali Eccleſia ſeruatum olim fuiſſe; ac tum demum reprehendiſſet Baronium,quod & anni primi num. XXXVI. & in notis ad martyrologium innuerit celebrationem huius feſti,quaſi lapidem Lydium fuiſſe hominis Chriſtiani. Nam in Gallia geſta ſunt quæ ex Amiano libr. 21. de Iuliani Apoſtatæ hypocriſi vir eruditiſsimus memorat; *qui licèt clam dæmonibus immolaret, tamen ne detegeretur, quod eſſet idolorum cultor, voluit ſuam præſentiam exhibere his ferijs, quas inquit* (Amianus) *Chriſtiani celebrantes menſe Ianuario, Epiphania nomine nuncupant.*

De Suidæ verò, atque Euſebij teſtimonijs, quid ſibi in hac diſputatione blandiatur Caſaubonus, equidem non video. ἐπιφάνεια, inquit

Digitized by Google

Suidas ἡ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ ἔνσαρκος οἰκονομία, hoc eſt, vt fatetur ipſe, *Epiphania, ſiue apparitio eſt Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti incarnatio.* At ea nouem ipſos menſes ante peracta eſt, quàm incarnatus Dei filius naſceretur. Cur igitur, vt probet à Scriptoribus Epiphaniæ nomen pro natali Domini die ſupponi, locum hunc affert? *Quia incarnationis nomine intelligit*, inquit, *natiuitatem Suidas, quam ſæpè appellant Patres οἰκονομίαν, diſpenſationem.* Ego verò diſpenſationem, ac diſpenſationis myſterium incarnationem apud Patres appellatam, non rarò videre me memini: pro natali Chriſti die propriè vbi nomen hoc Patres vſurparint, vellem innuiſſet nobis Caſaubonus. Nam eius quidem vnius affirmatio nihilo plus habet auctoritatis, quàm hominis neque doctiſsimi, & mendaciſsimi teſtimonium. Suppoſitum verò pro natiuitate incarnationis nomen, quia ita videtur, affirmat; cùm voces eæ rem longè diuerſiſsimam ſignificent. Illud fortaſſe reſpondeat, ἐπιφανείας nomine non latentem ipſam incarnationem, ſed apertam eius manifeſtationem apud Suidam ſignificari; ideoque incarnationem appellari. Sint iſta ſanè vera: ſed naſcendo incarnationem Chriſtus non prodidit, qui hominum oculis mortalitatem modò noſtram repræſentauit. Aliò igitur ea Suidæ verba referenda ſunt.

Neque multò plus Euſebij locus probat, qui libr. 1. hiſtor. ait, *ordiri ſe ſuam ſcriptionem* ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφανείας; *non vtique aduentum magorum*, inquit Caſaubonus, *aut baptiſma Chriſti ſignificans, ſed eiuſdem natiuitatem.* Quaſi verò à natiuitate ſuæ narrationis initium, prætermiſſa incarnatione, ſumat Euſebius: vt quemadmodum eam ob rem ad magorum aduentum, aut baptiſma Chriſti, negat ea verba poſſe referri, quia non inde hiſtoriam orditur: eadem ratione argumentari mihi liceat, ea de natiuitate dicta non eſſe, quia is non inde hiſtoriam ſuam orditur: aut ſi totum id tempus, quo is incarnatus ac natus eſt, ἐνσάρκου ἐπιφανείας nomine amplectetur Euſebius; quid impedit, quò minus ad nouem illos menſes, tredecim prætereà dies addidiſſe credatur? Quanquam clariora ſunt ſcriptoris eius verba, quàm vt explicatione indigeant. Nam ἔνσαρκος ἐπιφάνεια, idem eſt, ac ſi dixiſſet; *eius in carne apparitionem.* quo nomine, quanuis ad ſignificandam præcisè Chriſti natiuitatem reipſa non vtatur, vt iam docuimus; vti tamen commodè potuit. Nam in carne quidem eo primum die apparuit, quo eum, vt ait Eccleſia, *huic mundo edidit intemerata virginitas.* Sed aliud eſt apparere in carne, aliud eſt ſimpliciter apparere; ac latentem diuinitatem ſignis operibuſque demonſtrare.

Addit etiam, *Romanos Scriptores vel ignaros veræ cauſæ appellationis Epiphaniorum, vel certo conſilio, vt veteris inſtituti memoriam abolerent, alias rationes excogitaſſe, cur 6. Ianuarij menſis die Epiphania diceretur.* Sed hoc diuinat vide-

videlicet, atque aberrat à ſcopo Caſaubonus: nam iſtæ eius coniecturæ ægri ſomnia ſunt, vt demonſtratum iam eſt. Illud vero etiam immane mendacium. *Quoniam*, inquit *verbum φαίνειν de Syderibus dicitur; ab ea notione huius vocis cauſam nonnulli petierunt nominis Epiphaniorum, vt nimirum quod, nato Domino noua in cœlo ſtella viſa eſſet, dies is Epiphania diceretur.* Rem dubiam reliquiſſet, niſi Iſidori Hiſpalenſis è lib. I. de offic. Eccleſ. c. XXVI. teſtimoniũ protuliſſet. Nam in tanto Latinorum ſcriptorum numero facile ſuſpicari quiſpiam potuiſſet; fuiſſe, qui hanc eius appellationis cauſam redderet. Nunc autem cum nihil minus ijs verbis doceat Iſidorus, Stolidam viri mẽdacitatem ſeſe impedientis mendacio ſuo apertiſsime arguit: atque etiam confutat totam eam diſputationem. *Epiphaniorum diem*, inquit Iſidorus, *feſta ſolemnitate viri Apoſtolici ſignauerunt, quia in eo per ſtellam eſt Saluator oſtenſus, quando inuenerunt magi Chriſtum in præſepio iacentem & adorauerunt eũ.* Quibus verbis feſti eius diei auctores viros Apoſtolicos facit, quo nomine Apoſtolorum diſcipuli ſignificari ſoliti ſunt, cum Caſaubonus exeunte iam quarto Chriſti ſæculo diem eum feſtum in Eccleſia agitari cæptum eſſe velit. cum autem ſubijcit; *Quia in eo per ſtellam eſt Saluator oſtenſus*; non id ſibi vult Iſidorus, quod illi affingit Caſaubonus, Epiphania eſſe dicta *quoniam ſtella ἐπιφάσει apparitione ſua Chriſtum deſignauit.* Sed quoniam Stellæ indicio agnitus, qui prius latebat in carne, manifeſtus mortalibus eſſe cæpit. Quemadmodum is, quem Chryſoſtomi nomine citat, cuiusque ſententiam multo probabiliorem eſſet dicit, Epiphania dicta vult, quia in Baptiſmo Chriſtus demonſtratus eſt, & innotuit cæleſti voce. Mendaciũ etiam illud quod etymum, quod affinxit Iſidoro, amplexum etiam Baronium memorat, cuius rei ne veſtigium quidem vllum apud eum virũ hoc loco eſt. Sed nimis diu hic hæſimus, vt multa præterea neceſſario relinquenda nobis ſint, quæ in rerum geſtarum narratione peccat Cauſaubonus: de veteris Eccleſiæ moribus omnino vnum, aut ad ſummum alterum locum proferam.

De honore Latinæ linguæ haberi olim ſolito in Concilijs & conuentibus Eccleſiaſticis; ac multis ſuper ea re Caſauboni erratis.

CAPVT XIV.

EXercitatione IX. cap. III. cum Baronius ad annum Chriſti XVI. de veteri Romanorum conſuetudine diſputaſſet, qui in rebus, negotijſque publicis, quamuis Græcè docti eſſent, nunquam niſi Latinam linguam

guam adhibuerunt: quo, vt ſcribit Valerius Max. *Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur*: addidiſſetque id poſtea in Eccleſia Catholica obſeruatum; & quemadmodum penes Romanum Pontificem erat Eccleſiæ principatus, *ſic etiam Latinam linguam eſſe præ cæteris exaltatam*, vt in conuentibus etiam, iudicijsque Eccleſiaſticis Græcæ linguæ præponeretur: idque Chalcedonenſis, atque Epheſinæ Synodi exemplis, & conſuetudine Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ confirmaſſet; Caſaubonus vt erat in his rebus paulo ſuſpicioſior, veritus, ne quid in ea diſputatione lateret fraudis; *quia*, inquit, *docere alio loco parabat vſum eius linguæ in ſacris exercitijs eſſe retinendum, maturè iam inde à principio ſuorum annalium præſtruere ſibi fidem voluit, quo lectore vteretur ad aſſentiendum proniore, & faciliore*. Ratiunculam etiam addidit, qua Baronium vſurum exiſtimabat, væcordia dignam, ac tarditate eius, qui eam excogitauit. *Nimirum*, inquit, *hoc fundamento nititur iſta argumentatio: illum cultum eſſe Deo gratiſsimum, ad quem peragendum lingua fuerit adhibita omnium præſtantiſsima*. Quam rationem Baronius afferre non potuit, niſi eadem opera probare vellet, ne Græcã quidem, aut Hebraicam linguam eſſe in ſacris officijs adhibendam; quod à ſenſu inſtitutiſque Romanæ Eccleſiæ vehementer abhorret. Romæ quidem Græci ritus cæremoniaſq; ſacrorum, cum patria lingua, eoſdẽ plane retinent, quos toto oriente, atque adeo Conſtantinopoli à popularib. ſuis vſurpari mos eſt. At ne in Tuſculano quidẽ agro aliã, quam Græcã linguã, rem diuinã peragũt monachi in monaſterio Cryptæ ferratæ. Chaldaica etiã lingua vtuntur in diuinis officijs Maronitæ in eo Collegio, quod alendæ, eorũ, atq; educandæ iuuentuti Apoſtolica ſedes inſtituit. Sed ad rem noſtrã redeamus.

Negat mirum videri oportere quod Martianus Imperator in ſynodo Chalcedonenſi *verba faciens, primo Latinè, deinde Græcè ſit locutus: nam Imperatorẽ Romanũ Græcè, & Latinè doctũ in cœtu Romanorũ, & Græcorũ Romanã prius orationẽ habuiſſe, quam Græcam*. At quamuis Romanis imperaret; homo tamen Græcus atq; in Græcia natus, & educatus erat, quod Baronius animaduertit. Subijcit *dediſſe id Martianũ dignitati illorũ, qui Cõcilio intererant*. Quorumnã? Procerũne, atq; eorũ, qui latus Imperatoris ſtipabant? an Epiſcoporũ? *fuit*, inquit, *præter Epiſcopos ibi tunc procerũ Imperij maximus numerus quorũ nomina, & dignitates ibidẽ accuratè recenſentur*. Sed ij profecto laici homines ad Conciliũ non pertinebant: *Concilium. n. Epiſcoporũ eſt*. Proceres in Eccleſia nõ iudicant, nõ docent. oues, non paſtores, ſunt: ne Angli quidẽ, qui hierarchiam Eccleſiaſticã regis adulatione corrumpunt, auſi ſunt, præterquã ad Regem, Eccleſiaſtica iura deferre. quẽ ipſum in Baſilico ſuo doro cã ob rem Rex Iacobus negat plane laicũ dici poſſe. Deniq; tantum abfuit, vt in eo

Con-

Digitized by Google

Concilio laici locū haberent, vt ſæpius eæ Cōcilij totius voces legantur, cū pro Dioſcoro monachi & laici quidā eſſent ingreſsi; *Mitte foras ſuperfluos: Concilium Epiſcoporū eſt.* atq; ante Chalcedonenſem ſynodū Theodoſius iunior ſcripſerit ad Conciliū Epheſinū *illicitum eſſe eum, qui non ſit in ordine ſanctiſsimorum Epiſcoporū, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* Atq; eſt quidē in eo Concilio nō infrequens iudicū mentio, quos Imperator, ne quid factioſi homines in Cōcilio turbarent, exēplo Eph. II. ſynodi monitus, ita intereſſe Concilio voluit, vt turbas, ac ſeditiones coercerent: liberū in rebus, cauſiſque Eccleſiaſticis ſuffragiū Epiſcopis permitterent. Atq; horū nomina initio eius Concilij accurate deſcribuntur. Quid igitur erat, cur Martianus, cū ad Epiſcopos haberet orationē, eos reſpiceret, ad quos ea nihil pertinebat? Deinde, cur eorū dignitati id Martianus daret? de quorū patriæ dignitate detraheret? Nā quod ſcribit Caſaubonus: *eos omnes, aut pleroſque aut Romanos, Italoſue fuiſſe; vel Romanam linguam doctos*; perinde eſt, ac ſi quis ita ratiocinetur. *Homo animal eſt rationis particeps: atqui is, quem oculis vides; homo eſt aut verus, aut pictus: eſt igitur particeps rationis.* Nam ſi proceres ij Romani, vel Itali fuerunt, honorem ab Imperatore patriæ ſuę linguę haberi gratum ſine dubio eſſe ijs potuit: ſin autem Græci homines linguam Latinam edocti, qui tandem ijs ea in re gratificari potuit Imperator? quorum patriam Latio poſthaberet. At etiam ſerio probare aggreditur, *è Græcis illos potiſsimum Latinè loqui didiciſſe, qui ad aulicam*, vt ait, *vitam adſpirabant*: idque probat Chryſoſtomi teſtimonio tom. VI. pag. 190. quaſi vero hoc ad rem quicquam faciat, aut eos Latina lingua magis Romanos reddere potuerit quam me, aut quenquā alium è Græcia, qui Latinè didicerit, vt quia Latinè doctus eſt, Latio poſthaberi Græciam æquo animo patiatur. Addit illud etiā, more ſuo, plane alienū à negotio, *didiciſſe tunc temporis linguam Latinam eos, qui ad vitam militarem præparabantur.* verebatur nimirum, ne nullū præterea proferendæ huius obſeruatiunculæ locū inueniret, Alioqui, quid hoc ad rem? Nō ſimplex igitur eſt eius in hiſtoria peccatum: nam ſiue proceres illos pertinuiſſe ad Conciliū putat, veteris Eccleſiæ morē, atq; inſtituta prorſus ignorat; ſiue ad eos quoq; eam Imperatoris orationem ſpectaſſe exiſtimat, qui ipſi ad Concilium non ſpectabant apertiſsime ipſis orationis eius verbis conuincitur, quæ ad Cōcilij Patres omnia referuntur. Neq; vero quicquam habet cum vero ſimilitudinis quod ait, *proceres illos, aut omnes, aut pleroſq; Italos, vel Romanos fuiſſe*; cum potius fere omnes in Gręcia natos illud argumento ſit, quod Romanę nobilitatis flos ſuperiore ſęculo, Conſtantino Imperatore, veterem Romam cum noua commutarat.

Illud etiam Caſauboniana eruditione dignum, quod ſubijcit, *Epiſcoporū*

qui

qui ex Italia venerant, pleroſque Græcè neſciſſe. Magnus videlicet Italorum Epiſcoporum in eo Concilio numerus ſedit, cum præter tres Leonis Papæ legatos, hoc eſt, Epiſcopos duos, presbyterum vnum, nullus è toto occidẽte in eo Concilio fuerit: quos ipſos Græcè neſciſſe, ſomniat nimirum Caſaubonus. Quid tum enim, *ſi Gregorius magnus qui ſæculo*, vt ait Caſaubonus, *proximo vixit, ſcribit ſua tempeſtate in tota Italia paucißimos fuiſſe, qui aliquid omnino Græcè ſcirent?* Primum enim cum eſſent nonnulli, non fuit adeo difficile tres inuenire Græcè peritos, qui ad Concilium mitti poſſent: Deinde, vt eorum annorum ſpatio, qui inter Leonem, atque Gregorium fluxerunt, magna facta eſt in Occidente Imperij inclinatio; atque Italia interim Barbarorum armis vexata, ac magna etiam ex parte ſubacta, in Barbariem pæne degenerauit; ita facile potuit eruditionis etiam, atque doctrinæ maximam facere iacturam: vt neceſſe non ſit, ſi Gregorij tempeſtate nullus in Italia Græcè intelligebat; ne Leonis quidem ſæculo fuiſſe qui intelligerent.

Ex Epheſino Concilio colligit Baronius, fuiſſe id in more poſitum apud maiores noſtros, *vt Apoſtolicæ Sedis legati literas Romanorum Pontificum ad Synodos Græcorum Epiſcoporum ſcriptas, non niſi Latinè legi, atque è ſcripto recitari iuberent; neque, niſi efflagitantibus omnibus eius conſeſſus Epiſcopis, Græcè redderent. Nam recitatis in eo Concilio Cæleſtini Papæ literis Latinè ſcriptis, vniuerſi Epiſcopi petierunt, vt eadem Epiſtola Græcè translata denuo recitaretur. Tunc his verbis ſic interlocutus Philippus legatus. Vetus*, inquit, *conſuetudo habet, vt Apoſtolicæ Sedis diplomata Latine proponantur; & hoc ſat eſſe ſolet. Nunc vero quoniam beatitudo veſtra flagitat, vt literæ allatæ Græcè itidem relegantur; neceſſe fuit veſtræ beatitudinis deſiderio ſatisfieri.* Locum hunc Baronij carpit Caſaubonus, cum neget, *mirum fuiſſe aut Romanum Epiſcopum Romana lingua ſcripſiſſe literas, aut cum in toto Romano Imperio Latina lingua ferè iam eſſet vernacula, eo idiomate legi literas Papæ conſueuiſſe, quod vulgo plerisque notum eſſet. Nam Traiani quidem ſæculo eam linguam non ſolum intelligi, ſed etiam à plerisque vſurpari conſueuiſſe, è Plutarcho ſatis conſtare in quæſt. Platon: qui auctor eſt ſermone Romanorum vniuerſos fere mortales tunc vſos. Neque ita multo ante ſynodum Epheſinam ſophiſta Libanius vereri ſe ſcripſerit, ne quoniam rerum ſumma penes illos ſit, quibus Latina lingua erat vernacula, breui deficiat vſus Græcæ. Atque: cur*, inquit, *literæ, quas Papa Romanus Latinè ſcribebat, eius legati prius in aliam transferrent linguam, quam experientia didiciſſent, vtrum id foret neceſſe? Nam ſi plures, vel præcipui Epiſcoporum Latina intelligerent; poterant in totum Pontificis legati eo labore ſuperſedere.* Vbi nec ſemel peccat in hiſtoria Caſaubonus (nam conſtructionem non exagito, quod imprudenti excidiſſe non dubito.) Si enim, vt is è Chryſoſtomo ſupra probauerat, Arcadio Imperatore, ijs, qui vel

Digitized by Google

vel aulam, vel militiam meditabantur, diſcenda erat Latina lingua, profecto non vſq; adeo vernacula in Græcia fuiſſe putanda eſt. alioqui quid eſſet eximij *linguam Italicam edoctum eſſe, vt eã ob rẽ in aula vehementer floreret, atque in ea pro libito ſuo cuncta adminiſtraret, qui eam didiciſſet.* Hæc enim ſunt, ipſo interprete Caſaubono, verba Chryſoſtomi, qui cum hæc in Græcia diſputaret, Libanij vix cineres, atque oſſa ſupererãt: qui Valente. I. Imperatore ſenex admodum extinctus eſt. Neque vero mirum videri debet, ſi ætate Libanij, recente etiam tum Imperij translatione, viſa ſit Græcia Latinitatem induiſſe. Nam & Imperatores, & qui cum ijs in Græciam ex Italia migrarunt, mores, atque inſtituta patria retinebant. Sed cum ſolo eo nepotes eorum delectati deinde eſſent, in quo nati, educatiq; fuerãt; quicqd illud erat Latinitatis facile poſuit: atq;, vt olim *capta ferum victorẽ cepit & artes intulit agreſti Latio*; ita tunc nouos colonos in linguã ſuã tranſcripſit.

Quod ait non ante translatas Græcè à Legatis Cœleſtini literas, *quã experientia didiciſſent, vtrũ id eſſet neceſſe*; apertiſſime fallitur. nam Latinas quidẽ Cœleſtini literas recitari voluerunt, ne à veteri maiorũ conſuetudine diſcederent: ſed cùm nõ ignorarent, multos in Concilio Latina nõ intelligere, antè literas eas Græcè verterunt, quã Latinè in Concilio recitarentur. Conſtat id ex Arcadij, & Proiecti legatorũ reſponſo. Cũ. n. *vniuerſi reuerendiſsimi Epiſcopi*, vt eſt in actis Concilij, tõ. II. c. XIII. *Petijſſent, vt eadem Epiſtola Græcè reddita, denuo recitaretur; reſpondiſſetq; Philippus presbyter & legatus* id, ꝙ Baronius retulit; *Arcadius, & Proiectus Epiſcopi, & legati dixerunt; Quoniã quidem beatitudo veſtra oblatas literas in omniũ notitiã deduci optat; & quia inter ſanctos Patres, & coëpiſcopos noſtros non pauci adſunt, qui Romanè neſciunt; propterea eadẽ illa allata Epiſtola Græcè quoq; explicata eſt, quæ etiã, ſi iuſſeritis, relegetur.* Nõ expectarunt igitur legati Pontificis dũ experimento conſtaret, id, quod iã ante cõpererant, eſſe nõ paucos in Concilio, qui Latine nõ intelligerent: Sed Latinas Cœleſtini literas more maiorũ recitari, neque niſi efflagitante ſancta ſynodo, Græcè redditas in Concilio legi voluerunt.

Paratragædiat etiã in exemplo, ꝙ è Nicolai Papæ literis Baronius attulit. *In ſacris miſſarũ ſolemnijs penes Græcos eã ſemper viguiſſe conſuetudinẽ, vt tam lectiones Euangelicæ, quã Apoſtolicæ primũ Latinè, inde Græcè in eadẽ Eccleſia publico recitarentur, vt idẽ*, inquit Baronius, *qui ſupra Nicolaus Papa ad eundẽ Imperatorẽ* (Michaelẽ) *ſcribens teſtatur.* Nã *& parũ probabilem hiſtoriam pro vera, & certa lectoribus obtrudi* ait *Caſaubonus & narrationẽ Nicolai Papæ aliter referẽdo, multo etiã minus probabilẽ à Baronio reddi.* Verres ſcilicet in furẽ, Caſaubonus in impoſtorẽ inuehitur. At qua tandẽ de cauſa? *Non dicit*, inquit, *Papa eã conſuetudinẽ vigere apud Græcos: de Conſtantinopolitana. n. Eccleſia loquitur.* Nouum crimen C. Cæſar, atq; ante hanc diẽ inauditũ, quod in Græcorũ metropo-

li à Græciæ totius Patriarcha vſurpabatur, id Græcis Baro ius tribuit: ita verò etiã ſi apud Latinos eam conſuetudinẽ vigere quis dixerit, vt Cardinales vtantur purpura; impoſturæ, Caſaubono auctore, damnabitur, cũ Romanæ Eccleſiæ propria, non communis ea conſuetudo ſit cum cæteris Occidentis Eccleſijs. Quod vero ſubijcit *in Eccleſia Conſtantinopolitana Italos pleroſq; aut ſermonis Latini peritos fuiſſe*; id vero neq; ſi ita ſit, quicquã officit Baronio, & ſatis aperte cũ hiſtoria pugnat. Nã quæcuq; demum fuerit eius rei cauſa, certè in Græcorũ Eccleſia Latina lectio Græcæ lectioni præponebatur, quod vnũ Baronius eo loco ꝓbare nititur. Latinos autem pleroſq; aut Latini ſermonis peritos ea tẽpeſtate Cõſtantinopoli fuiſſe, merũ ſomniũ eſt. Nã & qui in Græciã cũ Conſtantino Romã conceſſerant, plus quingentorũ iam annorũ ſpatio in ea Regione verſati, omnẽ Latinitatem prorſus exuerant. & iam ante translato in Francos Iure Occidentalis Imperij, quidquã habere cõmercij cũ Latinis Græci deſierant: & Latinos capitali prope odio inſequebantur. vt ne puduerit quidem Michaelẽ Imperatorẽ Latinã linguã barbarã appellare: quod falsò ab eo ſcriptũ eo argumẽto 8. ad eũ epiſtola docet Põtifex Nicolaus: quod in principe Græcorũ Eccleſia, *in ſtationibus Euangelicæ atque Apoſtolicæ lectiones Latinè prius, deinde Græcè recitarentur. Si adhuc*; inquit, *illam* (linguam Latinã) *execramini, etiam ab Eccleſijs veſtris remouere ſatagite. Iſtius.n. dictione linguæ Conſtantinopolitana Eccleſia lectionẽ Apoſtolicã, & Euangelicam in ſtationibus fertur primitus recitare; ſicq; demũ Græco ſermone propter Græcos vtiq; ipſas lectiones pronunciare.* Sed hic iactat ſe Caſaubonus, *non vt Baronius*, inquit, *quidquã affirmat Nicolaus; ſed fertur, inquit: eo verbo indicans non quaſi certam narrationẽ ſe id cõmemorare; ſed vt auditionẽ; de cuius fide nihil ſibi conſtaret, nihil aſſeuerare vellet. Vbi igitur fides Baronij?* Ad imperſonalia nimirũ, & Grammaticorũ neſcio quas obſeruatiunculas prouocat; ad quorũ ego normã, ſi verborũ eius ſtructurã reuocare velim, magnũ illi à Priſciano negotiũ nonnunquã faceſſero. Cęterũ non eã vim verbi *fertur* eo loco apud Nicolaũ eſſe, vt incertã, neq; ſatis conſtantẽ auditionẽ ſignificet; ſed rem modo quam accepiſſet ab alijs, non vidiſſet ipſe per ſe; ſatis vel ex eo colligi poteſt, quod abſolute Imperatori id obijcit, ac ſine hæſitatione vllã, iubet eũ Latinã linguã, quã tantopere odiſſet, de Eccleſijs remouere: quod profecto ridiculũ eſſet, ſi rem, de qua ipſe dubitaret, ac dubiã eſſe fateretur; perinde, quaſi magnũ in ea cauſæ momentũ eſſet, ei aduerſario obijceret, qui nullo negotio reſpondere poſſet, ſomnia ea Latinorũ, non Græcorũ conſuetudinẽ eſſe. Sed ea loquendi ratio idem nõnunquam valet, ac ſi diceres; *Audiui rem ita ſe habere.* quod, vt nõnunquã incertam ac dubiam famam ſignificet; ſæpe tamẽ de rebus minimè dubijs vſurpari, vel id argumento eſſe poteſt, quod Act. IX. imperanti Domino vti Sa-

ti Sa-

Digitized by Google

eũ Saulum quæreret, reſpondiſſe ſcribitur Ananias; *Domine audiui à multis de viro hoc quanta mala fecerit ſanctis tuis in Ieruſalem.* Famã certè nõ in conſtantem & dubiam; ſed rem de qua ipſe etiam ita ſentiret, ſignificauit. M. Tullius, cùm ita de Democrito ſcriberet; *ſi ornatè locutus eſt, ſicut fertur, & mihi videtur, Phyſicus ille Democritus:* Nam & Græcè ipſe nouerat; neque quid eſſet ornate dicere neſciebat; & Democriti libros nõ ſemel legerat. Nõ igitur accuſari Baronij fides; ſed nõ exquiſitiſſima Caſauboni grãmatica damnari debet: qui ne minus ſe ſtrenuũ calumniatorẽ, quam malũ grammaticum oſtenderet, fraudis etiam virum integerrimum, maximeq; fidelem hiſtoricum poſtulare auſus eſt, cùm dicat additũ ab eo verbis Nicolai verbum *Semper, in quo,* inquit, *vt vis eſt, & pondus præcipuum, ita mendaciũ longè maximum.* Vbi ego hominis miſeri longè maximã impudentiã, & impoſturam agnoſco. Nã cum Nicolai teſtimonio doceat Baronius, eã conſuetudinem in Græcia viguiſſe; ad ſæcula, quæ deinde cõſecuta ſunt, non magis referri poteſt, quam Nicolaus ipſe de reb. poſt futuris teſtimoniũ dicere. Neq; quidquam aliud ea viri eruditiſſimi narratio cõtinet, niſi vetuſtam illam, & iam inde à maioribus vſurpatam conſuetudinem, Nicolao etiam Pontifice in Græcia retentam eſſe.

Id porro trecentis ante Nicolai pontificatũ annis, non Conſtantinopoli tantum, ſed etiam Romæ factitatũ eſſe, vt in publico Eccleſiæ conuentu Græcè Latineq; Epiſtolæ Apoſtolicæ, atq; Euangelia recitarentur ſatis, vt alia taceam, conſtat è B. Gregorij lib. VI. Epp. ep. 31. Nam diaconus Romanæ Eccleſiæ reſponſalis, qui apud Imperatorem Conſtantinopoli verſabatur, conſueuerat Miſſarũ ſolemnia cũ eius vrbis Epiſcopo celebrare, quod ſignũ erat cõmunionis & pacis. Quod ſi quando Romã Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ diaconi veniſſent; ſummo Pontifici ſacris operanti miniſtrare conſueuerant. Eam ob rem Cyriaci, qui poſt Ioannem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ gubernacula cæperat, diaconos ad ſe venientes ita ad celebranda ſecũ miſſarũ ſolemnia B. Gregorius admiſit, vt diaconum ſuũ Cyriaco miniſtrare vetuerit, niſi prius œcumenici appellationẽ depoſuiſſet. *Eoſdem,* inquit, *reſponſales* (qui ſynodicas Cyriaci literas detulerant) *quia hoc omnino humiliter precabantur, miſſarũ ſolemnia mecũ celebrare feci.* Et poſt pauca; *Meus vero diaconus cũ prædicto fratre noſtro Cyriaco miſſarũ ſolemnia celebrare non debet: quia per profanũ vocabulũ culpã ſuperbiæ aut commiſit, aut ſequitur.* Et Ep. 30. quæ eſt ad Mauritiũ Imperat. *reſponſales eius* (Cyriaci) inquit, *cũ magno affectu ſuſcepi. quicquid debui caritatis exhibui; meliusq; eos, quã cõſuetudo priſca fuit, honoraui; & mecũ feci eos ſacra miſſarũ ſolemnia celebrare: quia ſicut meus diaconus ad exhibẽda ſancta myſteria illi nõ debet miniſtrare, qui elationis culpã aut cõmiſit, aut cõmiſſã ab alijs ipſe nõ corrigit; ita miniſtri illius in celebratione miſſarũ*

Digitized by Google

mihi adeſſe debuerunt, qui cuſtodiente Deo, in ſuperbia errorem non cecidi. Quæ conſuetudo ita etiam in Oriente nunc viget, vt ſi quando conuenerint diuerſarum ſediũ eiuſdem communionis Patriarchæ, aut Epiſcopi, ſacris ſimul operentur, etiamſi lingua diſſentiant. Id quod Romæ etiã in Græcorum Eccleſia factum aliquando vidimus, cum Rhutenus Epiſcopus linguâ Cyrilliacâ faceret, Græcus ſacerdos, atq; diaconus patrio idiomate, more gentis, cũ eo ſacra myſteria peragerent. Atq; è vetuſto illo more ortũ videtur id, quod &, Nicolao Pontifice, Conſtantinopoli fiebat, & Romæ etiã nunc vſurpatur, vt ſolemni ritu ſacrũ faciente Pontifice, Latinè, & Græcè, Apoſtolica, atq; Euangelica lectio recitetur. Nã quia, diuiſo Imperio, Græcorũ, Latinorumq; cõmercium eſt ſublatũ; neq; niſi raro, Romanæ Eccleſiæ reſponſalis Conſtantinopoli viſebatur; ac ne Romã quidẽ Conſtantinopolitani diaconi ventitabant, ne ſublata Eccleſiarũ cõmunio videretur; retentus eſt mos in vtraq; Eccleſia, vt ab alijs diaconis tum Græcè, tũ Latinè Apoſtolica, atq; Euangelica lectio pronunciaretur. Qua de re vide plura in adnotationibus Careophili.

Quæ cum ita ſint, ineptiſsima Caſauboni coniectura refellitur, qui ne, ſi conſtaret ſibi, abalienatus à ſeipſo videretur; quam hiſtoriam parũ probabilem paulo ante dixerat, eam paulo poſt probabilẽ eſſe docet, *ſi dextrè accipiatur. Papa narratio*, inquit, *nihil habet neque admirabile, neque à probabilitate alienum, ſi dextrè accipiatur..* hoc eſt ſi ſenſum inuertas; atque alia omnia ſcribi à Pontifice ſomnies. Hæc eſt enim nouorum interpretum in exponendis, non Pontificum modo, ſed diuinis etiam literis, dexteritas. *Apparet*, inquit, *eos qui hoc Nicolao dixerunt de Eccleſijs illis noua Roma loquutos eſſe, ad quas conueniebant plerique omnes Latini, aut Latina lingua periti: Graci vero non adeo multi. Merito igitur partis maioris habita eſt ratio: ſed nec pauci illi Graci ſunt contempti, in quorum gratiam inſtitutum, vt qua legebantur è ſacris literis, Gracè mox iterum legerentur.* Quæ autem fuiſſet vis in argumẽtatione Pontificis, ſi de Latinorum Eccleſijs, qui Conſtantinopoli verſabantur, ea intellexiſſet, cum nullo negotio reſpondere poſſet Imperator, linguam Latinam, quam execraretur, ac barbaram duceret, nõ in Græcorũ Eccleſijs, quorum ipſe ritus, ac cæremonias ſectaretur; ſed in Latinorum conuentibus vſurpari; quibus patriam linguam, quanuis barbaram, quod ea delectarentur, permitteret: Verba quidem Nicolai apertè ſignificant eam conſuetudinẽ in iis Eccleſijs viguiſſe, quas adire ſacrorũ cauſa ſolitus eſſet Imperator. *Si adhuc*, inquit, *plane illam execramini, etiam ab Eccleſijs veſtris remouere ſatagite.* Neque vero quia nunc Romæ Eccleſiam, quò conueniant, habẽt Græci, ſi quid in ea vſurpatur, id à Romana Eccleſia dici põſt vſurpari. Cur igitur cũ eã conſuetudinẽ Conſtãtinopolitanæ Eccleſię nominatim

Digitized by Google

tim tribuat Nicolaus,ad neſcio quas Latinorum in ea vrbe Eccleſias refera-tur?

Sed illud apertiſsimè ſiniſtram hanc Caſauboni dexteritatem refutat, quod morem eum Latinè prius,deinde Græcè Apoſtolicas,atque Euange-licas recitandi, *in ſtationibus* viguiſſe, auctor eſt Nicolaus. Quis autem qui ſubiectam modò *ſtationum* vocabulo notionem intelligat, non miretur, cùm hæc apud Caſaubonum legerit? Romæ certè,vbi etiam nunc nomen, atque ex parte etiam vſus ſtationum viget, hæc ſine riſu legi non poſſunt. Nam vt Panuinius ſingulari eruditione vir, in libello *de ſtationibus vrbis Romæ*, multis è Tertulliano, & Cypriano probat; *ſtationes in veteri Eccleſia fuère ſolemnes fidelium in Eccleſiam conuentus, quibus præmitteretur ieiunium, quæ nunc ex antiquitate vix Romæ relictæ ſunt obſeruatione, vt ille ſcribit, veteri per ma-nus tradita & retenta. Nam veteres Romani Pontifices ſtatis quibuſdam, feſtis præ-cipuè, & Quadrageſimæ diebus ad diuerſas vrbis Eccleſias accedebant, vbi ſermone, vel concione ad populum habita, & oratione ad Deum facta, diuina myſteria poſtea cum clero, & populo Romano celebrantes, participabant.* id q; teſtimonijs Actorũ Damaſi, Anaſtaſij Bibliothecarij, Ioãnis Diaconi, & Petri Mallij probat. Ad-dit prętereа *in vrbe vnamquamq; Eccleſiã ſtationalem vicinam habuiſſe aliquam aliã ſacram ædem, in qua,* inquit, *populus die ſtationis colligebatur; & ibi dicebatur collecta ſuper populũ collectum. & exinde omnes ſimul proceſsionaliter ad Eccleſiã, in qua erat ſtatio, accedebant; ſolemniq; miſſarum ſacrificio, & concioni intererant.* Auctor eſt etiam Petrus Mallius, B. Gregorium *ſtationes cum primicerio, cantoribus regio-narijs, acolitis, cruce ſtationali præcedente facere conſueuiſſe.* Cui conſentit Ioan-nes Diaconus, lib. 2. vitæ B. Gregorij, qui illud etiam addit: *Beatum Pontifi-cem per ſtationes diſcurrentem, dum adhuc eloqui præualeret, quadraginta homilias Euangelij coram Eccleſia diuerſo tempore declamaſſe.* Similem porrò obeundi ſa-cras ædes ſupplicabundum cum populo Patriarcham, ibique ſacris ope-randi in Eccleſia Conſtantinopolitana conſuetudinem olim fuiſſe; conſtat è vetuſtiſsimo Pontificali eius Eccleſiæ libro, quem centum & octuagintà circiter ab hinc annis Iuliano S.R.E. presbytero Cardinali S. Sabinæ dono dedit Georgius Varius Græcus presbyter, qui liber nunc aſſeruatur in monaſterio Cryptæ ferratæ. vbi in ordine ſupplicationum, poſtquam ad forum ventum eſt, ibique publicè peracta à Patriarcha oratio καὶ τοῦ διακόνου, inquit, κηρύσσοντος τὴν ἐν τῷ ἁγίῳ Ἰωάννῃ σύναξιν, ἀπέρχεται ἐκεῖ καὶ ποιεῖ τὴν λειτουργίαν *& diacono indicente conuentum in S. Ioannis, diſcedit eo, & facit miſſam.* In officijs etiam Sabbati maioris hebdomadæ, poſt celebratum ba-ptiſmum in maiore baptiſterio, atque peractam orationem καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν ταύτην, inquit, ἀποδύεται τὴν στολὴν τῶν βαπτισμάτων καὶ βάλλει τὰ τῆς λειτουργίας, καὶ ὑπάγει εἰς τὸν ἅγιον Πέτρον, καὶ τῶν ψαλτῶν λεγόντων, ὅσ' εἰς χριστὸν ἐβάπτισθη, χρίει τῷ ἁγίῳ.

ἁγίῳ μύρῳ τοὺς βαπτισθέντας, &: καὶ μετὰ τοῦτο συμψάλλων τοῖς ὀρφανοῖς, τὸ μακάριοι ὧν. &: εἰσέρχεται μετὰ τῶν νεοφωτίστων εἰς τὴν εἴσοδον καὶ τελεῖ τὴν θείαν λειτουργίαν. Et poſt precationem hanc exuitur ſtola baptiſmatum, & ſumit veſtimentum miſſæ, & vadit ad ſanctum Petrum, & cantore dicente; quotquot in Chriſto baptizati eſtis; vngit ſancto vnguento baptizatos, &c. Et poſt hoc canens cum orphanis; Beati quorum, &c. vadit cum recens illuminatis in introitum (altaris) & perficit diuinam liturgiam. Qui potuit igitur in mentem venire Caſaubono ea, quæ in ſtationibus vſurpabantur, ad priuatum, neſcio quem, certæ vnius nationis conuentum pertinuiſſe? cum totius populi, clerique & ſummi ſacrorum antiſtitis conuentu ſtationes celebrarentur: iſque concionem in ſtationibus habere, diuina myſteria peragere, atque Euchariſtiam populo diſtribuere ſolitus eſſet. Neque enim alia notione ſtationum vocabulo vti potuit Nicolaus, quàm quæ ſubiecta ei iam inde à primis Eccleſiæ temporibus; atque apud Romanos, quorum lingua vtebatur, vſitata fuerat. Sed in Heliogabali, aut Neronis vita, moribuſque, quàm in veteris Eccleſiæ inſtitutis magis verſatus erat Caſaubonus.

De Canonibus Concilij Laodiceni, & Agathenſis; deq́; conſuetudine mittendi eulogias, & audiendi miſſam errata Caſauboni.

CAPVT XV.

EXercitationis 16. de benedictionis, ſiue εὐλογίας nomine diſputans; *Appellarunt*, inquit, [veteres] *εὐλογίας, partes conſecrati panis, quas moris erat in primitiua Eccleſia mittere ad alias parœcias, aut ad peregrinos ἐπιδημοῦντας declarandæ dilectionis ergo, & conſenſionis in fide. Euſebius in quinta hiſtoria cap. 26. πέμπειν εὐχαριστίας id dixit: poſtea illa conſuetudo fuit prohibita. exſtatq́; ſumma canonis Concilij Laodiceni in hac verba etiam apud Balſamonem περὶ τοῦ μὴ τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν κατὰ τὴν ἑορτὴν εἰς ἑτέρας παροικίας μεταπέμπειν. Vbi notat Scholiaſtes fuiſſe olim moris miſſitare huc illuc ſancta myſteria, ſiue panem ſanctificatum in vſum myſteriorum, quod hoc canone prohibetur.* Sed feſtinantius hæc, & minore diligentia lecta, ac perpenſa eſſe oportet à Caſaubono, quàm virum eũ deceret; quem, vt credi Caluiniani volunt, nulla pars eruditionis lateret,. Nam Concilij quidem Laodiceni canon non modò non id oſtendit, quod ait Caſaubonus; ſed eius ſententiam planè euertit. Siue enim ita vertas; *de ſanctis inſtar eulogiarum per ſolemnitatem Paſcha in alias parœcias non mittendis*; cùm caueatur eo canone, ne ſancta myſteria eo modo huc illuc mittãtur, quo mitti benedictiones, ſiue eulogiæ ſolent; apertè ſancta myſteria diſtinguuntur ab eulogijs. ſiue veterem interpretationem ſequutus, ita malis reddere; *Ne ſancta myſteria eulogiarum loco per Paſcha ſolennitatem in alias parœcias tranſmittantur*; ne ſic quidem eulogiæ nomen pro ſanctis myſterijs vſur-

Digitized by Google

vſurpatur. Qui igitur probat Caſaubonus partes conſecrati panis, quę mitti in alias parœcias ſolerent, eulogias à veteribus appellatas? Neq; verò colligi ex illo canone ſatis poteſt id in veteri Eccleſia in more poſitum fuiſſe, vt ad alias parœcias Euchariſtia tranſmitteretur. Sed ſi res ea vſurpari à nõnullis cœpiſſet, vt benedictionum loco Euchariſtia mitteretur; potuit id à concilio damnari, vetarique, ne quod vſurpari à nonnullis cœperat, id in communem vſum, & conſuetudinem paulatim abiret. Nam Scholiaſtes, quẽ laudat Caſaubonus, quanti ſit eo loco faciẽdus, ea eius verba ſatis oſtendũt. *Latinos azyma ſanctificata diſtribuere, vt communia.* Quibus verbis cùm abrogari homini fidem videret, pro ſua videlicet fide, ſubticuit ea Caſaubonus. Quis enim vel fando vnquã audiuit, apud Latinos nullo diſcrimine Euchariſtiam, vt panem communẽ habitum? Cæterùm, quid eo canone ſibi Laodiceni Patres voluerint; vide apud Baronium ad ann. CCCX[illegible]I. num. LII.

Sed neq; locus ex hiſtoria Euſebij prolatus à Caſaubono *figmentum eius tuetur*, inquit Ducæus; nec immeritò quidem. Nam ea quidẽ Irenæi verba, quæ apud Euſebium legerat, viri eius referentem ad Victorem Pontificem literas; pro ſingulari ſua eruditione, Euſebij eſſe credidit; nihil habent cum eis commune, quę hoc loco probare nititur. Eulogias enim appellari ſolitã Euchariſtiã, quæ ad alios communionis gratia mitteretur, non probat, cùm in tota ea Irenæi epiſtola ne mẽtio quidem vlla eulogiarum ſit. porrò trãſmitti cõſueuiſſe in alienas parœcias Euchariſtiã, non magis ex eo loco colligere, quàm demonſtrare poteſt, ſanum eſſe ſeſe, ac ne ab alijs quidem, quàm à Rom. Põtificib. id factitatum eſſe, cùm aliarum Eccleſiarum Epiſcopi ad eos accederent, effici ex eo quidẽ loco poteſt. Scribit. n. Irenęus ad Victorẽ Rom. Pontificem, qui Aſianos Epiſcopos, quod non die Dominico, ſed 14. Lunæ Paſcha celebrabãt, communione Eccleſiaſtica priuauerat; hortaturq; vt maiorum ſuorum veſtigijs inſiſtat, qui cùm die Dominico Eccleſiæ ſuæ more Paſcha ſemper feciſſent, ab eorum tamen communione nunquam ſeceſſerunt, qui 14 Lunæ die celebrare illud conſueuerant, cùm illis Romam venientibus etiam Euchariſtiam mitterent. *Sed & presbyteri*, inquit, *qui te anteierunt ætate, tametſi minimè illud obſeruarũt* [vt 14. die Lunæ Paſcha facerent] *Euchariſtiã illis Epiſcopis miſerunt, qui in alijs Eccleſiis idẽ ſic obſeruabant.* Quapropter in editione Baſiliẽſi adnotauit neſcio quis ex hoc Irenęi loco apparere; *ſi Epiſcopus aliquis Romam veniſſet, Pontificem Romanum Euchariſtiam hoſpiti tranſmiſiſſe.* Qui autem conſequens eſt primùm, vt quod Romanus Pontifex facere conſueuiſſet, id à cæteris etiam Epiſcopis vſurparetur? Pallium quidem iam inde ab antiquiſsimis temporibus Archiepiſcopis mittunt Romani Pontifices: neque verò ita quiſquam inſanit, vt id ad cæteros etiam primates transferre velit. Eſt etiam id in more poſitum, vt iter

facienti

facienti Romano Pontifici ſacra Euchariſtia præferatur: quis id præter eum tota Eccleſia vſurpat? Iam ſi venientibus Romam Epiſcopis Euchariſtiam tranſmittebat, quî conſectarium eſt, extra Romanam parœciam mittere conſueuiſſe? cùm potuerit aduentantibus iam ad vrbem, hoc eſt, Romanam parœciam ingreſsis tranſmittere. Denique, quod in excipiendis Epiſcopis præſtari ſolitum eſſet, id vulgò cæteris etiam exhiberi conſueuiſſe, Caſauboniana nimirum Dialectica concluditur. Nam alioqui, niſi docuerit eandem cauſam Epiſcopi, ac cæterorum hominum fuiſſe, id profectò nunquam euincet. Laodicenum porrò Canonem ad hanc Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem non referri, non ex eo modo euidenter efficitur, quod prouinciale Concilium, atque illud quidem habitum in Oriente, nihil habere iuris, aut vindicare ſibi potuit in alienæ prouinciæ (vt omittam Romani Pontificis primatum in totam Eccleſiam) eamque principem Occidentis Eccleſiam. Sed etiam, quia non conſtat Euchariſtiam extra Romanam parœciam mitti à Pontificibus conſueuiſſe. Adde quod mos ille, quem vel abolere, vel cauere, ne ſenſim obtineret Synodus Laodicena voluit, in eo potius erat, quod per feſtiuitatem Paſchæ Euchariſtia in alienas parœcias tranſmittebatur. Neque ſi quis alio tempore tranſmittere Euchariſtiam in alienas parœcias voluiſſet, eo quidem Canone prohibebatur, cùm externorum Epiſcoporum Romam aduentus nullo certo tempore contineretur.

Locum hunc exercitationis 16. caput LVIII. claudat; in quo *nouam*, vt ait Sermondus, *atq; inauditam Grammaticam nos docet Caſaubonus*, dum perſuadere nobis nititur, *Miſſam audire* apud antiquos Scriptores idem eſſe quod *in Miſſa communicare:* idque Agathenſis Synodi, Ambroſij, Euſebij, & Cæſarij, ſi Deo placet, auctoritate confirmat: ac, ne locus interim calumnia careat, Catholicos carpit; *quibus Miſſa*, inquit, *communio non eſt, verùm acroama duntaxat, & ſpectaculum*; quaſi Eccleſia Catholica miſſam eſſe vllam putet, ſine communione, ac perceptione Sacramentorum; quam vſque adeò ſeparari à ſacrificio non poſſe exiſtimat; vt ſi poſt confectum Chriſti corpus caſu aliquo Sacerdos impediatur, quo minus percipiendis Sacramentis conſummare ſacrificium poſsit, alium vocari iubeat, qui rei ſacræ finem communione imponat. Sed aliud eſt miſſam à communione ſeiungere; aliud eos, qui ſacrificio interſunt, ad communionem compellere. Sed nunc quod inſtat, agamus. nam ea de re alio fortaſſe loco cum doctioribus aduerſarijs diſputabitur. Agathenſis concilij decretum expendendum nobis hoc loco eſt.

Probat igitur Caſaubonus *miſſam audire, idem apud veteres eſſe, quòd cùm interfueris miſſa, communicare: quia apud Gratianum ex Agathenſi concilio iubentur*

ſecu-

ſaculares Miſſas die Dominico totas audire. Quod autem eſt verbum? aut quis demum eius canonis apex? quo ſignificetur idem eſſe *Miſſas audire*, *quod communicare*, cùm interfueris ſacrificio. Quis iam magni huius Dialectici argumentationem non iure ſuſpiciat? qui ita ratiocinetur. *Iubentur ſaculares miſſas die Dominico totas audire: miſſas igitur audire eſt Euchariſtiam in ſacrificio ſumere.* Quid autem ſit miſſas totas audire; quæ proximè ſequuntur eius canonis verba apertiſsimè declarant. *Miſſas*, inquit Concilium canone 47. *die Dominico ſaculares totas audire ſpeciali ordine præcipimus; ita, vt ante benedictionem ſacerdotis, egredi populus non præſumat.* Quæ qui legerit, dubitare non magis poteſt, quò ſpectent, quàm niſi cæcus planè ſit, an meridie luceat. Nam quia mos inductus erat, vt poſt auditas ſacrorum librorum lectiones multi diſcederent, neque ſacrificio intereſſent, conditus eſt canon ille 47. vt ne antè diſcederent, quàm benedictione de more à Sacerdote accepta, dimitterentur. Teſtis eſt huius rei Arelatenſis Cæſarius homilia 12. qui Agathenſi Concilio ipſe præfuit, cuius homiliæ ea inſcriptio eſt; *Admonitio, per quam ſuadetur, vt omnis populus, donec diuina myſteria celebrantur, in Eccleſia fideles expectent.* Quam homiliam, quia pro paradoxo ſuo citare non puduit Caſaubonum, libet ex ea nonnulla proferre, vt Lector intelligat, quàm parum is in ſcriptis veterum vel verſatus fuerit, vel intellexerit. Initium illud eſt: *Rogo vos, fratres chariſſimi, & paterna pietate commoneo, vt quoties aut in die Dominico, aut alijs maioribus feſtiuitatibus miſſæ fiunt, nullus de Eccleſia diſcedat, donec diuina myſteria compleantur.* An etiam *de Eccleſia non diſcedere*, apud veteres, *Euchariſtiam eſt ſumere*? Et poſt pauca: *Qui vult miſſas ad integrum cum lucro ſuæ animæ celebrare, vſquequo oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore, & compuncto corde ſe debet in Eccleſia continere.* Quod hic communionis ſumendæ vel leue veſtigium? Quis ſatisfactum aut Concilij canoni, aut monitionibus Epiſcopi non putaret? ſi quis, quanuis à cõmunione abſtineret; *in Eccleſia tamẽ humiliato corpore, & cõpuncto corde ſe cõtineret vſq; quo oratio Dominica diceretur, & benedictio populo daretur?* Sed hæc tamen ipſa Caſaubono ſumptionem Euchariſtiæ ſignificant: quia homilia illa 12. Cæſarius ita loquitur. *Si diligenter attenderitis; cognoſcetis, quod non tunc fiunt miſſæ, quando diuinæ lectiones in Eccleſia recitantur; ſed quando munera offeruntur, & corpus vel ſanguis Domini conſecratur.* Sunt iſta vera, Caſaubone; nam Propheticæ, vel Apoſtolicæ lectiones appendices potius Miſſæ, quàm Miſſa ſunt; cuius eſſentia in oblatione, conſecratione, ac ſumptione Sacramentorum eſt poſita. Ob eamque rem meritò reprehendit eos, qui cùm lectionibus intereſſent, reliqua negligebant. Atque ideo pergit in hæc verba; *Nam lectiones, ſiue Propheticas, ſiue Apoſtolicas, ſiue Euangelicas etiam in domibus veſtris aut ipſi legere, aut alios legentes audire poteſtis; con-*

Digitized by Google

ſecratione vero corporis & ſanguinis Chriſti nō alibi niſi in domo Dei audire, & videre poteritis. Audire eos, & videre cōſecrationē, nō etiā ſumere cōſecrata iubet Cæſarius. Qui ſi quis hoc fecerit, *vt humiliato corpore, & cōpuncto corde, in Eccleſia ad benedictionē ſacerdotis perſiſtat, eū miſſas ad integrū, cū lucro animæ ſuæ celebraturū* pronūciat. Iā verò non idē apud Conciliū eſſe miſſas audire, ac ſacra myſteria ſumere, è can. 18. perſpicuū eſt. *Sæculares*, inquit, *qui in natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte non cōmunicauerint; Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Quorſum autem duos eadem de re canones, & quidem ſecum pugnantes concilium condidiſſet, vt cùm ſumendæ Euchariſtiæ ter tantum ſingulis annis neceſſitatem ſæcularibus 18. canone impoſuiſſet, canone deinde 47. idem diebus Dominicis fieri *ſpeciali ordine præciperet?* Ambroſium etiam ſerm. 34. eadem loquendi formula id ſignificare voluiſſe contendit. Nam poſt ea verba prolata, *Moneo vt qui iuxta Eccleſiam eſt, & ſine graui impedimento poteſt, quotidie audiat miſſam. Hic*, inquit, *miſſam audire non dicitur ad excluſionem communionis, vt hodiernus error poſtulat; ſed de eo, qui & liturgiam audiat, & communionem ſumat. Subijcit Ambroſius; In quadrageſima verò moneo, vt die omni, aut ſaltem, vt dixi, omni Dominica offeratis, & communicetis.* At hic quidē Caſaubonus, niſi planè ſtolidus eſt, ſciēs fallit. Vbi enim in ijs, quę ſupra ꝓtulit, Ambroſij verbis mētio vlla, *miſſæ ſaltem omni Dominica audiendæ?* Qui autē potuit Ambroſius, de qūa re prius loquutus non fuerat, de ea ſcribere ſe dixiſſe? *Monuit* ante, *vt qui propè Eccleſiam eſt, & ſine graui impedimento poteſt, quotidie miſſam audiat.* Poſt tres circiter comprehenſiones iterum monet, vt *in quadrageſima auditores ſui omni die, aut ſaltem, vt dixit omni Dominica offerant & communicent: ergo cùm monet vt omni die miſſam audiant, monet vt Dominico quoque die communicent.* Et hæc non dicam homini, ſed omnino cuiquam, qui humana modò verba ſonare didicerit, in mentem venire poſſunt? Neque pudet Caluinianos hac vel fide, vel diligentia in rerum diuinarum tractatione verſari? At nihil erat in eo quidem Ambroſij loco aliud, quò referri ea verba commodè poſſent: Ita credo: nam eam etiam ob rem, ſublatis medijs Caſaubonus, cum primis extrema coniunxit. Alioqui faceſſere negotium ea verba potuiſſent. *Exceptis illis, quibus Sacerdos conſilium dat, vt non communicent, omnes Chriſtiani omni Dominica debent offerre, & communicare.* Quibus proximè ſubijcit ea, quæ Caſaubonus trunca profert, *In quadrageſima verò moneo, vt die omni, aut ſaltem, vt dixi, omni Dominica offeratis, & communicetis.* Id ergo minimum ab auditoribus ſuis exigit Ambroſius *in Quadrageſima*, quod toto anno fieri à Chriſtiano par eſt: vt ſin minus *omni die, ſaltem omni Dominica in Quadrageſima offerant & communicent.* Neq; neceſſe fuit tam longè petere, quo referret ea verba, quæ cū proximè ſuperioribus eſſe coniūcta nemo, qui locum inſpexerit, dubitare poteſt. Certè cùm *monuit, vt in Quadra-*

dra-

Digitized by Google

dragesima omni die missam audirent ; oblationis mentionem nullam omnino fecit. Aut igitur missam audire, non modo communicare, ſed etiam offerre ſignificat apud Ambroſium; aut ea verba; *vt dixi, ſaltem omni Dominica offeratis, & communicetis*, ad id, quod proximè dixerat eſt referendum. *Omnes Chriſtiani omni Dominica debent offerre, & communicare.*

Græcos etiam æquales Ambroſio, aut eo priores ita locutos dicit. Sed eam ad rem vnum profert Euſebium, è quo, more ſuo, nihil colligat. *Euſebius*, inquit, *hiſt. Eccl lib. 7. cap. 9. εὐχαριστίας ἐπακούειν missam audire. de eo dixit, quem narrat communicaſſe. Pari modo*, inquit Sermondus, *concludere liceret; missam audire de eo dixit, quẽ narrat fuiſſe baptizatũ: ergo miſſa eſt baptiſmus.* Quòd verò Dionyſius Alexandr. (nam eius apud Euſebium, non Euſeb. ea verba ſunt) dixit ad eam miſſæ partem propriè pertinet, quæ dicitur conſecratio; quam veteres Græci εὐχαριστίαν quaſi gratiarum actionem appellabant; vel quod conſecraturus ſacerdos à gratiarum actione rem auſpicatur; qua cùm corpus ſuum diſcipulis traderet, vſus Dominus ab Euangeliſtis memoratur; vel quod, vt ex Iuſtino, atque ex Irenæo colligitur, εὐχαριστεῖν actiua ſignificatione erat apud eos Euchariſtiam conficere. Vide Bellarm. lib. 2. de Euchar. cap. 6. §. 1. & §. 5. *vnum argumentum.* Certè Sacramentum ipſum etiam nunc vulgò Euchariſtiam appellamus. quò ſpectant ea Iuſtini verba, apol. 2. de ſacerd. ſacris operante οὗ συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων, Ἀμήν. *At vbi ille preces & gratiarum actionem abſoluit populus, qui adeſt omnis fauſta approbatione acclamat; Amen.* Quo loco εὐχαριστία ſiue *gratiarum actio*, ſine controuerſia, pro conſecratione ſupponitur. Viget enim etiam nunc apud Græcos ea conſuetudo, vt prolatis Domini verbis, quibus, quod diſcipulis præbebat, corpus & ſanguinẽ ſuũ eſſe profeſſus eſt; reſpõdeat vniuerſus populus, Amen. Hanc porrò eſſe Dionyſij eo loco mentem; ipſa eius verba fidem apertiſſimè faciunt. Scribens enim is ad Xyſtum Romanum Pontificem, de eo, qui baptizatus olim ab hæreticis, quod ab ijs ritè peractum myſterium negaret, ſummis precibus flagitabat, vt in Catholica Eccleſia iterum baptizaretur. *Diuturnam illam communionem*, inquit, *qua fuerat cum fidelibus ſociatus, ſatis habere virium ad eius animam purgandam affirmabam.* Quænam autem ea communio fuerit, qua ſatis purgari eius animam potuiſſe credebat Dionyſius, ſic explicat: *Qui enim gratiarum actiones audiſſet; qui Amen vnà pronũtiaſſet; qui adſtitiſſet menſæ; qui manus ad ſanctum illud alimentum capeſſendum porrexiſſet; qui illud recepiſſet, qui tam longo tempore fuiſſet corporis & ſanguinis eius particeps, eius baptiſmum non audebam de integro renouare.* Nam quia poſt Euangelium recitatum in Eccleſiam catechumeni dimittebantur; intereſſe conſecrationi, atq;, *Amen*, cum reliquo fidelium cœtu reſpondere communionis erat. Cui deinde reliqua ſubijcit quæ ad ſumptionem Euchariſtiæ pertinebant, *ad menſam accedere, manum porrigere, Euchariſtiam accipere,*

ac demum manu acceptam ſumere: non igitur pro eodem ponit Dionyſius Euchariſtiam audire, atque corporis & ſanguinis Domini participem fieri, niſi idem etiam apud eum, auctore Caſaubono, ſit *Amen reſpondere*, ac ſacramentum corporis, & ſanguinis Domini ſumere. Neque enim minus eum, qui *Amen vnà pronunciauit*, quàm qui *Euchariſtiam audiuit*, ſcribit Dionyſius corporis, & ſanguinis Domini participem eſſe factum. Sed hæc vigilantium ſomnia ſunt, ad emulgendam, oblectandis eius auribus, Sereniſsimi Regis crumenam bellè compoſita.

Ioſephus Hebræus exercitat. I. cap. XXIX. perperam à Caſaubono defenſus.

CAPVT XVI.

AD hunc etiam locum, qui de eius eſt in hiſtoria peccatis, referenda videntur ea, quæ pro Ioſepho tam ſæpè diſputat Caſaubonus: cuius, pro *ea, quæ inuicem eſt eius, atq; ſua in Deum ac Dominum Ieſum fide*, vel fidem, vel diligentiam in hiſtoria reprehendi ægerrimè patitur: ac perinde, quaſi vereatur, ne quid imminuta Iudæi ſcriptoris exiſtimatione, Euangelium Geneuenſe detrimenti capiat, in eam curam diligenter incumbit, vt perſuadeat lectoribus aut nulla in re, aut quàm leuiſsimè Ioſephum hallucinatum eſſe. Non vacat ſingula percenſere. vnum modò, aut alterum locum exempli cauſa proferam.

Exercitationis primę, nono ac vigeſimo capite pro Ioſepho diſputaturus: ne quid inauſpicato feciſſe ſuis fortè videretur, ſi ſecus faceret; à calumnia rem orditur *Baronius*, inquit, *Ioſephum ſerio inuaſurus, cum Luca prius ipſũ componit:* atque in iniuriam Euangeliſtæ fieri deinde queritur, qui cum Iudæo comparetur. At quæ tandem iſta comparatio eſt. Miratur Baronius num. 82. quòd Beza ad hiſtoriæ Ioſephi normam exigere B. Lucæ Euangelium auſus ſit: cuius non apud Chriſtianos tantum, qui ad auctorem Deum diuina oracula referant; ſed apud ipſos etiam æquos modò rerum ęſtimatores ethnicos, tantò maior futura ſit auctoritas, quàm Ioſephi, quantò plus meretur fidei, qui, cùm neque in vita, neque in ſcriptis eius quicquam reprehenſione dignum inueniri potuerit, res etiam ſui temporis mandet literis, quàm is, qui & res multò antè geſtas monumentis conſignet, & ſæpè aliàs in hiſtoria lapſus ſit. En illa Euangeliſtæ cum Ioſepho tam odioſa comparatio, quæ religioſas, videlicet, aures Caſauboni vulnerauit. Ioſephi deinde cauſam agere aggreſſus; *quinq; argumenta*, inquit, *in eam rem afferuntur:* id eſt, exempla quibus cõfirmatur, non inuſitatum ei ſcriptori eſſe in hiſtoria labi. Neq; verò, cùm probari nulla alia ratione poſsit, vſitatum eſſe quippiam, niſi ſæpius vſurpatum id eſſe demonſtres. ea omnia exempla, niſi vnius argumenti vim habent. Et diſsimulaſſem id tamen in homine Grãmatico, neq; Dialecticis

im-

imbuto, niſi exercitationis 1. cap. 32. in virum, vt ait, *eruditiſsimum, atque amplisſima dignitate præditum* ipſe ita ſcripſiſſet; *Mihi videtur valde nouum & inſolens, quod vnius obſeruationis variæ exempla totidem appellentur argumenta. Atqui argumentum quidem vnicum eſt nempe vocem πρῶτος ſæpe vſurpari pro πρότερος; aſſertio vero huius argumenti varia, & exemplorum benigna copia.* Sed vocet ea ſanè pro libidine, atque inſcitia ſua, vel exempla, vel argumenta, dum apte diſſoluat Caſaubonus.

Primum eſt huiuſmodi. Ioſephus ab Actiaca victoria ad Quirini aduentum in Iudæam cenſus faciendi cauſa, poſt damnationem Archelai, annos numerat triginta ſeptem: ſunt autem quadraginta: errat igitur Ioſephus.

Vellem illud addidiſſet, in quo tota vis eſt aſſertionis Baronianæ, quod ab Auguſto tertium, ac Meſſala Coſs. qui idem annus eſt Actiacæ victoriæ ad Quirini aduentum in Iudæam, anni numerantur omnino quadraginta. Caſauboni hoc loco fidem non deſideramus. Nam ijs quidem verbis, è faſtis conſularibus pronunciat i ſui confirmationem petit Baronius. Sed nimirum quæ difficile diluuntur, conſultius omittuntur. Neque vero meliore fide humana Caluiniani, quã diuina, tractare ſoliti ſunt. Sed quid pro Ioſepho reſpondeat, audiamus.

Imo vero ſunt tantum triginta ſeptem: ergo errat Baronius, Ioſephus vera dicit.

Bene eſt, argumentationem ſuam à petitione principij auſpicatur. Quid eſt enim aliud in quæſtione? niſi rectène Ioſephus ſeptem ac triginta annos eos numeret. Et mihi deinde ſuccenſet, quod dialecticæ ſibi inſcitiam obiecerim. Sed affirmationi ſuæ, cum ſine probatione, pondus nullum ineſſe cerneret.

Probatio, inquit, *facilis & certa. Actiatica victoria incidit in annum Iulianum* XV. *adde* XXXVI. *vt cum anno victoriæ fiant* XXXVII. *quos ait Ioſephus; efficias ſummam annorum Iulianorum vnius, & quinquaginta: is autem eſt annus Vrbis conditæ ſeptingenteſimus quinquageſimus nonus. de hoc anno Dio lib.* LV. ὅ Ἡρώδης ὁ παλαιστινὸς αἰτίαν τινὰ ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβὼν, ὑπὲρ τὰς ἄλπεις ὑπερωρίσθη, καὶ τὸ μέρος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐδημοσιώθη. *Nemo poteſt dubitare, iſtum Herodem Palaſtinum, quem ait Dio accuſatum fuiſſe apud Auguſtum à ſuis, qui exulatum Romæ miſſus eſt vltra Alpes, cuius Tetrarchia fiſco eſt adiudicata, eſſe Archelaum: Itaque Ioſepho exactiſsima conſtat fides, & Baronio poteſt dici* Λόγῳ μὲν ἡ μηχανὴ ἐνθάδε οὐδὲν ἔσπασε.

Qua in probatione, quam facilem, ac certam adeo retur Caſaubonus, multa mihi non vſque adeo expedita videntur eſſe. Primum non ſatis intelligo cum Septembri menſe ad Actium ab Auguſto cum Antonio pugnatum ſit, qua ratione quod reliquum eſt anni eius, hoc eſt ſpatium non

Digitized by Google

multo plus trimeſtri, pro anno integro numeret. Nam cum ſeptimo ac trigeſimo poſt pugnam Actiacam anno cenſum à Quirino actum in Iudæa Ioſephus memorat, idem prorſus eſt, ac ſi diceret, ſex & triginta integros ab eo tempore annos exactos eſſe; ac ſeptimum ſupra trigeſimum cũ fuiſſe: alioqui ſi ita inire annorũ numerum liceat; eum etiã, qui pridie natus ſit, vbi primum Kalendæ Ianuariæ illuxerint, alterum iam ætatis annum agere dicturi ſumus.

Nam quo tandem auctore comperit Caſaubonus, eodem prorſus anno Archelaũ regno mulctatũ, & cenſum à Quirino in Iudæa actũ eſſe? Quod tamẽ, ne vſpiã nõ deſipiat, pro cõperto hic accipit. Quid ſi. n. exeũte iã anno damnatus eſt Archelaus? tamen ne eodẽ anno deſignatũ Quirinum Syriæ præſidem, eodẽ ex vrbe diſceſſiſſe, eodẽ in Syriã appuliſſe, eodẽ cenſum egiſſe dicturus eſt? cũ vel ſi Kalendis Ianuarij lata in Archelaũ ſententia fuerit; vix fieri potuerit, vt vnius anni ſpatio ea omnia gererẽtur. Nã Auguſtũ, quẽ, quia humeris eius impoſita Imperij Romani moles, in totũ terrarũ orbem cogitationes diuidere, curaſq; partiri cogebat, in longum negotia, ea præſertim q̃ minime vrgerent, traxiſſe nõ ſimile modo veri, ſed plane neceſſariũ eſt; & ſatis vel noſtri ſæculi experimento conſtat, iam deſignatos à principe magiſtratus longas plerumq; moras in aula trahere prius, quã in prouincias proficiſcantur. Neq; vero in tã longinquo itinere, cũ tantã familiã, comitatũq; duceret, quantũ ampliſsimi viri in ſummis Imperij opibus, fuiſſe neceſſe eſt, nõ identidẽ ſubſtitiſſe, non ad amicos, ad hoſpites ad clientes diuertiſſe Quirinũ credibile eſt vt cũ ante exactã hiemẽ atque pacata maria, ſoluere ex Italia non potuerit: vix ſecunda etiã nauigatione ante Maiũ exeuntẽ in Syriã veniſſe veriſimile ſit. Iam cũ vbi primũ in prouinciã appulit, nõ continuo in Iudæã veniſſe, quæ Copponij procurationi proprie credita, minus ad eum pertinebat: ſed in Syriam, quam ipſe per ſe adminiſtraturus mittebatur rectà contendiſſe; ibiq; partim curandis corporibus longa nauigatione feſsis, partim inſpicienda prouincia, cognoſcẽdoq; rerũ ſtatu, antequã quicquã aliud aggrederetur; quod reliquum erat anni potuiſſe ſimillimũ veri eſt: vt ſi vel ea de cauſa negare Baronius velit, ad eundem annũ ea omnia pertinere, nihil habeat, quod cõtra mutire poſſit Caſaubonus. Quid ſi autẽ ſerius, vel damnatus ſit Archelaus, vel deſignatus Syriæ præſes, vel dimiſſus in prouinciam ab Auguſto Quirinus, vel aduerſa nauigatione vſus, hærere in itinere diu coactus ſit, vel cenſum, quẽ agere tota prouincia iuſſus erat, ante peragere in Syria, quam proficiſci in Iudeam voluerit? Qui tandẽ perſuaſurus eſt ſano cuiquã Caſaubonus ad eundẽ annũ hæc omnia pertinere? Atqui rem ita accidere potuiſſe; nemo non videt, vt in hac certa adeo, ac facili probatione nihil aliud ſit certi, niſi quod incerta ſunt omnia.

Sed

Digitized by Google

Sed fac ſane eo ipſo anno cenſum in Iudæa peractũ à Quirino, quo regno exutus eſt Archelaus; quid ex eo aliud effecturus eſt? niſi vel pugnantia Ioſephũ loqui, vel ad annum poſt pugnam Actiacam quadrageſimũ referri ea neceſſario oportere. Nã cũ non minus triennio Herodis vitæ Ioſephus. Caſauboni etiam confeſsione, detraxerit: atq; ab eius obitu, ad cenſum alterum à Quirino habitum in Iudæa, annos plus minus vndecim numeret; qui poteſt non pugnantia ſcribere; & vere tamẽ ad annũ ſeptimũ atque trigeſimũ à deuicto ad Actium Antonio, Quirinianum cenſum referre? Si.n. anno ab ea victoria tertio, atque vigeſimo mortuũ Herodẽ facit; annis ijs vndecim additis, quos ad Quirini in Palæſtinã aduentum fluxiſſe memorat, annos omnino numerare debuit quatuor & triginta. Sin autem anno ab ea victoria ſexto atq; vigeſimo Herodis obitũ adſcribit; efficit ille quidẽ vndecim eorũ acceſsione, qui poſtea ad cenſum interfuerunt, annos omnino ſeptem atq; triginta: ſed cũ triennium Herodis vitæ detraxerit, hallucinatus in eo eſt, quod Herodis obitum anno XXVI. adſcripſit, quem adſcribere anno XXIX. debuit: cui ſummæ ſi XI. addantur, anni omnino quadraginta efficientur: niſi concedere malit Caſaubonus Ioſephũ tres eos annos, quos de Herodis vita detraxit, Archelai regno addidiſſe, vt cũ annis non plus ſeptem regnauerit; decennium tamen integrum regno eius tribuerit.

Venio nunc ad Dionem, cuius quia immane in eo peccatum eſt, teſtimonio Caſaubonus tantopere delectatur. Res enim integro decennio diſiunctas ea narratione permiſcet Dio. Nam ter apud Auguſtum cauſam dixit Archelaus: ſemel, cum regni hæres teſtamento ſcriptus à patre, in ius ab Antipa Herode fratre vocatus, victor è iudicio diſceſsit: perorata enim vtrinque cauſa, *Cæſar,* inquit Ioſephus Antiq. lib. XVII. cap. XI. *Archelaum ad genua ſibi accidentem erexit humaniſsimè, dignum eſſe regno pronuncians, præ-ſeferens nihil ſe facturum, niſi teſtamento* (Herodis patris) *præſcriptum, & ipſi Archelao commodũ.* Iterũ cauſam dicere coactus eſt priore lite nondũ plane dijudicata. Cum.n. vt eodẽ loco Ioſephus auctor eſt, *Cæſar, dimiſſo concilio, ſolus ſecum deſpiceret, vnine regnũ ratum faceret; an cõmune ſineret Herodis generi? Venit,* inquit c. XII. Ioſephus, *Romam Iudæorum legatio poſtulans, vt eis liceat ſuis legibus viuere.* Nã Archelaum nondũ etiã cõfirmato ab Cæſare Herodis patris teſtamento, iugulatis in tẽplo tribus ciuiũ millibus, quid ab ſe rerum iam plane potito ſperari poſſet, non obſcurũ ſpecimẽ præbuiſſe. Quib. auditis Cæſar, quanuis nihil in præſentia pronunciarit; *paucis tamen poſt diebus,* vt Ioſeph⁹ c. 13. auctor eſt, *Archelaũ non regẽ declarat, ſed dimidia parte ditionis, quæ Herodis fuerat ei cõceſſa, ethnarchã eũ cõſtituit, regnũ quoq; pollicit⁹, quã primũ ille ſe tali honore dignũ redderet. Decimo autẽ principat⁹ Archelai an.* vt ſcribit li.

eius,

eius, cap. xv. Ioſephus, *primates tam Iudæorum, quam Samaritarum non ferentes eius tyrannidem, detulerunt eum ad Cæſarem*: à quo Romam iterum accerſitus, ac regno exutus, tranſalpes in exilium miſſus eſt. Apertiſsime igitur fallitur Dio, cum *Herodem Palæſtinum, agentibus fratribus, tranſalpes in exilium miſſum, ac ditionem eius publicatam eſſe ſcribit*. Nam fratrum quidem accuſatione, ne teruntio quidem vno mulctatus eſt; ſed prior popularium accuſatio alteram illi regni partem, nomenque regium ſuſtulit: poſterior, quam inter ac priorem ſolidum decennium intercesſit, omni eum ditione, ac patria etiam exuit. Quo loco, vt errantis hiſtorici teſtimonio tuto lectorib. fucum faceret, mira calliditate (nam libido animi, vel ſtolidis animantibus ingenium ſufficit) Caſaubonus ambiguitate vocabuli latebrā quæſiuit errato eius. Cum enim ita Latinè reddere debuiſſet; *Herodes Palæſtinus à fratribus accuſatus, &c. à SVIS accuſatum* reddere maluit, quod ea vox non minus commodè de popularibus, quam de fratribus poſſit intelligi. Atque hæc demum ea eſt adeo facilis, ac certa probatio, qua Caſaubonus efficit, *Ioſepho exactiſſime conſtare fidem*. Ac ne vſpiam ſine lexico deliret, Græco etiam verſiculo inſultat Baronio.

Quod funis illi nunc quidem nil traxerit.

ille nimirum qui Caſaubono patrem traxit. Nam alioqui neque Ioſephum defendi poſſe, & Dionem ipſum immaniter hallucinatum eſſe ſatis demonſtratum eſt.

In ſecundo Baronij exemplo nihil eſt cur diutius hæreamus, cum ne Caſaubonus quidem neget, Quirinum multis annis ante, quam iterum in Syriam mitteretur, conſulatum geſſiſſe: hoc eſt, cum de hiſtoria ſatis conſte; ſed in eo lis tota ſit poſita; ſignificetne Ioſephus, paulo antè, quam is præſes in Syriam veniret, conſulatu functum eſſe Quirinum; an id modo ſibi velit, virum conſularem eum fuiſſe cum in Syriam miſſus eſt.

Tertium, & quartum, quod vocat, argumentum Baronij in alium locū differt Caſaubonus. *Multo*, inquit, *adhuc futilius tertium argumentū de male narrata Herodis morte. Quartū quoque futiliſsimū & falſiſsimū de nouē annis vita Herodis à Ioſepho prætermiſsis, quas accuſationes tum docebimus inaniſsimas eſſe, cum ab auctore in medium proferentur*. Quid autem de male narrata Herodis morte Ioſepho vir præſtantiſſimus obijcit? *Obitum Herodis*, inquit Baronius num. LXXXIV. *recenſet biennio ante Chriſtum natum, adeo vt ea ratione non tantum qua S. Lucas de Herode ſcribit; ſed & qua Matthæus narrat, ſi Ioſepho demus aures, fide careant*. Vtrum igitur futile vult eſſe Caſaubonus? Herodem, Ioſepho quidem auctore, biennio antè vita functum eſſe? an potius ſi eo, quo Ioſephus memorat tempore, mortuum eum conceſſeris, ruere Euangeliorum fidem? Nam quo tempore B. Ioannes Bapti-

ſta

Digitized by Google

ſta conceptus eſt, ſuperſtitem adhuc Herodem Iudęæ regem fuiſſe; ex Euangelio Lucæ ſatis aperte colligitur: at Ioannis conceptum ſex omnino menſium ſpatio conceptu Domini priorem fuiſſe; Angeli apud eundem Euangeliſtam teſtimonio compertum eſt: vt neceſſe ſit aut Herodem biennio ante Chriſtum natum è viuis ſublatum non eſſe: aut Euangeliſtæ fidem labare, Matthæi vero Euangelium cum tota hiſtoria de magorũ aduentu, de puerorum infantium cæde, deque Domini in Aegyptum fuga, niſi Herode ſuperſtite natus ſit Dominus, ruere prorſus neceſſe eſt. Reliquum igitur eſt, vt, ſi quod eà de re Ioſepho Baronius obijcit, inane ac futile eſt; verum non ſit Herodis obitum ante Chriſtũ natum à Ioſepho recenſeri. Qui autem id affirmare poſſit, qui exercit. huius, cap. XXXIV. hæc ſcripſerit. *Principio illud profitemur non ſatis intelligere nos, qui poſſit per omnia fides Ioſepho conſtare in annis vitæ, regni, & mortis Herodis. Nam cum dubitare ſit nefas, quin ante obitum Herodis natus ſit Dominus noſter, ſicut ſacra Euangelia teſtantur, videtur Epilogiſmus rerum Herodis apud Ioſephum aliquanto breuior eſſe, quam poſtulet Euangelica demonſtratio.* Rationem etiam addit, cur id neceſſario fatendum ſit: *Quod ex illius ratiocinijs*, inquit, *conferenda ſit mors Herodis in annum Vrbis* DCCL. *Iulianum* LII. *vel ſi interpretatione adiuuare volumus eius calculũ, in annũ ſequentè, qui habuit Coſſ. Lentulũ & Meſſallinum; at qui hic eſt annus, cui Caßiodorus, Baronius, Ioſephus Scaliger, Sethus Caluiſius, & alij eximia doctrina viri natiuitatem Domini adſcribunt: ita vt Herodes in Vere ſit mortuus ante Paſcha; Chriſtus natus, vt fere hodie creditur* XXV. *Decembris. Quare Herodes prius fato functus fuerit, quam Chriſtus naſceretur.* Conſtat igitur Caſauboni teſtimonio, ſi ita, vt res ab Ioſepho narrantur, accipiendæ ſint; anno vno, nouem circiter menſibus Herodem antè mortuum eſſe, quam Dominus naſceretur: ſi benignè eius verba interpretari libeat, ortum Domini nouem menſibus Herodis morte poſteriorem eſſe. Quorum vtrumque cum Euangelio Matthæi, prius illud, etiam cum B. Lucæ narratione pugnat. Quid igitur illud in tertio (quando ita libet dicere) Baronij argumento, adeo futile? aut vbi tandem demonſtraturus id eſt Caſaubonus? cùm cap. quarto atque trigeſimo, quod ea de re inſtitutum eſt, liberè profiteatur, *non ſatis intelligere ſe, qua ratione in annis regni, vitæ, ac mortis Herodis cum Euangeliſtis Ioſephus conueniat?*

De prætermiſſis à Ioſepho annis nouem vitæ Herodis capite inſequenti diſputaturi ſumus: quod quamuis ea de re magnoperè nihil affirmare poſſim: multa tamen habet Caſauboniana Ioſephi defenſio, quæ hominis vel inſcitiam vel væcordiam luculenter probent.

Quintam Baronij criminationem hanc numerat. *Ioſephus lib.* XV.

Digitized by Google

cap. XIII. *ſcribit anno* XVI. *Herodis Regis Varum fuiſſe præſidem Syriæ: idem lib.* XVII. *Varum ſucceſſiſſe Sentio Saturnino tradit: Varum autem iterum in Syriam fuiſſe miſſum, ne ipſe quidem Ioſephus ſcribit.*

Sit ſane ea quinta Baronij criminatio, quam ſiue conſilio, ſiue incuria mutilam Caſaubonus attulit. Monet enim Baronius ne leue id erratum cuipiam videatur, annos ipſos viginti inter vtrumque præſidem inter eſſe. Sed reliqua videamus.

Hæc Baronius, inquit, *nimis profecto ſecurus exiſtimationis ſuæ. Nam iſta quidem accuſatio non eſt dicenda; ſed mera calumnia.*

Ego vero, qui in arte cuique ſua credi oportere ſciam, Caſaubono de calumnia pronunciantí fortaſſe crederem, niſi pugnantia loqueretur. Qui enim calumniæ conueniri poſſit is, qui alieno errore inductus in fraudem bona fide id obijcit, quod verum eſſe crimen exiſtimat? At hoc quidem loco id eueniſſe Baronio, ipſe Caſaubonus aperte teſtatur ijs verbis; *Fraudi fuit illi Gelenius interpres, qui duorum diuerſorum præſidum Syriæ appellationes confudit.* Nimirum Caſaubonus dum dicat aliquid, nihil habet penſi quam ad rem dicat. Sed qui tandem Baronio fraudi fuit interpres Gelenius?

Nam Græca ſi conſuluiſſet annalium conditor; animaduertiſſet priori illorum præſidum nomen fuiſſe Varroni, non Varo.

Qui autem potes docere Caſaubone, cum Varronis nomen in Græcis codicibus legeretur, Gelenij vel incuria, vel fraude Varum fuiſſe ſuppoſitum? Quo enim conſilio? quoue pretio induxiſſe eum in animum dicturus es, vt eum locum ſciens corrumperet? Aut quam tandem veriſimile eſt, eum oſcitanter adeo in ea interpretatione verſatum eſſe, vt vbi Varronem videret tamen, Varum legeret? Nam quod conſulta à Baronio Græca exemplaria negas; ridiculus es: cum is non minus, quam Gelenius, in mendoſos codices potuerit incidere.

Ioſephus capite XXXIV. *primæ exercitationis inepte defenditur à Caſaubono.*

Capvt. XVII.

Nisi iam dudum notus hominis ſtupor eſſet; præuaricari Caſaubonum, non ſerio capite hoc quarto, atque trigeſimo Ioſephi patronum agere crederemus. è duabus criminationibus, *quas ſuo loco inaniſſimas demonſtraturum* ſe capite XXIX. recepit, alteri, de Herode ante Chriſtum natum extincto, nihil quicquã reluctatus, vltro dat manus, vt ſupra docui-

docuimus: in altera diluenda, cùm permulta diſputet, vix, præter nugas & ineptias, quicquam affert. Reprehendit Ioſephū Baronius quod nouem ipſos annos vitæ Herodis omiſerit in hiſtoria. Id ita eſſe negat Caſaubonus: ac primū coniecturis agit. *Nam incredibile videri, Ioſephū, qui ex cōmentarijs Herodis, & alijs actis publicis narrationes ſuas depromebat, annos ipſos nouem Regis eius aut ignoraſſe, aut conſulto conſilio ſiluiſſe.* Exciſa videlicet Ieroſolyma, ac tota Iudæorū Rep. funditus euerſa, cum vix vicus vllus, aut oppidū belli calamitatibus in Iudæa reliquū eſſet; exſtabant tamen publica gentis tabularia, è quibus Herodis cōmentarios, atque acta publica peteret. Nam antiquitatum quidem libros poſt belli Iudaici hiſtoriam ſcriptos eſſe; ex ipſo eorū procemio ſatis conſtat. Neque negauerim equidem multa Ioſepho ante excidium lecta, quæ vel memoria retineret, vel adſeruaret in aduerſarijs. Sed & memoria ſæpe labitur, & aduerſaria res vel minus explicate plerunq; continent, vel negligentius conficiuntur. Quanquam, ſi vel maxime conceſſero, florente etiam tum patria, ſcriptos ab eo antiquitatis libros, qui probaturus eſt tam diligentem eum in conſulendis actis publicis fuiſſe? quem ſiue memoriæ vitio, ſiue incuria, ſiue perfidia dubiū non ſit nec paucis, nec exiguis in rebus à ſacrorum voluminū fide diſcedere.

Addit, *ſemper ſibi eum conſtare, niſi ſicubi librorum fides vacillet. Cur autem tantum laboraret, vt conſtanter mentiretur?* Primum conſtare eum ſibi negat Baronius, ac ne Caſaubonus quidem ipſe, niſi exemplarium omnium, quorum quidem à mille ducentis annis exſtet memoria, fide damnata, inficiari poteſt, pugnantia eum ſcribere. Deinde mirum non fuit totius hiſtoriæ ſerie ſemel digeſta, ijſdem veſtigijs inſiſtentem, eadem ſemper eodem modo narraſſe.

At indicaſſet ſaltem Baronius tantum illum in hiſtoria rerum Herodis hiatum, quem nemo, præter ipſum animaduertit. Si Iudaicam eius temporis hiſtoriam multi ſcripſiſſent, non fuiſſet difficile hiatum hunc deprehendere: nunc cum vnus exſtet Ioſephus eius hiſtoriæ ſcriptor, quid ab eo prætermiſſum ſit, ſciri alterius teſtimonio non poteſt. Cæterum vt magorum aduentum ac totam Bethlehemiticæ cædis tragædiam, niſi Euangeliſtæ diligentia conſignaſſet, per Ioſephum quidem penitus ignoraremus: ita multa alia omiſiſſe is potuit, quæ, quod apud alios non legimus, ne fuiſſe quidem vnquam ſuſpicamur. Iam animaduerſum ab alijs, nec exiguum quidem, hiatum ex ijs, quæ Baronius memorat, niſi plombeus fuiſſet, animaduertiſſet Caſaubonus. Quid enim? Nonne animaduerterunt permulti, quæ Ioſephus de Herodis morte memorat, ea cum Euangeliſtis non conſentire; ob eamque rem; vt notat Baronius num. CIII. extremo, *vt quoquo modo Ioſephum cum Euangeliſta concilient, erraſſe*

Ioſephum in eo affirmant, dum numerat ipſe triginta ſeptem annos vitæ Herodis ab inſtitutione Romæ facta ex S. C. eoſque eſſe numerandos dicunt à conſulatu M. Agrippæ, & Caninij Galli; quo anno, occiſo Antipatro, eſt potitus regni habenis pacificis. Quid? cum initium regni Herodis, quod olympiade CLXXXIV. contigiſſe Ioſephus memorat, ad olympiadis CLXXXVI. annum tertium in Chronico refert Euſebius, cum anno eiuſdẽ olympiadis quarto catech. XII. adſcribit Cyrillus Ieroſolymitanus, cum hæreſi LI. & LVIII. ad Cyrilli ſententiam propiùs accedit Epiphanius; ſatis ne magnum hiatum deprehendiſſe ſunt viſi? cũ ſeptem, aut etiã octo ipſos annos ad vitam Herodis addant. At eos protulerat nũ. CIV. Baron. Ergo ſi quærit quid prętermiſſum ſit ab Ioſepho; ſtultè quærit, cũ nullus præter ipſum exſtet rerũ eius ſæculi Iudaicarũ ſcriptor. ſi quærit nũ ab alijs etiã ſit obſeruatum multos ab eo vitæ Herodis annos ſubtractos eſſe; cum tam multos apud Baronium legerit, idque diſſimulet; mendax eſt.

Coniecturam deinde Baronij ita refert, vt *commentum eum neſcio, quam Herodis παλιγγενησίαν dicat*, quod num. CV. ſcribat *eum, quod in bello ciuili contra Octauianum Auguſtum M. Antonio fauiſſet, regnum demeruiſſe viſum: quamobrem cùm idem Auguſtus Antonio, & Cleopatra deuictis ſumma rerum potitus eſſet. Mox eundem ipſum Herodem ſuæ culpæ conſcium ſupplicem ad veniam impetrandam Rhodum ad eundem illic agentem ſe contuliſſe, depoſitoque diademate, ac precibus fuſis, ab eodem regnum promeruiſſe; idque ſenatus conſulto fuiſſe eidẽ ſtabilitum. Quapropter ex eo anno regni ſui initium deinde numerare ſolitum Herodẽ.*

Ac primum *fingit Baronius*, inquit, *Auguſtum victo ad Actium Antonio, ſtatim in Aſiam traieciſſe. neque cogitat omnes vnanimi conſenſu hiſtoricos id ſomnium confutare. Nam Auguſtus ex Actio Italiam petijt; neque ante anni ſequentis initium venit in Græciam.*

Si ſuperſtes hæc recognoſcere, ac ſecum vel rerum Romanarum ſcriptores, vel ſeipſe conferre poſſet Caſaubonus; verendum eſſet, ne à paterna ſibi reſte remediũ ignominiæ quæreret. Suetonius quidem, quẽ is notis ſuis illuſtraſſe videri voluit; in Auguſto cap. XVII. *Ab Actio*, inquit, *cum Samum inſulam in hyberna ſeſe recepiſſet, turbatus nuntijs de ſeditione militum præmia, & miſſionem poſcentium, quos ex omni numero confecta victoria, Brunduſium præmiſerat, repetit Italiam.* Ergo auctore quidem Suetonio, ab Actio Samum, ab Samo Italiam petijt. Conſentit Suetonio Dio lib. LI. vbi cum poſt victoriam veteranos cum Agrippa miſſos in Italiam memoraſſet; *Quaſi*, inquit, *iam nullo imminente à veteranis periculo, res Græciæ conſtituit, ac duorũ diuorũ ſacris initiatus eſt: deinde in Aſiã profectus, rebus ibi quoq; conſtitutis, quid Antonius ageret, expectauit; ac ſe ita parabat; vt ſi certo quonã ille fugiſſet, cõperiret; expeditionem contra eũ faceret. Cæterũ ijs aperte tumultũ*

conci-

concitantibus, quod procul ipſe abeſſet metuens ne ſi quem ducem inueniſſent; mali aliquid facinorũ ederent, alijs ad Antonium inueſtigandum conſtitutis in Italiam properauit media hyeme, ſe IV. & M. Craſſo Coſſ. Dionis igitur teſtimonio in Græciã, atq; Aſiam ante profectus eſt, quam in Italiam ſolueret; ac ne id quidẽ ante annum, qui AEtiacam pugnam proximè cõſequutus eſt. Nam Auguſto III. Conſule, in Septembri mẽſe pugnatum ad AEtium eſt. Idem quartum iam gerens conſulatum, *media hyeme* in Italiam vela fecit. Vbi igitur vnanimis ille, quem ſomnias *hiſtoricorum conſenſus, Auguſtum ex AEtio in Italiam traieciſſe? neq; ante anni ſequentis initium in Græciam veniſſe?* Quid verò ad eum, quem protuli Suetonij locum; nonne ita tu ipſe commẽtatus es? *Auguſtum traieciſſe in Aſiam mox à victoria AEtiaca, teſtatur Dio lib. 51. veniſſe Samum Ionicam ex ijs colligimus, quæ narrat Appianus lib. 4. de duobus Metellis proſcriptis, patre & filio.* Quæ igitur malum, tua iſta eſt tam vel ſecura alieni iudicij confidentia, vel ſtolidæ impudentiæ plena libido calumniandi? Quid autem cùm tam longam Auguſti in Italia commorationem facis, vt cùm mox ab AEtio, hoc eſt nondum exacto Septembri menſe, Brunduſium ſoluerit, non ante anni inſequentis initium, indè diſceſſerit; ac proinde tres circiter in Italia menſes poſuerit; nonne cum Suetonio tuo pugnas? cuius ea ſunt c. 17. hac de re verba: *Nec amplius, quàm ſeptem ac viginti dies, donec deſideria militum ordinarentur, Brunduſii commoratus Aſia, Syriaq; circuitu AEgyptum petijt?*

Sed tu pergis etiam furere, ac negas *vllam fuiſſe cauſam, cur Auguſtus regnum Herodi prius delatum antiquaret, cùm id non ſolus Antonius, ſed ipſe etiam Octauianus detulerit, vt & Ioſephus indicat, & disertè docet ex Africano Euſebius ad Olymp. CLXXXVI.* Ηρώδης Αντιπάτρου μηδὲν προσηκούσαν αὐτῷ τὴν τῶν Ιουδαίων βασιλείαν ἀπὸ Αὐγούστου καὶ τῆς συγκλήτου λαμβάνει. *Herodes regnũ Antipatri nihil quicquam ad ſe pertinens, tradentibus Auguſto & Senatu accepit.* Hæc à Caſaubono vel ſomniante, vel parũ ſobrio ſcripta, locus hic ſatis indicat. Quid enim? vſq; adeone Græcæ locutionis ignarum fuiſſe eum cenſebimus? præſertim cùm tantum ſibi in hoc genere arroget, ac Græcos ipſos Scriptores helleniſmi parum accuratè ſeruati nonnunquam notare audeat: vt quod ne pueri quidem ignorare conſueuerunt, neſcierit Ηρώδην Αντιπάτρου idem valere Græcè, quod Latinè *Herodem Antipatri filium.*

Abrogatum porrò Senatus auctoritate regnum Herodi; ſi nihil aliud, apertè perſuadet, quòd poſt conciliatum ſibi Cæſaris animum, vt lib. 15. c. 10. Ioſephus auctor eſt, nouo ſenatuſconſulto regnũ iterum obtinuit. Quid aũt eo ſenatuſconſulto fuiſſet opus, ſi nihil in eum durius eſſet ab Senatu conſtitutum? Sed vt delatum iam ante anni inſequentis conſulatum, ac poteſtatẽ eã, qua cum Auguſto remp. adminiſtrabat Antonius, cõcitatis in eum odijs, poſt recitatum in Senatu, atq; in concione teſtamentum eius, ſumma omnes

 conſen-

Digitized by Google

conſenſione, ſi Dioni lib. 50. credimus, abrogarunt: ita, ne qua apud vllum mortalium extaret beneficiorum eius memoria, quem tanquam hoſtem patriæ, vulgò populus Romanus auerſabatur; ea ipſa, quæ, agente Antonio, conſtituta fuerant, irrita eſſe voluerunt. Quocirca lib. 51. teſtatur Dio *poſt ſuperatum Antonium, regulis, ac Regibus oppida omnia, quæ ab Antonio acceperant, exceptis Amynta, & Archelao, à Cæſare ablata eſſe.* Quanuis igitur adnitente etiam Auguſto, Herodes Rex appellatus primùm eſſet à Senatu: tamen quod & illud quicquid erat ſtudij Antonio Cæſar conceſſerat; & totam rei ſummam Herodes acceptam ferebat Antonio, antiquato priore Senatuſconſulto, ac deleta omni regni ab Antonio accepti memoria, regnare eum in poſterum Auguſtus ſuo beneficio voluit.

Quanquam ne ea quidem cauſa querenda eſt ei, qui cum animo ſuo reputet id, quod Baronius num. CXVI. adnotauit, Herodem, qui, vt ipſe apud Ioſephum lib. 15. ca. 10. ingenuè fatetur, in illo principum diſſidio Antonianas partes ſequutus; *totis viribus conatus eſſet, vt penes Antonium rerum imperium eſſet, eumq́ non armis quidem coniunctis, quod tunc diſtineretur bello Arabico, ſed frumento pecunijsq́ iuuiſſet*, læſæ maieſtatis populi Romani reum peragi, ac regno ſpoliari meritò ab Auguſto potuiſſe. Quod cùm ad dicendam apud eum cauſam Rhodum veniſſet, poſito ſuapte ſponte diademate ipſe profeſſus eſt.

Iam cur eum Euſebij locum ad priorem Herodis inſtitutionem referendum putet Caſaubonus, equidem non video. Quid eſt enim, cur, cùm prior inſtitutio in annum inciderit centeſimæ octogeſimæ quartæ olympiadis vltimum, poſterior in annum centeſimæ octogeſimæ ſeptimæ tertium, hoc eſt, cùm prior inſtitutio ab anno tertio centeſimæ octogeſimæ ſextæ olympiadis, de quo loquitur Euſebius, integro ſeptemnio poſterior non plus quadriennio diſtet; ad priorem inſtitutionē eius ea verba referamus? niſi vt eum in conſignatione temporum grauius lapſum oſtendamus: præſertim quod vtcunque demum in priore inſtitutione Auguſtus Herodi fauerit, proprium illud fuit, ac, ſi verè loquimur, ſolidum Antonij beneficium, cuius in eo loco Euſebij nulla fit mentio. Poſteriorem verò totam ſibi Auguſti in Herodem beneuolentia, ac facilitas vendicet; vt nemo, qui audierit Herodi regnum ab Auguſto, ac Senatu demandatum; aliò referre cogitationem poſsit.

Cùm ſatis iam ſententiam ſuam confirmaſſe ſibi videretur, diluere Baronij rationem aggreſſus, incredibile dictu eſt, quàm multa ineptiat. Vrget num. CIV. Baronius, *Herodem, auctore Ioſepho lib antiq. 14. cap. 17. Coſſ. Caleno, atque Vatinio, quo tempore Antipatro eius patri à C. Cæſare Iudæa prouincia demandata eſt, quindecim annos natum fuiſſe. Quocirca cùm is eiuſdem teſtimonio*

tum

Digitized by Google

tum lib.7.cap.8.tum lib.5.bell Iud. cap. 21. ſeptuaginta ferè ætatis annos expleuerit;non potuiſſe eum ante annum Chriſti ſeruatoris nonum è vita cedere; cùm tamen Ioſephus nouem minimum menſibus ante mortuum eum faciat, quàm Chriſtus naſceretur. Neque negat Caſaubonus aut hæc apud Ioſephum legi, aut ſi ea vera ſint, id apertiſsimè effici, quod vir eruditiſsimus contendit. *Sed vitiatos Ioſephi codices clamat, vt vbi annorum 15. Herodem fuiſſe legimus,25.aut etiam 26.legi debeat.* Accipio emendationem,ſi probabili vlla coniectura,ſi codicis cuiuſquam auctoritate, ſi vetuſti vllius ſcriptoris teſtimonio nititur. Exemplaria quidem quotquot nunc exſtant,non Latina modò, ſed etiam Græca conſentiunt, nec aliter ante octingentos amplius annos legiſſe Photium Criticum inprimis eruditum, & ſagacem fatetur ipſe Caſaubonus: quæ fuerit ætate Ruffini quadringentis ipſis annis vetuſtioris, quàm Photius, lectio, ipſa eius verſio cum hodierna lectione conſentiens ſatis indicat. Sed conſenſus hic verſionis Ruffini cum hodiernis exemplaribus Græcis,*etiam manu exaratis,& quidem oppido vetuſtis, vetuſtatem,* inquit Caſaubonus, *erroris arguit, veritatem ſententiæ non probat.* quid tu,qui exemplarium omnium fidem damnas, cuius tandem in re tanta teſtimonio niteris? Nullius planè, qui non hoc ſæculo vixerit. Qui igitur rem tantam probare potes? Quia Ioſephum qui cùm omnia iam in cineres conſediſſent, ex actis publicis, & commentarijs Herodis hiſtoriam colligebat, tam immaniter veriſimile non eſt in ijs voluminibus hallucinatum,in quibus à ſacrarum etiam literarum fide,nec leuiter,& ſæpè diſceſſerit?

Sed nimis iam diu à lexicis, ac ſignificatione Græcarum vocum abfuimus: vt ſi diutius Græcis abſtinuerit, verendum ſit,ne deliquium animæ patiatur Caſaubonus. Græca igitur vocabula trutinantem tantiſper audiamus. Officere illud eius emendationi videbatur, quòd Herodem ea tempeſtate fuiſſe docet Ioſephus νέον παντάπασιν: κομιδῇ νέον & νεανίσκον *planè iuuenem, admodum iuuenem, adoleſcentulum*: quæ in hominem quinque & viginti annos natum non ſanè conueniunt. *At hæc quidem,*inquit Caſaubonus,*noſtræ huic emendationi ita non officiunt; vt eam etiam adſtruant.Num Ioſephus vocem νέος,iuuenis,aut νεανίας,vel νεανίσκος, iuuenculus, non ſolet de ijs vſurpare,qui pubertatis annos nondum ſunt aſſecuti: verùm de illis potius qui exceſſerint ex ephebis, & annum decimumquintum tranſcenderint.*id quod exemplis ex Ioſepho,ac Polybio petitis confirmare nititur.

Neque verò neceſſe fuit id exemplis probari, quod quotidiani ſermonis vſus obtinuit; vt viri grandi, nonnunquam, natu pro rerum de quibus agitur diuerſitate, iuuenes appellentur. Cùm enim *ſenex,*

iuuenis,

iuuenis, ac ſimilia ætatis vocabula ſint; quæ quod tempus quantitatis ſpecies eſt, ipſa etiam ad quantitatem referuntur; fit vt quemadmodum magnum, ac paruum, ita etiam hæc non ſine relatione dicantur: atque vt vna eademq; res alterius comparatione magna, cum altera cõparata parua dicitur; ita eiuſdem ætatis homines pro rerum, de quibus eſt ſermo, perſonarum diſcrimine, nunc grandes, nunc iuuenes, nũc adoleſcentes appellentur. Sed eſt abſoluta quædam vocis eius vſurpatio, quæ certo plerumque annorum ſpatio clauditur; atque eam ab ætate pubertati iam proxima initium ſumere, ſatis ex Ariſtotele lib. 6. Eth. cap. 8. atq; Euſtrathio in eum locum colligi poteſt. qui cùm res ad viuum philoſophico more reſecet, ob eamq́ue rem religiosè vocum ſignificationẽ ſeruare ſolitus ſit; ſatis docere nos poteſt, quæ ſit apud Græcos vis eius vocis. ϗ τοῦτ' ἄν τις, inquit Ariſtoteles, σκέψοιτο: διὰ τί μαθηματικὸς μὲν παῖς γένοιτο, σοφὸς δ' ἢ φυσικὸς οὔ; ἢ ὅτι τὰ μὲν δι' ἀφαιρέσεώς ἐστι. τῶν δ' αἱ ἀρχαὶ ἐξ ἐμπειρίας ϗ τὰ μὲν οὐ πιστεύουσιν οἱ νέοι, ἀλλὰ λέγουσι, τῶν δὲ τὸ τί ἐστιν οὐκ ἄδηλον. *Illud etiam quis conſideret; quam ob rem mathematicus quidem puer euadat; ſapiens autem, aut phyſicus non item? An quia hæc quidem abſtractione ſunt, illa autem experientia? Atq; hæc quidem non credent iuuenes; ſed dicunt: eorum autẽ non ignota finitio eſt.* Vbi quos prius παῖδας *pueros* vocauit; deinde νέους appellat; quemadmodum prius etiam γεωμετρικοὶ μὲν νέοι ϗ μαθηματικοὶ γίνονται, ϗ σοφοὶ τὰ τοιαῦτα φρόνιμοι δ' οὐ δοκεῖ γίνεσθαι. *Geometræ quidem, & mathematici iuuenes fiunt, atq; id genus rerum ſapientes: prudentes verò fieri non videntur.* Ariſtotelem porrò explicans Euſtrathius Νέους, inquit ὀνομάζει ἐνταῦθα τοὺς παῖδας· ἐπειδὴ καὶ ἐξ ἀρχῆς περὶ παιδὸς τὴν ζήτησιν προὔθετο διὰ τί μαθηματικὸς μὲν παῖς γένοιτ' ἂν σοφὸς δ' ἢ φυσικὸς οὔ; παῖδα ὀνομάζων ἴσως τὸν ἐγγὺς τῆς ἥβης ἢ τὸν ἤδη ἡβάσκοντα ἢ καὶ μετὰ τὴν ἥβην μικρόν. *Iuuenes appellat hoc loco pueros: quando etiam ab initio de puero quæſtionem poſuit: cur mathematicus quidem puer poſſit euadere; ſapiẽs autem & phyſicus non item. Puerum fortaſſis appellans eum, qui pubertati proximus eſt, aut iam pubeſcit, aut parum pubertatem exceſſit?*

Illud planè ridiculum, quòd vt probet Herodem quintumdecimum annũ agentem ab Ioſepho κομιδῆ νέον, νεανίαν & νεανίσκον dici non potuiſſe: negat de ijs eam vocem vſurpari ab eo ſolitam, qui pubertatis annos nondum ſunt aſſequuti; quaſi non conſtans ſit omnium vox ab exacto quartodecimo ætatis anno puberes iam adoleſcentes eſſe: ob eamq́ue rem, qui quartũdecimum annum abſoluerit, eum iam pubertatis annos aſſequutum eſſe. Ariſtoteles quidem non futilis, ni fallor, nec ignobilis auctor, lib. 7. de gen. anim. cap. 1. ea de re multis diſputat. Iuſtinianus etiam, quòd ea ætate vulgò pubeſcere pueros non ignoraret, inſtit. *quib. mod. tit. fin.* abrogata veteri inſpiciendorum corporum conſuetudine, mares ab expleto quartodecimo ætatis anno puberes haberi voluit. Aut igitur qui iam puberes ſunt, pubertatis

tatis annos aſſequuti non ſunt; aut quartumdecimum ætatis annum egreſsi pubertatis annos aſſequuti iam ſunt. Sed hominem humanarum rerum non ſcientiſsimum illud induxit in fraudem, quod in ephebis adoleſcentes numerari ad expletum annum ſeptimumdecimum animaduertit; atque idem eſſe credidit annos pubertatis aſſequi, quod ex ephebis excedere. quare ijs, qui pubertatis annos aſſequuti non ſunt, velut ex aduerſo eos oppoſuit, *qui exceſſerunt ex ephebis, & annum quintumdecimum tranſcenderint.*

Exemplis etiam euincit eos, qui pubertatis annos non exceſſerunt παῖδας à Ioſepho, vel μειράκια non νέους aut νεανίας dici: *quia Ioſephus Iacobi filius annorum 17: παῖς illi dicitur, & μειράκιον. Ariſtobolus etiam in hiſtoria mortis ſuæ, quam annos octodecim natus, obijt, ijſdem nominibus appellatur.* Atqui ſeptimuſdecimus ætatis, idem poſtremus eſt pubertatis annus; qua igitur ratione octodecim annorum adoleſcens Ariſtobolus, in ijs numeratur, qui nondum exceſſerint ex ephebis? Dixiſſet potius vſq; adeo παῖδας atque μειράκια ephebos Ioſephi quidem conſuetudine appellari: vt pubertatem etiam egreſsis ab eo, nec rarò quidem ea nomina tribuantur, non modò paradoxi nihil dixiſſe, ſed probaſſe etiam cauſam ſuam viſus eſſet. Nunc in ijs, qui nondum ex ephebis exceſſerint, octodecim annorum adoleſcens quem locum habere poteſt? Sed Caſaubonus ita eſt in colligendis exemplis infelix, vt etiam eam ad rem nouendecim annos natum Domitianum proferat, egregium verò ephebum, quique nondum etiam virilem togam ſumere per ætatem potuerit. Quid ſi etiam in ijs, *qui nondum ex ephebis exceſſerint* Alexander, & Ariſtobolus Herodis filij numerentur? *annis quinq; atq; viginti maiores, quiq; è ſuis vxoribus filios ſuſtuliſſent*? nonne verendum meritò ſit, ne non pubertas modò, ſed etiam ipſa pueritia ad ſenium à Caſaubono proferatur? Ipſe quidem certè puerum ſe fugiente iam ſenecta ſcriptis tam puerilibus prodidit.

Ioſephus in ſacra hiſtoria multa peccat, ac diuinis literis aduerſatur.

CAPVT XVIII.

QVàm meritò parùm certam Ioſephi narrationem exceperit Baronius, diuinæ veteris teſtamenti literæ ſatis indicant: è quibus ille ita Iudaicæ antiquitatis hiſtoriam ſumpſit; vt fabuloſa, falſa, impia etiam de ſuo nonnunquam addiderit; & quod magis mirere, ea ipſa deprauarit; quæ diſertè in ſacris voluminibus narrabantur. Capite quidem 1. lib. 1. admirationi fuiſſe Deo memorat, quòd Adamus præter conſuetudinem refugiſſet. τὸν δὲ θεὸν ἐξένιζε τὸ περιστελλόμενον, καὶ τὴν αἰτίαν ἐπυνθάνετο, &c. *Deo rei nouitas admirationi erat, & cauſam ſciſcitabatur.* Quæ profectò neque apud Moyſen legerat; neque, cùm ſacræ hiſtoriæ paraphraſten, atque interpretem ageret niſi

ret,niſi Deum rei totius ignarũ faceret,affirmare vlla ratione potuiſſet. Nã neq; rei nouitas admirationẽ facere vllam poterat ei,cui nihil eſt nouũ;neq; ſciſcitari præ admiratione cauſã, niſi eius neſcius potuit. Sed hoc non inuiti fortaſſe audierint Caluiniani; quibus & Chriſtus Dei filius multa ignorabat, &ipſa ei' interrogatio; *Vbi poſit' eſſet Lazarus*, inuictũ eſt argumentũ ignorati ab eo ſepulchri eius. vt,iſtis quidem auctoribus,non malè admirationẽ,atq; inſcitiã tribuerit Ioſeph' Deo: quẽ latebras vel locũ,vel cauſã quæſiſſe Scriptura commemoret. Iam cùm ſubijcit; *futurum fuiſſe, vt ſeruato Dei mandato, Adamus neq; celeriter ſeneſceret, ac vitam in longum tempus proferret: nunc aũt & ocyorem ſenectam, & vitam breuiorem eſſe*; nonne apertè ſignificat humanũ genus etiã tum morti obnoxiũ, poſt peccatum eo vno deterius effectũ eſſe, quod & vitam in breuiora ſpatia prorogat, & eam ipſam, properatis ſenectutis ærumnis, miſerabiliorem viuit? Hæc porrò cùm Ioſephus ſubijcit, cui Chriſtiano perſuadere poterit è ſacris ſe libris hauſiſſe? quæ non dubitet, cum Apoſtolorum diſciplina pugnare.

Quid illa? nonne AEſopicis fabulis ſunt, quam hiſtoriæ ſimiliora? non diabolum in ſerpente, ſed ſerpentem ipſum, *cum per id tempus familiariter cum Adamo, & vxore degeret, inuidiſſe eis felicitatẽ venturã, ſi iuſſis Dei parere perſeuerarent: ac ratum in calamitatem caſuros, ſi mandata neglexiſſent, malitioſè perſuaſiſſe mulieri, vt de arbore ſciẽtia guſtaret. Deum porrò iratum ob malitiam, qua erga Adamum vſus eſt, vocem illi ademiſſe, venenumq; lingua eius indidiſſe, adhac pedibus priuatum, trahi per terram, ac volui feciſſe*. Ita non ex lacerto modò, ridicula metamorphoſi ſerpentem efficit, eique venenum præter naturam addit; ſed orationis etiam, ſi Deo placet, ac rationis compotem facit eam beſtiam: quam ſi etiam nunc retinet, cùm animal ſit rationis particeps, homo eſt: ſi non retinet, mutata non modo figura corporis, ſed ipſa etiam eſſentia; iam non ſerpens, ſed alia quædam eſt ſpecies animalis.

Illa autem quibus tandem è commentarijs, actiſue publicis mutuatus eſt? *Multis poſt Abelis cadem diebus, rogatum à Deo Cainum, quid factum eſſet Abeli fratri, eumque reſpondiſſe, ſe quoque demirari, qui factum ſit, vt frater nuſquam compareret; Deum porrò ſupplicium, quod cade commeruerat, ei remiſiſſe, ſacrificio placatum, ne grauius in ſupplicem ſæuiret. Egreſſum ex arca* Noe, obliuioſum ſcilicet, neque ſui ſatis compotem ſenem, quamuis ædificare arcam, in eamque ſe abdere iuſſus eſſet, *vt ſaluaretur ſemen ſuper faciem vniuerſa terra; tamen veritum, ne Deus damnatis ad interitum hominibus per ſingulos annos terram inundaret: victimis incenſis precatum, vt in poſterum priſtinus rerum ordo maneret, & nulla incideret calamitas, per quam vniuerſum animalium genus in ſalutis periculum adduceretur. Deum cùm conſtituiſſet vniuerſum humanum genus extinguere, aliudque nouum, & à vitijs purum inſtaurare*

Digitized by Google

rare; primùm vitam eorum breuiore ſpatio circumſcripſiſſe, & abrogata longæuitate, intra centum ac viginti annos coercuiſſe; dein continentem terram in pelagi faciem transmutaſſe, atque ita genus illud aboleuiſſe vniuerſum. perinde quaſi, niſi contractis vitæ ſpatijs, non fuerint terrarum eluuione perituri. Nam quod cap. 4. ſcribit, *Tres Noe filios, relictis montibus & ipſos planitiem habitare cœpiſſe, & alijs, recenti etiam tum cladis memoria pauidis, idem faciendi auctores, & exemplum fuiſſe*, è Platonis libro 3. de leg. mutuatus, ad rem ſuam accommodauit. Illa ſuo ipſe Marte commentus eſt; *Iuſſos à Deo homines, vt propagandi multiplicandique generis cauſa, è campo Senaar colonias deducerent, non paruiſſe: ob eamque rem multis calamitatibus implicatos offenſum eum expertos. Atque iterum de colonia deducenda monitos, totam eam felicitatem ſuis viribus acceptam ferentes, neque dicto Dei obedientes fuiſſe, & conſilium de colonijs, non fauorem numinis, ſed inſidias interpretatos, quo facilius diſperſi, opprimi poſſent.* & reliqua, quæ de Nembrote, & turris ædificandæ conſilio memorat cap. 4.

Porrò quòd 3. capitis initio *filios eos Dei, qui videntes filias hominum, quod eſſent pulchra, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant, angelos fuiſſe* ſcribit (quanuis q. 47. in Geneſ. *ſtolidos nimis, ac ſtupidos ſententiæ eius auctores* Theodoretus appellet) ignoſcendum Ioſepho cenſeo, quòd multis deinde viris præſtantiſsimis id perſuaſit.

De Abrahamo deinde gentis auctore à cap. 7. ſcribere aggreſſus, *Primum adoptatum ab eo memorat Lothum fratris ſui filium, eundemq; Saræ coniugis fratrem.* Deinde *eum primum omnium clara voce prædicaſſe, vnum eſſe Deum rerum vniuerſitatis conditorem, ac ſi quid ad felicitatem conferat, non noſtris nobis viribus, ſed illius voluntate contingere. Hoc verò eum è terræ ac maris obſeruatione collegiſſe: tum eorum, quæ circa ſolem, ac lunam, & cætera ſidera videbat accidere.* At adoptatum ab eo Lothum, vbi legerit, ſcire peruelim. Hiſtoria quidem Moyſi contrarium innuit. Primum porrò hæc Abrahamum docuiſſe, ijs videlicet perſuadebit, qui ignota ea Noe, eiuſq; filijs in animum inducent, vt credant. Alioqui cùm ad ſextum, ac vigeſimũ Abrahami ætatis annum Noeus vixerit, Semus verò etiam ſuperſtes Abrahæ fuerit, niſi eos aut impios, aut earum rerum ignaros faciamus; dubitare non poſſumus, quin ea priores ij filios, nepoteſque ſuos Abrahami etiam ætate, & quidem impenſè docuerint: vt cùm eruditores eos habuerit Abrahamus, earum rerum notitiam antè accepiſſe meritò credi poſsit, quàm è mundi creatura colligeret. Quid cùm eodem capite conſilium vertendi ſoli cœpiſſe eum eam ob rem memorat, *quòd Chaldæi Meſopotamitæ, ac cæteri contra ſe inſurgerent, apud quos liberè prædicando veri Dei cultu grauiter offendiſſet*; etiamne audiendus erit Ioſephus? quanuis migrationem eam diuinæ vocationi ſacræ literæ tribuant. Anne Paulũ quidẽ audiemus? cùm ſcribit ad Galat. *Iſmaelem*

ancillæ filium eijci iuſſum cum matre, quòd qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſe-ſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum: habebimusq; Ioſepho fidem? qui ca.12. in ſuſpicacem, ac filio ſuo nimium metuentem Saræ animum eius rei cauſam retulit. *Quod ea poſtquam Iſaacum peperit, non amplius æquum cenſuerit Iſmaelem cum hoc educari, quippe qui natu maior defuncto communi patre iniuriam ei facere facile potuiſſet.* Neq; verò aut obſcurè Ioſephus apud Moyſem legerat, non ante de Iſmaele cum matre eijciendo Saram cepiſſe conſilium, quàm ludentem eum cum Iſaaco iam grandiuſculo videret: aut dubitare poterat, quin ludi genus, quo læderetur, non quo oblectaretur puer, matris animũ offenderit. *Riſum etiam matris, dum proles ei iam tum grandi natu promittitur,* in cauſa fuiſſe, cap.11. ſcribit Ioſephus, cur id nominis imponeretur Iſaaco, cùm Moyſes diuino oraculo id ei nomen impoſitum memoret, antequam quicquam ea de re Saræ reſciſceret. Riſus quidem Saræ octauodecimo Geneſeos capite deſcribitur, cùm Dominus Abrahæ in conualle Mambre viſus eſſet: ſuperiore autem capite poſt latam circũciſionis legem; *Dixit quoq; Deus,* inquit Moſes, *Sarai vxorem tuam nõ vocabis amplius Sarai, ſed Saram; & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum, eritq; in nationes, & reges populorũ orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem ſuam & riſit, dicens in corde ſuo; Putaſne cẽtenario naſcetur filius? Et Sara nonagenaria pariet? Dixitq; ad Deũ; Vtinam Iſmael viuat coram te; & ait Deus ad Abraham: Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisq; nomen eius Iſaac; & conſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum, & ſemini eius poſt eum.* Paternus igitur non maternus riſus Iſaaco nomen indidit; ſi id potius ſpectaſſe putandus eſt Deus, quàm lætitiam voluptatemq; qua parentes eſſet perfuſurus, cùm ita vocari eum iuberet. Sara quidem Geneſ.cap.primo atque vigeſimo ortum ſibi filium ipſa gratulans, oraculum id ita eſt interpretata. *Riſum,* inquit. *fecit mihi Deus, quicunque audierit corridebit mibi.*

Iam in Rebeccæ hiſtoria li.eius c.15. parum vt leuiſsimè dicam, accuratè verſatum eũ, qui ſacras modò literas cũ eius narratione contulerit, dubitare nõ poterit. Primùm id conſilij fuiſſe Abrahę memorat, cùm famulũ in Meſopotamiam mitteret, *vt coniũgeret Iſaaco vxorem Rebeccam Nachoris fratris ſui neptem:* cùm è diuinis Moyſi monumentis ſatis conſtet, id modo eum famulo imperaſſe; vt profectus *ad terram, & cognationem ſuam; inde acciperet vxorem filio ſuo.* Addit famulum cùm ad vrbem Carras perueniſſet; *incidiſſe in cõplures puellas euntes aquatum; precatumque vt ſi Deo grata eſſent ea nuptia; inter illas inueniretur Rebecca, ad ſuã filio deſponſandã Abrahamus eum miſerat; & hoc ſigno dignoſceretur, quod cæteris negantibus, ipſa potum rogãti præberet. Cauſantibusq; cæteris, aquam ſe non ſine labore acquirere, quam domum deferant, non quam alijs prabeant: vnam omnium, obiurgatis reliquis, negando eas vnquam inter homines verſatas, quæ ne aquam quidem impertirent, benignè hoſpiti potum obtuliſſe.* At eã rẽ longè

longè aliter Geneſeos capite illo quarto atq; vigeſimo narrat Moyſes. Nam & ante ad puteũ perueniſſe famulũ ſignificat, quã mulieres egrederentur; & preces ab eo aliter conceptas refert; neq; vllũ cum alijs puellis ſermonẽ interceſſiſſe ei memorat: ſed cum Rebeccæ, hauſta iam aqua redeunti occurriſſet, dixiſſe; *Pauxillum mihi aquæ ad bibendum præbe de hydria tua; eamque reſpondiſſe; Bibe, Domine mi.* Rebeccam etiam cum famulo ita loquentem facit, Ioſephus: *Rebecca mihi nomen eſt: pater vero fuit Bathuel, quo defuncto, Labanus frater meus & domum curat, & matrem; meæ quoque virginitatis tutor.* At ſuperſtitẽ etiam tum fuiſſe Bathuelem, fidem faciunt ea, quæ capitis eius verſ. 50. ſcribit Moſes audita famuli oratione Rebeccam depoſcentis vxorem filio domini ſui; *reſpondiſſe Laban, & Bathuel; A Domino egreſſus eſt ſermo, non poſſumus extra placitum eius quicquam aliud loqui tecum.*

Illa vero qui tandem conſentiunt? Iſaaco iam fere quadragenario vxorem accitam ex Meſopotamia, quod & cap. xxv. Geneſeos diſerte traditum eſt, & libri eius primi c. xv. Ioſephus teſtatur, & Abrahamũ tamen nõ multo poſt eas nuptias vita functum eſſe, quod c. xvi. diſerte tradit Ioſephus? Nam cum centeſimo ætatis ſuæ anno Iſaacum è Sara ſuſceperit, vt Geneſ. primo & vigeſimo capite ſcribit Moyſes, centeſimũ circiter & quadrageſimũ agebat annum, cum Iſaacũ matrimonio Rebeccæ iunxit: cum autẽ, ipſo etiã adſtipulatore Ioſepho, annos natus CLXXV. naturæ cõceſſerit; neceſſe eſt, cũ quinq; ipſos ac triginta annos vixiſſe poſt eas nuptias. His illud eſt conſectariũ quod c. XVII. ſubijcit, *Defuncto Abrahamo, Iſaaci vxorem geſtiſſe vterum:* hoc eſt Iſaaco gemellos Eſau & Iacobũ, Abrahamo iã mortuo, natos eſſe. quos cum diſerte quinto ac viceſimo Geneſ. cap. Iſaaco ſexagenario ſuſceptos ſcriptura cõmemoret, quindecim ipſos annos, poſtquã ij nati ſunt, Abrahamũ vixiſſe neceſſe eſt. Et miratur Caſaubonus annos nouẽ Herodis ab Ioſepho prætermiſſos? quẽ tam immaniter in hac Abrahami chronologia hallucinatum videt.

Quid cũ Iacobi cũ Rachele nuptias memorat? nonne pro dierũ hebdomade, annorũ hebdomadẽ octauodecimo cap. ſupponit? an ne hic quidem canonico ſcriptori fides habebitur, vt Iudæo ſcriptori concilietur? Tranſegiſſe cũ Labano Iacobũ Ioſephus auctor eſt, vti poſt alterum ſeptenniũ Rachelẽ acciperet, exactoq; altero ſeptennio Rachelẽ duxiſſe. At Geneſeos XXIX. Laban ita loquentẽ inuenies; *Imple hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoq; dabo tibi pro opere, quo ſeruiturus es mihi ſeptem annis alijs.* Id porro ita factũ ſubijcit Moſes; *Acquieuit,* inquit, *placito, & hebdomada tranſacta, Rachel duxit vxorem. Tandemque potitus optatis nuptijs amorem ſequentis priori prætulit ſeruiens apud eum ſeptem annis alijs.* Poſteriores igitur nuptiæ non plus vna dierũ hebdomada dilatæ ſunt: ſed nouũ nuptijs pretiũ additũ

Digitized by Google

eſt conſequentis ſeptennij ſimulatus. Et hic eſt tamẽ ille diligens adeo, atq; accuratus ſcriptor, qui è cõmentarijs, actiſque publicis hiſtoriam colligẽs in numerandis hebdomadis falli non potuit.

Illud in eadem hiſtoria leuius, & tamen à Moſis narratione diſſentiẽs, quod Rachelem priorem facit in amplexus & oſcula Iacobi ruentem, cum Geneſ. XXIX. Iacob cũ à paſtoribus cognouiſſet *Rachelem eſſe Labani filiam, & ſciret conſobrinam ſuam, poſt adaquatum gregem oſculatus puellam indicauerit ei, quod frater eſſet patris ſui.* Labanum etiam vno die poſt Iacobi fugam rei conſcientiã accepiſſe Ioſephus tradit: at non ante diem tertium Labano renunciatũ id eſſe conſtat è Geneſ. c. XXXI. Quid quod cũ Geneſ. XXXV. diſertè teſtetur Moyſes, idque ita eſſe Hebraica ipſa vox Ioſephũ eius linguæ non ignarum monere potuerit, fugiente iam anima vocatũ à Rachele, *Benoni, hoc eſt filium doloris mei.* Sed cõmutato deinde paterna beneuolentia nomine, appellatũ *Beniaminum, hoc eſt filiũ dexteræ.* Ioſephus tamen, incertum vigilans, an dormiens ſcripſit, *infantulum appellatum à Iacobo Beniaminum eò, quòd doloris cauſa matri fuerit.* Nimirum hominẽ partim memoriæ ſecurũ, partim etiam oſcitantem, & incurioſum; atque itẽ, vt Caſaubonũ, aulæ magis addictũ, quam veritati, plurima feſellerunt. Iam illud eodem capite Iudaica plane fide, quod in Sicimitarũ cæde non modo diſſimulat dolũ circũciſionis; ſed addit etiã Iacobi filios, *obſeruato feſto die, quo Sicimitæ voluptati, & conuiuijs operam dabant, inuaſis noctu cuſtodibus ſopitos contrucidaſſe, atque ita facile vrbe potitos, mares vniuerſos interemiſſe.* Qui autẽ conuiuijs, ac voluptati dare operam poſſent ij, quos vniuerſos grauiſſimus affligaret circũciſionis dolor? Sed cũ puderet Ioſephum maiorũ ſuorum perfidiam cũ ſacrilegio coniunctã mandare literis, pro vera narratione concinnatam à ſe fabulam ſuppoſuit.

Certe non inuſitatũ Ioſepho eſt, vt efferendæ gentis ſuæ ſtudio, mentiatur. Ita in ſecundo contra Apionem libro Hebræorum Rempublicam laudat, quod cùm ſacerdotibus rei ſummã commiſerit, *eos non diuitijs, nec alijs quibuſdam ſpontaneis auiditatibus præcellentes, ad culmen huius honoris inſtituat: ſed quicunque ſapientia, aut temperantia alijs præſtare noſcuntur; eis præcipuè culturam diuinæ placationis iniunxerit.* Quis autem ita peregrinatur in ſacris literis, vt ignoret ſacerdotes ſummoſq; Pontifices non electione, ſed ſucceſſione generis conſtitui apud eã gentẽ conſueuiſſe; vt niſi ſapientia, temperantiaq; à parentibus in filios cũ ſanguine traduceretur, mentitũ eũ neceſſe ſit? Antiquitatũ quidẽ lib. IV. de Aaronis morte ſcribens, *In conſpectu totius exercitus*, inquit, *ſtans in loco accliui exutam pontificiam ſtolam Eleazaro filio tradidit, ad quem iure ætatis ſucceſsio pertinebat.* Cũ ergo apud Hebræos omnes Aaronis poſteri eſſent iure natalium ſacerdotes; atque vt Ioſephus

-ſephus hoc loco aperte ſignificat, ætatis iure ſucceſſio ad Pontificis filium natu maximũ pertineret; imponere lectoribus Ioſephus voluit cũ in deligendis ſacerdotibus, ſapientiæ ac temperantiæ rationem habitam apud ſuos ſcripſit.

Addit admiratione dignã eam gentem eſſe, quod amplius duobus annorum millibus rem ſuã publicã, ac patrias leges, & inſtituta tenuerint. Atteſtatur idem lib. VII. de bel. cap. X. *A prima ſtructione templi, quam Salomon Rex inchoauerat, vſque ad excidium, quod euenit ſecundo anno principij Veſpaſiani annos colligi mille centum triginta, ac menſes ſeptem, dies quindecim.* Quibus ſi quadringentos eos & octoginta addamus annos, quos lib. III. reg. cap. VI. *ab egreſsione filiorum Iſrael de terra Aegypti, ad cœptam* ædificationem templi ſacra hiſtoria memorat; annos efficiemus omnino mille ſexcentos, ac decẽ, menſes ſeptem, dies quindecim: quod ſi eam annorum ſummam inire libeat, quam is in enumerandis Iudæorũ Pontificibus affert, lib. antiq. XX. *c.* 8. quamuis apertiſſime locus is vel mendũ, vel mendacium habeat, vbi annos à Moyſe ad conditum à Salomone templum DCXII. reclamante ſcriptura, numerat: tamen ne ſic quidem, niſi mille ſeptingenti, ac nonaginta octo efficientur.

Iam quis hominẽ ferat impudentiſſimè gloriantem: *cum multi apud alias gentes frequenter eorum ſubito legis præcepta negligentes, ſemetipſos cum armis hoſtib. tradiderint: apud ſuos non modo tam multos, ſed ne duos quidem, aut tres agnitos eſſe proditores effectos legum, & mortẽ formidantes.* Quid.n. in ſacra regum, ac iudicũ hiſtoria crebrius occurrit, quã populi, regumq; à Deo ad idola millies repetitæ defectiões? Nã quæ duob. Machabæorũ voluminib. cõtinẽtur, quando diuinã ijs auctoritatẽ cum Iudæis Caluiniani denegãt, malo ex ipſo Ioſepho petere, cuius ea ſunt XII. antiq. lib. c. VI. *Menelaus* (qui ſummus ipſe Iudæorũ Pontifex fuerat, Iaſonis, qui tum pontificatum gerebat, frater) *& Tobiæ filij ſeceſſerunt ad Antiochum, dicentes ſe velle, relictis patrijs inſtitutis, ac legibus, religionem regis, ac Græcanicos ritus aſſumere: rogaueruntque eum, vt ſibi permitteret Gymnaſium Ieroſolymis extruere. quo impetrato, adduxerũt ſibi præputia, & contemptis patrijs ritibus imitabantur mores exterarum gentiũ.* Ac ne ſcelus id ad paucos pertinuiſſe cauſetur Caſaubonus; capite inſequente queſtus *ex impijs Iudæis ſceleſtiſsimos admixtos Macedonibus ciuitatem plurimum vexaſſe: In templo quoque,* inquit, *ara poſita, porcos mactauit* (Antiochus) *ſacrificiũ à Iudæorũ religione alieniſsimum: & cogebat oẽs, abrogato veri Dei cultu, ipſius venerari numina, & oppidatim extructis templis, atque altaribus, porcinas in eis quotidie immolare victimas: comminatus etiam grauem pœnam, ſi quis liberos circunciderét, cõſtitutis, qui mandata exigerent, atq; etiã vi ad ea ſeruãda detrectantes cogerẽt.* Expectabis, opinor, vt edicto regis propoſito ſubijciat, vix vllũ,

Digitized by Google

aut paucos quidē certe ex omni numero inuentos, qui regis vel maieſtatē verriti, vel territi crudelitate parerent: ita oportuit, ſi cōſtare ſibi mendaciorū artifex potuiſſet; ſed extorſit rei, ita vt geſta eſt, confeſſionē veritas imprudenti. *Maxima*, inquit, *Iudæorū pars vel ſponte vel ſuppliciorū metu parebant edictis regijs*. Eat nunc Caſaubonus, & Baronio ſuccenſeat, quod Ioſephi in ſcribenda hiſtoria incuriā accuſarit; ad cōmentarios Herodis, ad acta publica, ad fidē ſcriptoris, ac diligentiā prouocet; aut ſi operę pretium eſſe putat, quod in B. Lucæ Euangelio fecit Beza, quicquid in veteri teſtamento cum Ioſepho minus conſentiens inuenerit, iniecta impoſturæ ſuſpicione labefactet.

Equidē, imponendus eſt.n. aliquando caſtigationi finis, ſatis mirari nō poſſum, quib. intēperijs agantur miſeri homines, qui *de malitia*, vt Hilarij verbis vtar, *affectu*, dū incōmodare Eccleſiæ cupiunt, *in omnē ſe occaſionē reperiundæ accuſationis extendunt*; cumq; ſolidi nihil afferre poſsint, futilibus adeo nugis volumina ſua farciunt, vt non minus ineptijs apud ſapientes exiſtimationi ſuæ, quā ſaluti apud Deū officiant impietate. Caſaubonū, cum eius ad Frontonē Epiſtolā confutarem, amicè monui, etiā, atq; etiā cogitaret; moriendum mortali aliquando, ſeni etiam cito fore: neq; magnas externo homini in alieno ſolo ſpes eſſe poſſe; neq; conſtantes in aula: exiſtimationis, ea Epiſtola ſcripta, non leuē iacturā factam; maiorē etiā in poſterū timeri, niſi ſibi cōſuleret. Proinde ad ea ſtudia referret ſeſe, in quibus ita ætatē omnē inſumpſerat, vt laudaretur à multis: In tanta, tamq; lubrica re cū auaritia, quæ cū virtute, atq; honeſtate ſemper inimicitias exercuit, non bene deliberari. Verè, an ſecus ea ſcripſerim; exitus cōprobauit. Non ita multo poſt emiſſo exercitationū libro, diem clauſit; eo vno felix, quod hominum de ſe, deq; libro illo iudicijs morte ſubductus eſt. Sed hæc in eo deplorari poſſunt, non corrigi: quæ vtinā cæteris documento ſint, vt poſitis aliquando partium & priuati cōmodi ſtudijs, fidei controuerſias ita tractent, quemadmodū decet eos, *qui in ciuitatē primitiuorum adſcripti, adoptionem filiorum Dei gloriantur*, memores breue, caducum, volucre eſſe quicquid hic cernitur: *quæ autem non videntur, æterna*. Neq; veritati mendacij ſuffragio opus eſſe, neque ipſam mendacio ſuffragari: iniuriam eſſe Chriſti cauſam ſuam mendacio ſuſtentari: dicturos ſe non ita multo poſt cauſam apud eum iudicem, cuius ſanguine animę illę redemptę ſunt; quas aut tam viles habent, aut tam capitali odio potius inſequuntur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS LIBRI POSTERIORIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

5-4

Digitized by Google